Phytognomonica Io. Baptistæ portæ Neopolitani, octo libris contenta; in quibus nova, facillimaque affertur methodus, qua plantarum, animalium, metallorum; rerum denique omnium ex prima extimae faciei inspectione quiuis abditas vires assequatur ... Accedunt ad haec confirmanda ... selectiora secreta ... vestigata, explorataque / Nunc primùm ab innumeris mendis, quibus passim neopolitana editio scatebat, vindicatá; cum rerum & verborum indice locupletissimo.

Contributors

Porta, Giambattista della, approximately 1535-1615.

Publication/Creation

Rothomagi : Sumptibus I. Berthelin, 1650.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/xpehzqm4

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

41856 B

N.V
16/p

Curious words

press - A
shelf - 8
n° - 12

R - 5

77236

PHYTOGNOMONICA
IO. BAPTISTÆ PORTÆ
NEAPOLITANI,

OCTO LIBRIS CONTENTA;

IN QVIBVS NOVA, FACILLIMAQVE affertur methodus, qua plantarum, animalium, metallorum; rerum denique omnium ex prima extimæ faciei inſpectione quiuis abditas vires aſſequatur.

Accedunt ad hæc confirmanda infinita propemodum ſelectiora ſecreta, ſummo labore, temporis diſpendio, & impenſarum iactura veſtigata, exploratáque.

Nunc primùm ab innumeris mendis, quibus paſſim Neapolitana editio ſcatebat, vindicata; cum RERVM & VERBORVM Indice locupletiſſimo.



ROTHOMAGI,

Sumptibus IOANNIS BERTHELIN, Bibliopolæ.

M. DC. L.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLVSTR.

MARINO BOBALI,

ANDREÆ FILIO RAGVSEO,

IO. BAPTISTA PORTA NEAPOLIT.

S. P. D.

VETVS fuit populorum Septentrionalium mos, Eques Illustr. nubiles iam filias è patriis laribus foras expellere sine duce, vt diuersis in regionibus vagæ, erronésque, corpus inuulgando dotes, & virum ex voto sibi compararent. Idem de mea hac fœtura in animum induxeram, & harum gentium sequi morem: eamq; cum idoneam ætatem indeptam cognouissem, peregrinam emittere: suos mores ita componeret, & talem se cunctis præ se ferret, vt

virum, & patronum ſuis qualitatibus congruum inueſtigaret. Noua enim forma in lucem prodiens, per nouas vias incedens, nouaque, nec dum viſa per multa ſæcula ferens, verebar ne tanta nouitate multorum odium ſibi conciliaret: pollicebarque mihi non defuturos, qui clam, vulgoque ipſam ſugillationis contagio polluerent, conculcarentque. De iis loquor, qui tanta ingenij ſecordia laborantes, tam aliorum iudiciis addicti ſunt, vt prorſus omni proprio ſpolientur; & cum aliquid ſcire aſſequi nequeant, aliena contemnendo ſe aliquid præſtare videri volunt. Nil veritus ſum, quin apud doctos gratiam ſit conſequutura; qui quotidianarum formarum pertæſi, nouas (quantulæcunque fuerint) omnium calculo, & plauſu excipiunt. Vnde vt infeſtos iſtos anteuerterem, ſumma votorum mihi erat, nobilem quendam, generoſum, clarum, iudicio & in-

genij dotibus præpollentem virum inuenire, cuius patrocinio à deplorato illo hominum genere tuta redderetur. At vix teneræ ætatis limina transgressa, vix suo post liminio egressa, nec cuipiam sui videndi copia facta, eius fama ad tuas aures delata; prius à te amari, quam videri; & prius exoptari, quam cognosci merebatur. Liceat mihi, quæ diligentißimi patres in collocandis filiabus exquirunt, de te modo rimari. Dum igitur tuæ vitæ rationem sciscitor, ingenti fama commotus, maximo perfundor gaudio, quod patronum maiorem, quam pro eius dignitate, meritoque sit assequuta. Nam si nobilitatem attentius expendo, nullam maiori singularitate admiror; antiquam enim famam per tuos atauos, quasi per manus traditam ad hæc vsque tempora propagatam recolo; & dum peruetusta literarum monumenta Raguſiæ, antiqui Epidauri, sum-

mo ſtudio perquiro, maiores tuos è Romanis Fabiis originem traxiſſe comperio: nam ad vniuerſi orbis conquiſitionem, vt per diuerſas mundi partes belli gerando magiſtratus gerebant, & colonias ducebant, diuerſæ eorum familiæ variis in locis diſtrahebantur, vt incolæ fierent. Superſunt adhuc nominis reliquiæ: nam bob *gentilitio nomine faba dicitur,* bobali, *de Fabis: & Plinius Fabios à fabis dictos teſtatur. Ecquis neſcit familiæ tuæ per longam annorum ſeriem ad hæc vſque tempora clariſſima inſignia? Ipſa enim ſummum magiſtratum in Repub. ſumma cum laude & gloria quam ſæpiſſime adminiſtrauit; quo factum eſt, vt patriæ parentes gentiles tui iure optimo vno ore, & conſenſu à ciuibus appellarentur. Si nominis claritatem intueor, longius, latiuſque diffunditur, quam vt à tua vrbe, & Macedonia illi finitima, Alexandri rebus*

præclare gestis illustrata : quin etiam Roma terrarum orbis domina comprehendatur. Fortunæ autem bonis aut paucis sis secundus, iis prudenter dispensandis, erogandisque es omnium facile princeps. Et si tuam intucor effigiem, non vmbratilem imaginem, sed perfectam Herois expressam formam exhibes, manibus, Fabiorum hereditarium robur : oculis, genij, & ingenij dexteritatem : fronte, Magni Alexandri personam sustinere præfers : cui, vt finibus, ita munificentia es proximus. Ad extremum, nihil in te conspicor, quod regij animi magnitudinem, singularesque mores, inculpatam vitam, ad omnia fœliciter excogitanda, atque adeo tractanda admirabilem solertiam non euidenter innuat. Is es, qui plus in recessu, quam in fronte promittas. Sed redeat, vnde discessit oratio. Hanc meam natam præcipitem tectis extrudo. Singulare hoc speciminis

& decoris habet, quod nullo exquisito, & affectato ornamento decoratur: imo natiuo colore, non mercato: naturali forma contenta, lenociniis neglectis, multum sibi placens ad te aduolat. Lingua non Romanæ aut Atticæ matronæ est, sed simplicis puellæ. Illud spondeo, quæ pannis teguntur, multo fore pulchriora, iucundioraque, quam quæ foris conspiciuntur: quo circa, qui altius penitiusque eam contemplatus fuerit, is vberiorem fructum, & plenius obsequium consequetur: quippe quæ ad recessus longe reconditos præstat aditum. Faciem contemplantes ita fallit, vt se falsos nesciant. Si crinium aliquis annulorum peccauerit, & incompositam reddit comam: vel sordidata vestis, aut male præcincta, quæ ancillæ diligentiam & animaduersionem effugerint (nam oculi tam lyncei esse non possunt) pronus ad veniam sis: verita enim ne tanti viri amor deseruc-

ret, ad te festinantius properauit. Vnde si non tuam amasti, iam tuam diligas velim: & eam tuendam, diligendamque suscipias: & per te contra hos fatua imperitia laborantes tutum patrocinium suscipiat. Quam si tibi acceptam sensero, cæteros qui non admirentur, nihili facio: & soror ad Iunium fratrem tuum citius properabit. Vale, & me, vt soles, ama.

IO. BAPTISTÆ PORTÆ NEAPOLITANI IN PHYTOGNOMONICA, OCTO LIBRIS CONTENTA, Ad Lectorem

PROOEMIVM.

LAVTIORIS, & diuinioris Philosophiæ nobilissimum munus semper equidem existimaui, ea solerti indagine scisciatari, quæ naturæ abdita, & ditissima majestate laterent. Ingens opus & maximum, occultumque diuinitatis; & quo nullum reperiri possit maius. Existimaui pariter, vt Herophilus quoque medicina clarus existimabat, *nihil non herbarum viribus effici posse, & plurimarum esse incognitas:* nam si conditorem intuebimur; *Magnus est Deus noster, & magna est potentia eius, & potentiæ eius non est numerus.* Etsi quæ ab antiquis de herbis posteritatis memoriæ mandata sunt, considerabimus, portentosa videntur. Traditur à Pythagora Coriacesiâ,

& Callicià aquam glaciari ; à Democrito Achameniden , cuius radice in paſtillos digeſta , in diéque pota in vino , noxij percruciatus nocte confiteantur omnia per varias numinum imaginationes. Et adamantida ſi admoueas , leones reſupinari cum hiatu maximo , & Arianiden gigni igneam colore ; cuius tactu peruncta oleo ligna accendi. Theangelida pota , diuinare facit ; Gelotophyllida ſi bibatur cum myrrha & vino , varias obſeruari ſpecies ; ridendi finem non fieri ; & herbam eſſe , cuius omnino tactu redirent amores , vel cum odio depoſiti , vt ex Plinio habetur. Herbam commemorat Theophraſtus apud Indos naſcentem , quæ ſanguinem diffundere , & quaſi fugare poteſt ; quodque è diuerſo eundem colligit , & ad ſe trahit. Radix *Baraas* , ex Ioſephi traditione , ad veſperas , veluti iubar fulgurat , accedentes refugit , niſi menſtruus ſanguis ſuper eam fundatur ; illos liberat , qui à cacodæmone oppreſſi ſunt. Democritus dixit , credidit Theophraſtus , eſſe herbam , cuius contactu illatæ ab alite exſiliret cuneus , à paſtorib. arbori adactus. Æthiopide herba lacus omnes , ac ſtagna ſiccari coniectu ; tactu omnia aperiri : Achimenide , coniecta in acium hoſtium , trepidare agmina , ac terga vertere. Tradit Xanthus hiſtoriarum auctor , occiſum draconis catulum reuocatum ad vitam à parente , herba Bali , eademque Thylonem , quem draco occiderat , reſtitutum ſanitati : & Iuba Rex Mauritaniæ herba reuocatum

ad vitam hominem tradit. Si igitur maiores noſtri in tantillis herbulis tantas virtutes apertò cognouerunt : cur veſtigantibus nobis his ſimilia , aut maiora reperiri poſſe verendum erit ? Fatui prorſus & ſtolidi iudicij foret , maximum illum rerum conditorem hominibus hæc occulta fore voluiſſe : nam fruſtra creaſſet , præſertim cum animalibus intellectu carentibus hæc fecerit manifeſtiſſima. Quis dictamnum herbam cauos docuit extrahendis ſagittis valere , vt percuſſi eo telo , eius paſtu eijciant ? Quis hirundines chelidoniam herbam viſui ſaluberrimam eſſe , ac vexatis pullorum oculis illam mederi ? Teſtudo cunilæ paſtu vires contra ſerpentes refouet. Muſtela cum muribus dimicatione conſerta , ruta munitur : ciconia , origano : apri , hedera in morbis ſibi medentur. Anguis hiberna latebra viſu obſcurato , marathro herba oculos refouet : ſi vero ſquamæ obtorpuere , ſpinis iuniperi ſe ſcabit. Draco vernam nauſeam ſilueſtris lactucæ ſucco reſtinguit. Elephas chamæleonte deuorato , occurrit oleaſtro huic ſuo veneno. Ceruus herba cinare venenatis pabulis reſiſtit. Palumbes , graculi , merulæ , perdices lauri folio annuum faſtidium purgant. Columbæ , turtures , & gallinacei , herba helxine. Anates , anſeres , cæteræque aquaticæ , herba ſiderite. Grues iunco paluſtri ; coruus occiſo chamæleonte , lauro infeſtum virus exſtinguit , & ſexcenta

talia. Si igitur animalia ex notis noxias, & sibi proficuas herbas cognoscant, cur homini defuturos typos imaginari debemus, ex quibus itidem vestigari potuissent? Nec diuinæ, & summæ sapientiæ modum deesse imaginari possumus, quo id facile præstare potuerit: non desunt igitur notæ, non desunt. Vnde auia rura, inuia montium culmina, nemora, & siluas peragrando, totis viribus contemplabar multiplicem plantarum formam; florum variegatam coloriam; frondium numerum, dissectionem, & effigiem, sic radicum, stipitum, & ramorum, nec non à terra prosiliendi, crescendi, & fœticandi modum, tam inter se varia, & diuersa; cogitans nil temere, & casu confectum, sed omnia cum ratione, & ordinata causa, vt maximus inquit Ptolemæus, & præsertim in his pulcherrimis animantibus, plantis: nec esse tam vilissimum in rerum natura, in quo mirabile aliquod non refulgeat. Considerabam attonitus plantam, tam hilari, viuidoque colore renidentem; tam suauem odorem halantem; tam denique miræ venustatis & elegantiæ, vt cœlestem maiestatem redolere videretur, & quasi magnes spectantium oculos ad naturæ opulentiam contemplandam prouocaret; hanc eandem homini amicas vires habere, & Medicorum vsui receptissimam. Contra altera tam inuenusta, & deformi effigiatura, vt fœdo odore,

coloreve eminus intuenti terrorem incuteret; hanc ipsam compertam postea funestæ dotis, & certissimæ internecionis. Mirabar congeneres herbas, in quibus multa intercedebat parilitas & similitudo, eadem fere præstare remedia, vt Medici alteram pro altera subderent. Contra in quibus nulla cognatio, nec virtutis collationem inesse, & si aliquæ forent, quæ ex diuersis compositæ viderentur, compositas vtriusque facultates possidere. Accedebat ad id consensus & tacita quædam naturalis hominum diuinatio, vt herbas quisque ad suos morbos profligandos adsumeret, quæ similitudine quadam ad id facere viderentur. Quorum perpensione, diuino suggerente auxilio, cecidit in animum; vt nostri intimi mores ex corporeis extimis notis inuestigari possunt, & venatores; equites, pastores, & aucupes ex animalium effigie morum propensiones cognoscunt, eorumque delectus faciunt, sic ex plantarum exterioribus signis interiorum virium hominem posse admoneri. His rationibus innixus, cœpi animo sciscitari, vtrum statis notis constitutæ dotes responderent: & si aliquæ nobis virtutes incognitæ forent, illas è Medicorum libris perquirebam, quæ ipsi casu perdocti scripserant: sic diutina collatione percepi, mirabile in re ea responsum, & consequutionem inesse. Sic postea confirmandæ veritatis gratia, si in herbas inciderem incertas adhuc, & incognitas vsui medico, multis à nobis periculis factis, nihil inexploratum

relinquendo, ad tam vtilia, & nobiliſſima ſuperuectus ſum, vt poſitæ operæ, & accurationis nunquam pœnituerit. Et ex hac veluti racematione numeroſa paulatim confluxit mirabilium contemplationum multitudo, vt non ſolum herbarum, ſed animalium, metallorum, gemmarum, & lapidum delitiæ, & diuitiæ poſſint inueſtigari contemplarique, & multo latius noſtris votis expeditus patuit aditus, quam ſperabamus. Et niſi noxia, & malefica ſcribere diuina vetuiſſet Minerua, fortaſſe percupida, mirabilium rerum diſcendi ingenia pleniori obſequio demereremur. Exempla potiſſimum in Medicina appoſuimus, non quod Medicinam profiteri velimus (nam hoc minus intendimus) ſed vt impiis hominib. anſam non demus malefica excogitandi: docti & perſpicaces ex his alia intelligent. Tandem Deo auſpice, eo res perducta eſt, vt collectas ex diſquiſitione regulas, etſi non ſatis nobis concoctas, quantuli ſumus cunque, quantulæ fuerint cunque, memori æuo donaremus: nulli dum antiquorum, ne dicam recentiorum memoratas: non faſtum, aut vanam iactantiæ auram oſtendendo (eſt enim mihi inanis gloriæ contemptor animus, vt qui me norint, teſtantur) ſed vt poſteritati conſulatur, & ſumma Dei benignitas colatur, venereturque. Hic in cauſarum veſtigationibus non occurrent ſæpius repetitæ, & decantatæ à Philoſophis, & Medicis calidi, frigidi, humidi, & ſicci qualitates, nec ab aliis tradita, in

compendium redacta, vel ampliata, aut varie ordinata : sed quæ à nobis solum comperta. Vnde si quid supereſt noscendum, vel non exacte demonstratum (quis enim hoc audeat polliceri?) scito quod nobilium & nouarum rerum, diuinarumque cognitio minus demonstrata, certe, vtilior est & præstantior, quam vilium, optime probatorum; & ingenioli nostri temeritati potius ascribendum, quam rei veritati. Arduum est, & difficultate plenum negotium, cunctis intentatum; scio post me non defuturos eiusmodi methodo, & cognitione altiora, & cumulatoria prodituros. Nos autem quod potuimus, præstitimus: videbùnt lectores voluntatem non defuisse.



IO. BAPTISTÆ PORTÆ NEAPOLITANI PHYTOGNOMONICORVM LIBER PRIMVS:

DE MVTVA VIRIVM ET PLANTARVM partium consequutione; CAP. I.

IN LIBRIS noſtris De morum iudiciis à corporis delineamentis deſumptis, ſummi philoſophi, nec non Polemonis, Adamantij, eorumque aſſeclarum auctoritate ſatis luculenter expoſuimus, corpus & animam mutuis coniunctionibus inter ſeſe conſequi. Exempla erant, in acutis ægritudinibus, quæ corporis morbi ſunt, animum delitare; ſic in amoribus, furoribus, & inuidiis animi morbis, corpus tabeſcere: vnde ex his mutuis animi & corporis affectibus, & partium corporis habitu animi mores poſſe præſagiri. Sic non inconcinna ſimilitudine ex mutua plantarum partium, quam cum viribus inter ſe habent collatione, vt mutata plantæ facie alterentur vires; alterataque virium habitudine, alteretur plantæ figura; animi vitia, & virtutes optima coniectura augurari poſſe, nemo ibit inficias. Vocamus plantæ animam internam vim illam, & arcanam operandi, quaſi naturæ dotem. Vocamus plantæ vitia, lymphaticos reddere, veternum indu-

cere, sterilitatem & virus, quo homines enectum iri cogan-
tur, aliaque maleficia, quæ perniciem afferunt. Vocamus vir-
tutes; febres tollere; noxios humores purgare; vulnera con-
glutinare; & huiusmodi talia, quæ saluti hominum propinā-
tur. Quod ad formæ plantarum mutationem mutetur eorum
ingenium, mutatisque viribus abeat forma, euidentius est
quam vt probari debeat: nam soli mutatione, ætheris, situs &
cultus, horum omnium, vel solius mutatur facile plantæ in-
doles, & cum indole virtus. Multa suis locis exempla dabun-
tur. Planta, quæ extremas montium oras vento perflatas in-
colit, carioso, & pumicoso solo, sub medio orbis recessu, & ne-
glectu quoque habita, scabro & retorrido vestitur habitu,
caudice humili, contorto, & strigoso prosilit; qui crebris no-
dis, prominulis neruorum torulis, rigidisque spinis tumebit;
exiguis foliis, hirsutis, dissectis & angulosis, in quibus venæ
supereminent; floribus exilioribus, exoleti coloris; radicibus
lignosis breuibusque, fructu exiguo, intus lignoso, saporis as-
peri, nec vesci; sed insignium virium, & celeberrimi vsus; gu-
stanti calidus, & siccus. Hæc eadem planta pingui solo sata,
plano, & cui indulgens cœlum, & cultoris sedulitas arrideat,
proh Dij immortales, quam magnam longiusculo tempore
subit mutationem! Nā cultu domita feritate, hirsutie & sil-
uestri habitu exuta mansuescit, & humanius viuet. Ex maci-
lento stipite, succulento, & hilari venustate pubescet; ex bre-
ui, amplo; ex contorto, recto, spinæ se contrahent, nodi eua-
nescent, & euadet cutis nitida, & læuis: frondes rotundæ,
vel saltem retusis angulis ramos onerabunt; carō venas, &
neruos superuestiet, vt blandæ fiant; flores saturatiore colore
splendescent, fructus restibilis fœcunditatis, & perennis pro-
uētus, sed humidi saporis, & exoleti, effœtis viribus vsui me-
dico; & tandem tantum à prima longius abest forma, vt vix
aliquid priorum delineamentorum adumbret. Sic etiam si
plantam frigidi & vdi loci alumnam frigidæ & humidę qua-
litatis, squallidis, asperis feruidisque locis feras; & olitoris
cultu destitutam, vrbano habitu exutam siluescere videbis; &
humiditate, & frigiditate aduentitia elangueſcente, ad sic-

ciorem temperiem calidioremque inclinabit. Sed clarius, & perspectius in iis plantis, quam in homine videre est, quæ à sua forma desciscunt, & naturæ germanitate in alienã abeũt, cum suis formis qualitates relinquendo, aliasque nouas adsumendo. Triticum in lolium & linum abit compluta terra, vel crebris imbribus satum; & typha pinsita in triticum transit; ocymum quoque in serpillum, & alia quæ suis locis vberius referuntur. Idque etiam in iis plantis notabilius elucet, quæ ex binis progenitoribus naturam & formam sibi adoptant: nam vtroru mq; formam & ingenium æmula facie repræsentant, vt in scorodropaso, quod allij, porrique vires & formam habet, & zeopyro, zeæ & tritici, aliisq; videre est. Igitur mutata corporis forma, mutatur & plantę anima; mutatisq; viribus, mutatur corporatura; & corporis partibus vis animę correspondet, vt inuicem virium, & formæ causæ fiant, neq; vnquam planta visa fuit, quæ formam vnius, dotes vero alterius referret. Myrtus aloes vires non habet, nec aloe abrotoni: necessario consequi par est, vt tali formæ tales vires conueniãt.

Plantam cum homine multum habere similitudinem; CAP. II.

ET si fortasse quispiã vereretur, non recte plantis nos hominem comparasse, vt cæteris animalibus, ac proinde minus firmis argumentis innixos; hic se male versatum in veterũ lectionibus manifestabit, qui cum homine plantis multam intercedere communicantiam, & in paucis differre conscripserunt. Planta iisdem fere membris, quibus animal constat. Theophrastus plantarũ historias conscripturus, omniũ, quæ in plantarum genere spectantur, similitudinem ex his petit, quæ in animalibus insunt; & sicut in animalium corporibus propria sunt cuiusq; membri officia; sic & in stirpium partibus propria munia; pedes ad gressus, brachia ad complexus natura composuit; nil aures agere valent, quod est oculorum; nil oculi, quod est aurium, nec generãdi quidem facultas data est manibus. Hæc etiã stirpium genera figurauit, quibus eadem ipsa mater & parens primũ radices veluti fundamenta quædam iecit, vt iis quasi pedibus insisteret; truncum deinde superposuit, veluti quandam staturam corporis & habitus

mox ramis diffundit, quasi brachiis, tunc caules, & surculos elicuit, veluti manus. Est in stipite lignum, vt ossa in carne. Os corpori officium vel actionem non præstat, sed ad eum tantum vsum, vt pali in tentoriis, sic lignum in cortice, vt soliditatem præstet, & contra ventorum tempestates robur, & ad onus ramorum substinendum. Medulla in ossi- 11
bus, vt etiam in medio ligni residet; alitur lignum medulla, vt ossa animalium. Falso enim Theophrastus inquit, omne alimentum virentis per medullam trunci, veluti per syphonem hauritur, vt probauimus in Agricultura. Sunt & animalium ossa, vt leonis, quæ medulla careant; sunt & arbores, quæ exiguam habeant, vt olea, buxus, vel quæ nullo modo habere videatur. Aphrodiseus inquit, Stirpes iam ipsas frondibus natura pilorum, pennarumque vice obduxit; quippe quæ prænorit, vel vt à nimio frigore, vel ab æstu immodico offendi, interireque possent. Nonnulla enim spinis, tanquam spiculis contra animalium morsus armauit; quum aliis animantibus cornua dederit, aliis aculeos, aliis vngues, aut quid tale, quo sese defendere ab iis possint, quę detrimentum inueherent. Aristoteles capillum in homine dicit ad necessitatem & præsidij rationem: ad necessitatem; quia cerebrum humidum, & vbi plurimum humoris, & caloris, ibi & copiosus capillorum ortus: adiumentum; quia pili extimum expellunt frigus, & calorem. Est in eo emulumentum, vt diximus, egestis hoc modo noxiis è corpore vaporibus, vnde capillaris ortus. Sic per frondium poros plantæ indigesta humiditas difflatur. Theophrastus in causis frondes amplissimas & ad conseruationem, & ad perennitatem, & ad auctionem, & ad fructuum generationem esse dixit. Adiiciunt auctores capillum ad ornatum esse: tolle humani corporis capillos, tota pulchritudo flaccescit; tolle arboris comam, tota arbor ingrata est. Amittunt & animalia pilos, pennasque; & plantæ suas frõdes crinium modo cacumina ramorum, & surculorum quum foliata sunt. Genitalia membra surculi sunt opportuno loco nati. Concipiunt variis diebus; & pro sua quæque natura grauida alia protinus, aut diutius partus gerunt. Flos

prænonstrat fructum, vt nenstruum mulieris demonstrat conceptionem; non prius est fructifera planta, quam florifera. Fructus arboris, est semen in homine, ad quod ordinatur animal ad speciem propagandam. In plantæ cortice sunt venæ, & nerui, vitales partes, vt in homine, quibus attrahit, digerit, & expellit. Oris officio, funguntur radices; Mnesitheus dicit caulis ventriculi, nam sicut in ore succus affectus, non perfectus; sic in caule perficitur concoctione, vt alimentum fructibus præstet. Alij radicem cor plantæ dixerunt; quod primum viuat, vltima moriatur. Si radix tabet, continuo demoritur planta; sed si rami siccescunt, poterit rediuiua radix stolones proferre : videntur ergo radices vitæ primordia. Sunt in planta succi & humores, vt in homine. Ob id non illepide Platonici *homines inuersam plantam* dixerunt; & *plantam inuersam hominem*. Trahit enim planta alimentum ex inferiori parte, homo ex superiori. Plato plantas *animalia* vocat, quod vitæ participes sint. Appetitoriam vim, & altricem eis tribuit, in quibus Aristoteles & Theophrastus sequuti sunt. Galenus quatuor adscribit vires appetitoriæ animæ hominum communes; attractricem, retentricem, alteratricem, & expultricem; quibus cibum assumerent; assumptum retinerent, & in varias suæ essentię partes conuertant, & egerant excrementa. Videbant enim eas, quibus datæ manus videri possent, capreolis vel clauiculis captare fulturas, & pedamenta, quorum ope surrigerentur. Prius enim nutare videbantur, quoad quippiam apprehenderent; dein vbi attigissent, inuadere, ac illico inuolui; & si quid interea alieni, vel noxij sentirent, euitare, ac retrahi maximo naturæ consilio, ne quid, quod præsidij causa datum esset, noxium facerent. Præterea alias animaduertebant Solis, vel Lunæ lumine gaudere, vt coma & floribus sequi etiam nubilo die viderentur; alias etiam aquis immersas surgere, & descendere; flores claudere, & aperire ad sideris accessum, recessumque. Hæc igitur, & alia cum respicerent, Anaxagoras asserebat plantas animalia esse, & spirare etiam; immo cum Democrito asseuerauit doloris & voluptatis participes esse; casu foliorum

dolere, iisdem vicissim restitutis, capere voluptatem. Empedocles putabat in ipsis esse commistum sexum. Alij, & si in aliis non tam discretius, in palmis sexum esse separatũ maris & fœminæ, immo maris & fœminæ semina simul colligata plantari, vt inde perfectissima exsurgeret plãta. Damageron id quoque in pistaceis euenire dixit, vtrumque sexum coniungens, & maris dorsum ad Fauonium spectare debere. Idem 12
Empedocles non solum naturales inclinationes, sed etiam sensum illis tribuit. Existimauerunt Pythagorici perfectiores plantas imperfectioribus animalib. propinquas esse: immo & qnamplurimi sunt, qui quamplurimas plantas inter stirpium, aut inter animalium genus adnumerarent, ita intellectu vigere conspexerunt, & mediã inter vtrumq; naturam videbantur sortitæ. Veteres Græci posteritatis memoriæ mandarunt palmas se vehementi amore prosequi adeoque est eis veneris intellectus, vt alteram altera depereat; nec prius desiderio leuari, quam eam adamatus mas consoletur. Quandoquidẽ suis comis pronam incumbere videre est, & quasi viduam sterilescere; sed agricolæ, vt cuius amore deflagret, plane cognoscant, plantas inibi obsitas manibus contrectantes, ad eam reuersi, quæ amore tabet, manibus contingunt, tunc osculo manum blande demulgens amorem confitetur, sese illius desiderio stimulatã, huius vesaniæ remedia affert, quo amor diluatur. Maris flores trunco erutos, amasię capiti circũponit, tunc amans amoris pignore exhilarata, vberi fœtura fœcundabitur. Sẽsibus arbores valere scribit Zoroastres in Geoponicis: nam si per multos annos arbor aliqua sterilis fuerit, & venerit agricola accinctus acuta bipenni ad arborem detruncandam, si amicus pro ea rogauerit, & fide iusserit sequenti anno fructum laturã ac ille amici verbis persuasus abierit, quod arbor maximum feret fructũ. Nec aliam ob causam maiores nostros scripsisse putandum est, homines quam plurimos in arbores mutatos, nisi ob magnã quam cum eis habent similitudinem. Nec ob aliud diis multas dicatas legimus, Ioui fagum & quercum: Apollini laurum, & lotam: Bacchо hederam, ferulã, & piceam: Mineruæ oleam: Veneri myrtum, rosas, & philyrã:

Diti cupressum; Cybelæ pinum: Herculi populum: Mercurio punicũ: Harpocrati perseam: nec ob aliud arbores ipsas oracula reddidisse antiquorum religio docuit: & Gallorũ Druidę nil magis viſco & arbore, qua nasceretur sacratius habuere, nisi quod suspicabantur diuinã illis inesse naturã, & plusquã humanã. Trogus & Philemõ philosophi animę nutritiuę opera ex plãtis signis colligi posse declararunt: vt cũ vegetatiua virtus cõmunis sit omnibus viuẽtibus, lõgęui signa colligebãt ex plãtis, vt quibus capilli lõgi & firmi, essent lõgęui, ad plãtas referẽdo, quę ęterna pubẽt coma: vt pinus, ilex, & medica

Quomodo antiquiores Philosophi plantarum virtutes inuestigauerint.

CAP. III.

DEPOSCIT flagitatque ordo dicamus, maiores illi philosophantes de plantarum viribus quid speculati fuerint, & nobis tradiderint; post hæc, nos, qua methodo inuestigandæ sint, docendum pollicemur. Medicorum princeps Hippocrates, post eum Theophrastus, ab eo Discorides, Galenus, & alij Mauritanæ factionis insignes medici ex saporum signis primas docere qualitates tentauerunt & ab his quasi nexu quodam secundas, & tertias dependentes, relinquentes virtutes illas, quas occultas, & à naturæ proprietate manantes appellauerunt. Saporum primus acerbus est, qui inter attingendum linguã intensissimè constringit: estque frigidus, & terrestris. Si acerbitas ipsa paululum remittatur, & linguã vt prius neutiquam contrahat, fit austerus, plus frigidus, quam humectus. Si cum eo plus humidi admisceatur, euadit acidus, & hic humectior, quam frigidior, & subtilium partium. Hos omnes medicamenta dixere. Dulcis sapor abrosas linguę partes sublinit, & euidenti iucunditate blanditur, vt qui ex temperata humiditate, & caliditate exoriatur, & ex eiusmodi sunt nostra alimenta. Pinguis, qui non perspicuam ingerat voluptatẽ, minus quam dulcis caliditate præstat, atq; aërem participare videtur. Salsus, si calor inualescit; ob id calefacit, abrodit, abstergitq;. Hos binosciborũ condimenta dixerimus. Sed
13 qui linguã magis corrugat, amarus est; fit quũ calor plusquam par sit, increbuit, ariditate & caliditate præstãs. Amaritudi-

nem ex calido & frigido nasci posse dixerunt Arabes; ex frigido, quum post amarorem dulcescit, vt in glandibus euenire videmus; ex calore, quum post dulcorem amarescit, sed certissimæ terrestris siccitatis. Acer sapor abradit, & lancinat linguam cum vehementi caliditate: acuta fit, cum calor ad summum superauctus est; ob id comburit, ne dum calefacit, & homini venenum est. Sunt qui insipidum saporem faciant; sentire quidem in eo saporem nullum, vt tamen ex ipso fiat aliquis, vt superfaciat genus, frigidæ & humidę qualitatis dicunt; quia aquea humiditate obtunditur. Secludunt ex his vini & lactis sapores, cum in eis non vnus, sed plures recipiantur sapores: in illo austerus, dulcis, & suauis; in hoc, dulcis, pinguis, & suauis. Porro à principibus qualitatibus secundæ ducunt originem, & tertiæ; nempe vis emolliens; calore & humore prouenit; indurans ex frigore, & calore nascitur; laxans, humore gignitur immodico; tensoria ex nimia frigiditate proficiscitur; consopiens, ex vehemẽti frigore. Tertiæ qualitatis sunt, quæ lac, sperma, menstruum, vrinã prouocant; calculos dissoluunt, & similia. Lac creans à familiari, & modice calida substantia procedit. Imminuens lactis prouentum ex frigiditate cogente, & incrassante. Non secus semen genitale creans ex tota familiari, & mediocriter calida procedit substantia. Cohibens vis ex frigido cogente, & incrassante. Simplex medicamentum, quod desiccandi naturam habet, minimumque caloris possidet sui muneris est calculos comminuere, & exterere; calidũ, acre, vel tenuium partium vrinam ciere potest. Has qualitates in quasdam veluti classes, abscessus, vel sedes concludi dixerunt Græci, Latini pariter & Arabes medici; ita vt nonnulla primæ sedis censeantur, alia secundæ, alia tertiæ, alia quartum ordinem sibi arrogant. Primæ classis medicamenta censentur, quæ calefaciunt, desiccant, humescunt, refrigerant in euidenti quodam successu; secundæ, quæ vix percipiuntur; tertiæ quæ inualescunt, postremæ vrendi licentiam sibi nanciscuntur, & crustas similes adustis creant. Nec his contenti dixerunt etiam quæ in fine vnius, ac principio alterius gradus præstant.

Quod de primis, & sequentibus qualitatibus plantarum antiquiores non perfecte senserint. CAP. IIII.

SED hæc omnia veritatis nescia sunt, & ingeniose excogitata: nam pleraq; ab hac præceptione desciscunt, quæ infirmant præceptum, quum nihil in his perpetuum statui possit. Amara multa sunt, quæ non calida; & dulcia, quæ non temperata; multa quæ desiccant, minimumq; caloris possident, & calculos non atterunt; & quæ familiari, & modice calida facultate prædita sunt, & multum à creando lacte absunt; nec quæ omnia ex familiari, & mediocriter calida constant, semen creant; & insipida multa sunt deleteriæ facultatis: imo & saporibus contrarias habent qualitates; quæ recentiores medici non animaduertentes, neque experientes, addicti solum antiquorum scriptis, verissima omnia esse quasi lege sanxerint. Quis risum contineat, dum aliquos videat, qui dum herbarum saporibus vires & proprietates numerosas, quas possident, adscribere nitantur, inquiunt: In principio amara sunt, paulo post dulcescunt, mox acescunt, postremo vero ex acri in acerbum abeunt; & dum saporibus vires omnes conciliant, haud ferendo errore in reliquiis discrepant, & sibimetipsis contrariantur, & nobis ambigua, & falsa turpiter imponunt? Sed quis ferre valet eos, qui sapores in gradus distribuunt, nec scribunt quo cœli climate, situ, solo, culta, vel neglectui habita nascatur, ad quorum vel vnius mutationem, variatur sapor, nedum color, & forma? Eandem herbam Arabes sub calido signiferi recessu incolentes tertij gradus calidam proferunt; Græci pariter & Latini, qui temperatam habitant zonam secundi; Germani
4 vero, qui sub frigida cœli plaga, vix primi dicunt; & quæ apud illos medicamenta sunt, apud hos alimenta. Memini superiore anno ocymi semen in hiulcas parietum rimas vento delatum concepisse, & coaluisse; idem à mulierculis pensilibus in hortulis opaco loco rigatum, excultumque; gustanti illud gradum tertium attingere, hoc vix primum videbatur: sub eodem enim cœlo. sed quid contingat vbi omnia varia sunt, aliis vel tyronibus iudicanda relinquo; nam ignoro

quomodo ſuas partes tueri poſſint. Vel ad abolendam hanc controuerſiam exprimenda fuerant loca, ſitus terræ, & cultus: ne ignara medicorum turba hæc vt à cœlo delapſa exactiſſime obſeruantes, falleretur. Sed quia mei inſtituti non eſt, & ad hæc confutanda pluribus verbis vti opus eſſet, quam præſens exigat ſpeculatio, omittemus. latius enim loquemur de iis, quum de ſimplicium viribus conſcribemus; vbi quæ ab antiquis & recentioribus medicis de qualitatibus dicta ſunt, noſtris principiis accommodare nitemur.

Quod ex alimento, quod ſuggeritur plantis, primæ qualitates ſint veſtigandæ. CAP. V.

HVCVSQVE veterum doctrina exſpatiata eſt; alia vero experimenta, quæ non à manifeſtis qualitatibus eueniunt, antiquos latuere; & quæ cognoſcuntur, nulla ratione & methodo ſunt inuenta; ſed à diuinandi peritis hominibus, dæmonibus, caſu, ſomnio, vaticinio, ab animalibus, & eiuſmodi alio modo adinuenta eſſe tradunt medicorum hiſtoriæ. Diximus enim multa in præfatione, quæ ab animalibus edidicerint. Ad rabidi canis morſum remedium oraculo repertum narrat Plinius cynorrhoda, & alia, quæ ſuperuacuum duco recenſere, & in his recentiores omnes conſenuerunt. Sed nos, ne videamur in veſtibulo huius diſquiſitionis commorari, non prius ceſſabimus quam nitemur eo aſpirare, ſi minus liceat in intimos receſſus & penitiſſima naturæ atrij loca penetrare, vbi perennes, vberrimique fontes abſtruſarum rerum emanant: ſi diuina fiducia, quæ neminem ad benè agendum deſtituit, noſtræ audaciæ blandiatur. Ad opus igitur accinganur, remque breui ſermone perſtringamus. Sed vt perſpicua magis, & nitida noſtra præceptio reddatur, diuiſionem noſtro more proponemus. Herbarum manifeſtæ aliç, occultæ aliæ ſunt qualitatis: manifeſtas frigidi, humidi, calidi, & ſicci eſſe iam diximus. Nos primùm de his diſſeremus, quibus coniecturis cognoſci queant, & aliter quàm vſquam alibi, aut à quopiam obſeruatum ſit, ſcilicet ab earum alimento, mox de occultis loquemur. Sed prius in mentem ea reuocare opus eſt, quæ in humanæ noſtræ Phy-

siognomoniæ libris diximus ; docuimus enim quod ex alimentis, quibus imbuuntur pueri à nutricibus, emanabant mores : nam vitia & virtutes nutricum pueri cum lacte hauriunt ; nec solum in hominibus id euenire, sed aliis animalibus. Venatores qui generosam canum sobolem conseruare cupiunt, non patiuntur alienis vberibus ali ; quoniam lac & spiritus maternus longe magis ingenij, & incrementa corporis auget. Venaticos canes, vt celeriores fiant, Oppianus ceruorum, aut dorcadum vbertibus alendos censet. Troglodytæ populi feri sunt, quod non à parentibus, sed ab animalibus alantur. In libris nostris De agricultura explanatæ notitiæ est, surculos qui inseruntur ex subiecto stipite cum alimento trunci qualitates suscipere. Sic planta plurimum interest quo alimento alatur, vt plus minus calefaciat, humectet. Quæ igitur in residibus vdis nascuntur, ampla forma sunt ; caule succulento, læui, & tereti ; folio numeroso & rotundo ; fructu insipido, inodoro, & excolori, gracilibus radicibus, & effœtis viribus. Hæc ex simplici coniectatione frigida, & humecta pronuncianda. Quæ vero in paludosis, anguloso caule, obsequioso, fractu contumaci, fronde laciniata, neruosa, villosaque ; radice magna, odoratula : viribus vegetioribus, qualitate frigida, & sicca.
15 In maritimis crepidinibus, angustis foliis, quamplurimæ deficiens fructu, radice, & semine ; caule molli, floribus ruffis, frigidæ & siccę naturę. In litoralibus, quæ maris æstus alluit, fruticosa specie ; caule humili, lanuginoso, albicantibus foliis, teretibus, teneris : semine ruffo, odorata, sed calida, siccaque. At pinguis soli alumna, specie ampla, pingui, hilarique : caule turgenti, læui, foliato multum ; folio rotundo, crasso, læui : fructu carnoso, molli, & parum intus lignoso : complexione calida, & humida. Contra macri soli incola exili specie, macilentaque, caule neruoso, hirsuto, fronde angusta, dissecta, laciniata, neruosa, hispida, floribus luteis, calida & sicca, tenuisque essentiæ. Mediocris vero ex vtrarumq; figura, & dote composita est. Si in arenis nascatur, plerumque macra, lignoso caule, exili, hirsuto, folio pusillo, duro,

radice lignosa, dura, calida, siccaque. Quæ in asperginosis limbis vetustorum parietum, vel complutis ruderibus lignoso caule; fronde parua, oblonga, crenata; odore immanifesto, & plerunque sterilis; frigidæ & siccæ qualitatis ex aqua & terra: nam sicut calida, aridaque aridis locis, & sterilibus magis, & adhuc magis calefacit, & arefacit; sic in aquis lata, obtunditur eius facultas. Huc accedit neglectus, & cultus stirpium: nam fera planta rudi, & tristiore specie nascitur; caule exili, mucilento, lignoso, anguloso, neruosoque; fronde dura, lirata, hirsuta, numerosa, angusta, crenataque; flore pusillo, diluti coloris, odorisque; fructu aspero, intus lignoso, odorato; radice prædura, breui; viribus præsignibus, natura frigida, siccaque. Mitis vero planta viuido, peramœno, & lasciuo aspectu; caule pingui, læui, vdo, foliato, fronde molli, crassa, rotunda, læui, flore maiori, hilari, atrouirenti, vibrantioris halitus; fructu copioso, dulci, vesco, inodoro, radice varie diuaricata, sed viribus imbecillioribus; humidæ, & calidæ naturæ, pingui iam descriptæ tota facie non absimilis. Pingui enim cibo siluestris planta, & aquoso satiata, in humidiorem calidioremque abit qualitatem; eadem orbata culto, & è suis locis translata in pristinam cedit naturam, calidam, & siccam. Tandem vt eduliorum & potuum copia humana mutatur complexio, sic soli qualitate in plantis eadem euenire neutiquam dubitamus pronunciare. Exempla secundo proximo libro cumulatissime dabuntur.

Quod ex natali solo plantarum vires dignosci possint.

CAP. VI.

EX terræ locis subditis parallelis, vbi nascuntur plantæ, seduli inspectores ex extima facie poterunt interna scrutari secreta. Sed meminisse oportet, quid olim in nostris Physiognomonicis dictum est, & ne eo reuocetur lector, huc duximus repetenda. E diuersis cœli climatibus maiores nostri diuersos hominum mores coniiciebant: nam secundum climata genus efficiebant & mores, vnde signatæ regioni propriam indolem, & proprias animi propensiones statuebant,

vt cui tale corpus ineſſet, & talem animam poſſidere neceſſe foret, & ſecundum climatum regionumque varietatem, hominum mores variari: vt qui Meridiei ſubiacent, criſpis capillis forent, corpore breui, gracilioribus cruribus: animo leui, & mendaci. Arcto qui ſubiacent, corpore amplo, capillo prolixo, colore albo, craſſis cruribus, carnæ laxa, & ventricoſi; ſed animo efferri, ſimplices, & ſtolidi. Sic medianis regionibus; media ſigna mores. Hæc nos preſſius ad noſtram Phytognomonicam transferentes, per climata habitus, & vires diuiſimus, vt tali regioni, tales vires correſponderent. Feruidorum locorum indigena planta retorrido, & macilento habitu erit; ſtipite gracili & contorto, & ſquaroſa cute obſito; foliis criſpis, fructu odorato, calida, vridaque facultate, tenuiorumque partium. Quæ ſub Aquilone, procero caudice ſurgit, enodi, recto, craſſoque, folio promiſſo, læui, pauci, vel tetri odoris; ignauis viribus torpet, ſed gelidæ, & rigentis naturæ. Accedit de ſitu dicendum: gerit enim ætheris vices: nam planicies, colles, & valles cœluni commutant, & quæ calida cœlorum ratione ſunt, ſitus obtundit, & humida efficere poteſt, & arida humefacere. Celſiorum montium inquilina, ſtrigoſa, & triſti facie, breui corporis forma, contorta, & ſpinoſa; folio paruo diſſecto, fructu ſapido, vi præſtantiori. Campeſtres plantæ hilari vultu, caule rotundo, læui & nitido, foliis rotundis crebris, fructu crebriori, & ſapido, & ferè coincidit cum mediæ regionis alumna. Conuallium vmbroſarum ſoboles, pallenti & veluti morboſo aſpectu eſt, & tumida forma; attollitur procero & glabro caule, tenero, & enodi, diti foliorum fœtura: folio amplo, carnoſo, molli, obtuſo: fructu amplo, inſipido, inolidoque; radice magna, fungoſa: ſed irritæ vires, humidæ, & frigidæ qualitatis. Ex his compoſita erit, quæ in collibus naſcitur.

Ex primis qualitatibus emanantes aliæ veſtigari poterunt.

CAP. VII.

EX his primis qualitatibus aliæ ſuccedunt, vt & maiores noſtros diximus docuiſſe. Succurrit ex noſtra Phyſiogno-

monia argumentum, quo vnius Aristotelis doctrina ex duobus, vel aliis passionibus alias inferri posse, & coniectari: vt si pauper est, ergo blandus. Si cognoscimus hominem tristem, iracundum, & immorigeratum, possumus continuo infetre hunc inuidiæ nota non carere, & si in eius vultu inuidiæ notæ nullæ appareant. Hunc modum Dialectico ascripsit: nam tria illa, vt priora & antecedentia, & ex his postea concluſio infertur. Vnde Phytoptá quum aliis coniecturis herbam calidam esse cognouerit, eandem odorare, & tenuium partium esse: poterit & illico inferre, quod vrinam mouere possit: nam calida concoctu, facilia sunt: odor nullam gerit corpulentiam: & quæ concoctu facilia, facillime etiam vrinam ciere possunt, vel res calida admodum vim obtinet calefaciendi, & vrinam promouendi. Quæ calorem possident nostro quam simillimum: puri mouendo, ac immaturorum concoctionem moliendo idonea sunt: nam vernaculum corporis humorem nec adaugent, nec minuunt: sed fouent, ascititiumque in spatiis receptum digerunt, & alia, quorum medicorum libri referti sunt, ob id consultius omittemus.

De similitudine, qua rerum occultæ proprietates agnosci possint.

CAP. VIII.

IAM ad modum deuentum est hactenus cunctis intentatum, & quem maxime intendimus, quo quisque quasi consiliorum naturæ particeps ex apparentibus in facie similitudinibus arcanas dotes assequi possit. Erat enim in humana Physiognomonia per apparentem morem diiudicandi modus, vt, quibus moribus se quisquam exercendo præfiguraret, tales ei mores inesse pronunciabant. Vt si quispiam sæpissime oculos sursum adduceret, salacem indicabant: quippe concumbentes oculos sursum attollunt: & si quis eum natura vultum præ se fert, quem irati solent, iracundus censebitur: sic hilari, mœsto, seuero, austero, tristes, & ludibundos iudicabunt. Pulchros facie, animo & moribus pulchros: contra deformes & monstra in corpore, sic animo deformes & monstra dicebant. Vultus similitudo index est cordis. In

vultu similitudo magnificentiæ, auaritiæ, probitatis, improbitatis, vigilantiæ & ignauiæ, anxietatis & studij apparet. Ex similitudine partium animalium internorum morum iudicium desumebamus, vt vidimus: & tandem humanæ Physiognomoniæ ex vultus, & animalium partium similitudine tota pendebat scientiæ præcognitio. Haud secus existimandum est in hac Phytognomonica, quod plantæ internos mores frondium, fructuum, radicum, stirpium, actionum, morum, aliorumque quoad possunt conspicua allusione, & consimilitudine demonstrant. Est quippe per similitudinem demonstrandi modus, quo sæpissime summus rerum opifex diuinas & occultas res solet patefacere, vt supremam idearum similitudinem referrent. Nec præstantiori, aut concinniori poterat modo. Nam si plantam loqui fingamus, & secreta suæ naturæ commoda, quibus præstat, promere vellet, quocunque sermone, quibusuis modis loquutura, non ab omnibus perciperetur, quum & sermones, & scribendi characteres singulis gentib. proprij sint, & peculiares: vnde aut vni nationi, aut infinitis loqui linguis oportuisset: sic arguta naturæ solertia suis rerum similitudinibus & breuiter, perspicue satis simul omnibus facit. Est. n. similitudo pictus sermo, vel pictura loquens, quæ quouis sermone, quibusuis notis valentior est: nam nuti, quibus pro sermone gestus sunt, & alia animalia sermone carentia, morib. corporis suos indicant affectus. Quosdam populos narrat Plin. sine lingua, quibus pro sermone nutus est, motusque membrorum. Similitudo etsi semper eiusdem habitus, tantum habet momenti, vt ipsam dicendi vim superet, nullaque res magis animo infigitur, quod artificiosa pictura. Vulgo pictura idiotarum sermo dicitur. His accensendæ videntur similitudines, & propriæ rerum facies, quibus Ægyptij sapientes suos animi conceptus exprimebant, vt omnib. essent conspicui, quas *hieroglypha grammata* nuncuparunt. Sic rudi vulgo, montium accolis, opilionibus, mulierculis mapalia habitantibus, & iis qui in desertis mundi plagis nascuntur, longe à medicis eorumque consiliis, quomodo sibi mederi possint, propriis

picturis morbum designantibus alloquitur natura, ne præsidio destituti à morbis trucidentur. Quare minus quin sit verum refragandum est. Hac vi similitudinis in astrologia, somniorum interpretationibus, agricultura, & aliis scientiis vti poterimus breuique temporis momento ea nosse non difficile, quæ maiores nostri longis temporum interuallis sola experientia duce sine causis adinuenere.

Quod Genethliacorum scientia ex astrorum similitudine desumpta sit; CAP. IX.

DEMONSTRAT enim nobis immensus rerum conditor non absimile similitudine quid astra portendere possint, colore, motu, figura & magnitudine; si cui libeat altius astra prosequi, & genitales causas è sublimi inquirere, etsi nos minus hæc probemus, neque instituti operis argumentum sit. Fœdæ & prodigiosæ videntur mundo luminum orbitates in principib. astris Sole & Luna; ideo eorundem defectus mundo fœda, prodigiosaque portendunt bella, pestes, interitus, trucidationes, & annonas. Nec minus horribilis cometarum apparitio, præsertim si rubiginosis, & cruentis crinibus horrebunt. Sic pareliæ, trabes ignitæ, & tubæ, ex horum duratione euentuum duratio, & ex colorum similitudine morbi, & euentus præsagiuntur: nam si fusco colore, vel pallore infecta sunt, Saturnum te admonebunt; si sanguineo, vel igneo, Martem: vnde æstuosas febres, ignitiones, & sanguinis profusiones. Sic ex configurationum similitudine, & incessus reliqua similiter perdiscuntur. Saturni sidus rigens plumbeo pallore liuescit, oculos offendens; in quorum natalibus prænalet, facile liuidos, natura frigidos, humorib. plenos, pituitosos, & eiusmodi morbis obnoxios reddit. Martis igneum, sanguineum, & atro pallore fœdum, horrificum, minax; vt oculos lancinet, homines rubentes facit, & atros; lepram, feros lichenes, scabiem, & eiusmodi atrabilarios morbos pollicetur; vulnera ex igne, sanguineas excretiones, effluxus, æstuosas febres, pestem, mortem, & dira minatur. Nostræ naturæ contrarij sunt ambo infortunæ dicti. At Iouis lumen ex candido in atrum coruscans maxima hilaritate oculis

lis excipitur. Sic Venus eiusdem sideris æmula, peramæno & roseo fulgore aspectum commendat; quia fere concolores, ideo persimiles effectus spondent. Venustos & facie venerabiles reddit, vitam opes, gloriam, & splendorem, non nisi salutaria bona, & salubres influxus condonant; nostræ naturæ amici, & ob id *fortunæ* dicti. Sed colores, qui in his diuerse spectantur multiplici & venusta mistura in vno solo Mercurio spectanda venit. nam relucent in eo Saturni luridum; Martis igneum; Iouis calidum; Veneris flauum; nec non vtriusque nitor, hilaritasque, ob id non peculiaris naturæ, sed cum quibus fuerit configuratus, vel itidem se insinuabit, fit eorundem virtutum particeps, & vices explet. Sol vero & Luna magnitudine & luminis splendoris prærogatiua, neutiquam triuialis potestatis, sed principatum sibi vendicant, cæteris imperitant: quibus conniuent, bonos augent, malos mitigant, quibus vero aduersantur, bonos inficiunt, malos pessimos reddunt: & tandem maximus ille siderum interpres Ptolemæus per ipsam quidem constellationis quasi faciem & formam futurorum species deprehendi posse retulit. Vitæ splendor, principatus & opes ex luminum satellitio deprehenditur; stipatus namque significator beneficis eiusdem conditionis sideribus illustrem & gloria conspicuum statum decernit; contra si satellitio destitutus, & luminaria cursu vacua, obscuram vitam & abiectam deferunt. Obscuræ & nebulosæ stellæ in solis configuratione vt Pleiades, vel quæ in Cancro, Sagittarij telo, & Scorpionis aculeo, oculorum orbitates, vel hebetem aciem portendunt. Sol stellarum lucidissimus, qui cæteris lumen fœnerat, oculis, lucidissimis corporis partibus imperat. Infortunæ in altis cœli culminibus alta pericula denunciant, vt præcipitationes. Luna in flexionibus circulorum, vt in tropicis, flexuosos reddit & gibbos. In nodis vero, vt in æquinoctialibus, claudos & podagricos. In extremis partib. signorum infortunæ extremis artubus minantur, pedibus & manibus. Vitæ ortus ab oriente, mors ab occidente Sole; vitæ status è cœli medio. Arabes inquiunt, sidera in altioribus cœli absidibus collocata, pro-

ceros homines creant; in infirmis oppositis, breues & pumilos: sic in mediis recessibus, quadratæ corporaturæ. Sic multæ latitudinis latos pingueſque faciunt; ſine latitudine macilentos. Saturnus tardi motus in ſuo circulo pigros facit, & pertinaces in opinionibus; Luna velociſſimi motus mobiles, & leues mente. Sidereus Galaxiæ candor lacteum colorem natis præſtat. Heraclides Ponticus tradit, quod Caniculæ exortus priſcis ſummoperè obſeruabatur, vt ex eius colore de anni ſtatu coniecturam caperent: nam ſi obſcurior, & veluti caliginoſa oriebatur, grauem & peſtilentem fore annum: ſi clara & pellucida, ſalubrem, ac proſperum. Qui naſcuntur in ipſo terræ motus momento, ſemper pauent: in tonitru ſemper languidi: ardente cometa, ex ardenti complexione amentes; interlunij tempore, debile; aut, vt Ariſtoteles ſcribit, atra bile laborantes: & ſexcenta alia, quorum Aſtrologorum libri referti ſunt: vnde horum ſimilitudine ex ſe quiſque poterit ſcientiam præfigurare.

Somniorum interpretationis ars ex ſimilitudine deſumpta. CAP. X.

SIc etiam coniectores ex ſomniorum ſimilitudinibus præſagiunt. Anima enim è corporis functionibus ſoluta per ſomnum, & ſibi ipſi reſtituta, quaſi in receſſu quodam tota ſibi ſua eſt. In ſe ipſa reflexa per diuinitatis ſuæ principia, cœleſtemque cognationem, quælibet quæ ventura ſunt, videt: & corpori ſuo domicilio (quod tunc pene mortuum eſt) cui præeſt, quibuſdam coloribus, figuris, quantitatibus, & ſimilitudinibus ſtatum corporis explicat, & per viſiones repræſentat, vt ſibi ipſi caueat: non tamen ſemper, ſed ſuperum permiſſu. Ioſeph Hebræus regio pincernæ prædixit poſt tres dies ad priſtinum officium reſtitutum, ex vitis ſimilitudine, quam ipſe ſomniauerat, tres palmites fundentis, & ex vuis maturis expreſſum vinum Pharaoni propinatum. Et piſtori, quod poſt totidem dies patibulo ſuſpenderetur, quum tria caniſtra ſomniaſſet ſuper caput habere plena pane, & quod aues ex alto comedebant; quum aues ſuſpenſorum carnes edere ſoleant. Et Pharaoni præuidit ſeptem annos futuros vberes pecoris & tritici, totidemque annonæ & 19

famis; quod in somnis vidisset septem boues pingues pascentes in paluſtribus, & septem alios macilentos etiam in ripa deuorantes præpingues. Et septem spicas è culmo pullulantes plenas, totidemque inanes, & vredine tactas illas pulchras depascentes. Et quod ipsemet somniasset suum manipulum consurgere & stare; & fratrum manipulos circumstantes adorare manipulum ipsius, & Solem & Lunam, & vndecim stellas adorare eum, interpretatus est fore vt vndecim fratres, pāter, & mater incuruarentur, & venerarentur eum. Rursus ex subcineritio pane, quem somniauerat miles Median volui in castra Median, & peruenire ad tabernaculum, subuertere illud, & terræ coæquare, interpretatus est Gedeonis gladium castra funditus perdere, & Median capere. Statua, quam somniauerat Nabuchodonosor, erat capite aureo; brachiis, & pectore argenteis; ventre & femoribus æreis; tibiis ferreis; pede, cuius pars vna fictilis, altera ærea, & lapis de monte abscissus percussit, & abscidit statuam, & euanuit statua, & lapis mons factus est, & repleuit terram. Daniel ex Deo interpretatus est caput aureum esse Nabuchodonosor magnum; & pedem argenteum, fore regnum; partem æream, quod terræ vniuersæ imperabit; partem ferream, quod omnia hæc conterentur. Digitorum pars ferrea, terreaque diuisio regni erit. Pars contrita, pars solida, ferrum fictili mistum luto, quæ commiscentur humano semine non adhærent; sicut ferrū non commiscetur testæ; sic arbor in medio terræ, cuius altitudo nimia, vt cœlum repleret, forma pulchra, & fructifera, sub ea bestiæ; in eius ramis volucres. Sanctus de cœlo clamat, *Succide arborem, destrue fructus, & volucres; sinite radices; & herbis extrinsecis alligetur vinculo æreo & ferreo, & tingatur rore cœli; commutetur cor humanum, vt fiat ferinum; & per septem tempora duratio eius.* Idem ex Deo interpretatus est arborem esse Nabuchodonosor, cuius potestas omni terræ dominabatur; sed Angelus nunciat, filioque, quod eiicieris ab hominibus per septem annos, & eris fera, & comedes fœnum vt bos; & conspergeris rore, donec cognosces dominum tuum: sed postquam cognoueris regnum

à Deo, remanebit tibi, hoc est germen radicum eius. Sed ad Græcorum historias digrediamur. Aquila infortunium portendit; quia rapax, & sanguinolenta. Penelopē aquilam somniabat, anseres, quas domi alebat, necantem, ex Homero Odysseæ XI. vnde interpretatur Vlyssem procos sua bona destruentes necaturum. Philippus Macedoniæ Rex post nuptias visus est coniugi suæ per somnium affixisse leonem; Aristander Telmeseus coniector grauidam mulierem affirmauit; haud enim solere vacuis rebus sigilla affigi; & leonis natura parituram infantem. Alexander somniauit se cum matre concumbere; interpretatum est vniuersæ terræ regno eum potiturum; concumbere enim prosternere est; matrem, terram interpretatur; quod terra mater vniuersalis sit. Hecuba prægnans vidit in somnis se facem parere, qua regnum comburetur; peperit Paridem, cuius causa Troia combusta est, & in cinerem redacta. Quæ apud Artemidorum Daldanium leguntur, omnia ex rei similitudine desumpta. Siluæ tristitiam, & animæ perturbationem designant: sunt. n. siluæ cōfusionis plenæ: seruis plagas denunciāt, quod è siluis virgæ cædātur, quib. ipsi cædantur. Plantare arbores optimum præsagium vxorem ducentibus; nam liberos procreabunt. Mulier ager est; plātantur in ea liberi, vt stipites in aruo. Hippocrates arbores germinantes, fructib. onustas, corpus sese bene habere portēdere dixit; si steriles, humani seminis corruptionē. Si folia deciderint, humidis ac frigidis humorib. lædi. Si germinant sine fructu, calidis & siccis. Arbores, quæ tarde veniunt, tardius mala propulsare, & morbis salutares. In oleis excrementa eiicere, prosperum; quod eiusmodi excrementis delectentur oleæ: sic oleo perfundi gaudiū; mala dulcia & matura bonū, præsertim vxoratis, & amantibus; mala. n. ob dulcedinem Veneri amica sunt; acida vero, lites & contentiones. Mora & punica vulnera significāt ob colorem, & sanguinis similitudinē. Pyrū prosperū notat, quod diu asseruetur, Ficus albæ bonæ sunt; nigræ in opportuno tēpore calūnias, & detrectationes. Nuces, & quæcunq; infringūtur, strepitum & turbationes ostendūt. Laurus mulieribus bona; propter viriditatem, & speciositatem; sed iis 20

qui aliquid sperant, mala; propter eius amarulẽ etiam. Pinus ad nautas refertur propter ligna, quib. constant naues, & picem, & resinã. Arboream coronam aliter, quã supra caput gestare, sinistrum accidere notat, quũ coronæ propria sedes caput sit. Zoilus filios olea coronatos circa talos vidit in certaminibus; illos, priusquam in certamen venissent, vita functos, cum tali à terra non procul absint. Somniauit Xerxes se habere caput deuinctum oleaginea corona, cuius ramis vniuersa Græcia obumbraretur; eo omine, quod Athenæ oleæ inuentrix fuisset, in Græciam profectus, etsi multi id aduersarentur. Palma, seruis libertatem donat; quum liberorum sit gestare coronas. Spinæ, & rubi ad securitatem valent; quum sepes inde fiant. Plura apud Platonem leges, & Ciceronem libro de Diuinatione, & Natura deorum, & Valerium maximum. Et Aristides, & Iamblichus de arcanis Ægyptiorum tradunt ægrotantes somno ex similitudinib. curationes capere consueuisse; & Strabo in Epidaurici Æsculapij templo pernoctantes dicit aduersæ consuluisse valetudini. In Haruspicina eadem obseruatur similitudo; cuius aliqua etiã ex antiquorũ scriptis colligemus exẽpla; non vt eis fidem præstemus, sed vt ostẽdamus in eiusmodi, & in cunctis similitudinẽ obseruatam. In augurali disciplina equus semper imperium, & bellum significat. Apud C. Iulium equus humanis prope pedibus natus est, vngulis scilicet in digitorum modum subsciss, & ei terræ imperium portẽdi Haruspices respondêre, quem Cæsar magna aluit cura. Bellum etiam ostendit, claro Virgilij testimonio;

Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur

Infœlicem conflictũ in Numantinis in Mancinũ illatum prędixerunt pulli, qui escam acceperunt, sed ex cauea euolarunt, Iupiter maximo fragore tonans nocte, significauit Vlyssem apud Homerum iniurias procorum vlturũ. Et cum vtrinq; acies Græcorum & Troianorum in procinctu prælij starent; sanguine pluit; significans Græcorũ maximam stragem. Sacrificantib. Græcis apud Homerũ, ex ara prorepsit serpens in proximum planum, in quo octo erãt passeris pulli: Calchas bellũ aduersus Troianos in nonum annum producendum retulit.

Congruum sibi cultum sui similitudine singulas plantas demonstrare.

CAP. XI.

NEc minus diuine quam satis perspicue summus ille mundi antistes agriculturam ostendit, vt qualem cultum vnaquæque planta sibi adoptari lætatur, talem indole præ se ferret. Flagitant enim singulæ plantæ peculiarem cultum non solum sub diuersis, solo, cœli plaga, & mundi situ; sed sub eodem cœlo, breui intercedente interuallo tota varia & diuersa est, vt nil in vniuersum de eis perpetuo præcipi possit. Vnde priscorum sedulitatem in condendis earum præceptis semper vanam & ridiculam existimauimus. At quia agricultura diurno, & diuturno hominum victui adeo necessaria est, vt sine ea mortalium sors consistere non posset; naturæ industria factum est, vt vnàquæque planta sua forma, similitudine, & viuendi modo idoneum cultum & tempus demonstret; ita vt simplici inspectione, & obseruatione coniici possit. Nos paucis & perspicuis rem aperiemus. Ex siluestrium plantarum inspectione, quæ sponte naturæ nascuntur, obseruare licet. Radix vnica, simplici stylo prorepens, profundum solũ deposcit; vt cupressus, pinus, pyrus, & esculus nam quantũ corpore eminent, tantum radice descendunt. Quæ vero breui, contorta, & per summa cespitum vaga, pauco contenta est; vt olea, prunus, punica malus. Quæ gracilioribus, fibrillis Innititur, vt in villos, stamina, vel tenuissima filamenta abeat, solutam & tenuem terram exposcit, quo facilius eam subire possit; vt atriplex, blitum. At dura & solida, duramque solidamque. Quæ à caudice lata in mucronem se diffundit, vt cuspidatus cuneus videri possit, macerias, & diruta ædificia quærit, saxorumque interueniis depacta viuit, *saxifragá* dicta; vt morus, ficus, vlmus. Arbores ad germinationem properantes, vt amygdala, persicus præcox & Armeniaca, quæ Ianuario florent, primis æstiuis imbribus plantantur; quæ sero, vt morus, poterimus serius serere, vt vitis, & malus: oportet enim sub terra aliquantisper lateant, vt solo vniantur, & concipiant: & quæ intermedio tempore germinant, poterunt intermedio autumni, & veris plantari. Frumentacea, quæ ie- 21

iuno aſpectu, & macilento ſunt, pingui veruacto gaudent, & fœcundo lætamine. Ieiuna plus cibi optant ; ſicca corpora largum & pingue alimentum deſiderant ; & ſicco & macro nil vtilitatis hauriunt. Sic ieiuni & macilenti homines pingui cibo delectantur, vt colore & virib. proficiant : & in arboribus cæteroquin reapſeidem. Auerruncandam ſe demonſtrat herba, quæ vitium & importuna comes ſegeti eſt. Caduci palmites, qui vbi terram attigerint, radicantur, iterumque naſcuntur, repleturi omnia, niſi coerceantur, vt vites, ſe propagari velle fas eſt credere. Ea inſeri flagitant, quæ abortus & degeneres fructus oſtendunt. In inſitione ea coaleſcunt, quibus eadem corticis natura, quæque pariter florentia eiuſdem horæ germinationem, ſurculorumque ſocietatem habent : nam quoties humidis repugnant ſicca, & mollibus corticum duri, difficillime concipiunt. Quæ denſiori libro veſtiuntur arbores, quia ex terra copioſum humorem ſugunt, ἐμφυλλισμὸν deſiderant ; vt ficus, olea, ceraſus : aliter cum ſurculus intra corticem & lignum adigitur, corticis faſcia diſrumpitur. Quæ tenui cortice iunguntur, foris exſuccæ, pauciori humore contentæ, tanquam relicto cortice humor in interiorem medullam ſe receperit ; vt vitis, citrea, encentriſmon quærunt, & in nutritio parentis ſinu aduenam ſurculum alunt. Quibus labat humore nimio cortex, ac ſubeſt pinguis ſuccus, conuenit ἐνοφθαλμισμον. gemmã n. ex alia ſublatam includunt, & in mollibus corticum lecticis blande recipiunt, & viuaci compage coeunt. Quibus detruncata brachia non renaſcuntur, denegata eſt inſitio : nunquã agricolis cõſpecta eſt cupreſſus, picea & pinus, quæ alienos partus aluiſſet, Reſinã & picem collachrymantes, reliquarũ inoculationis, & inſitionis conſortium aſpernantur : in picea & pinus nũquam inſitus termes comprehendi. Putationẽ illæ arbores quærũt : quæ nimia fœcunditate exhauriũtur, vt vitis ; coercetur n. eius luxuries putatione, eodẽ modo quo laſciua ramorũ petulãtia ſilueſcunt, vt oleæ. Quæ vero attonſione læduntur, nil adimendum ſuademus. Quæ aquoſos & magnos breui temporis interuallo fructus producunt, paludoſis & opacis gaudent ; vt

pepo, cucumis, excurbita. Quæ magno turgentes volemo, longiusculo tempore, vt cotonea, citria, & mala humidis, vel quæ irrigari possint. Quæ minusculos; vt lotus, cornus, palma, montes & sterilia loca. Flores hilaris aspectus,& venustæ elegantiæ: vt rosæ, apricari gaudent; tristis & luridi, opaca loca sectantur, vt buxus, cupressus, solanus,& similia. Quæ quia opere huic dicato copiosè tractauimus,omittemus; sufficiat aliqua delibasse, vt ostenderemus similitudine, & sui forma omnia internas dotes demonstrare.

Homini, quæ ex plantis, eiusque partibus humana membra mentientibus oriantur, commoda. CAP. XII.

SED quia hæc similitudo vaga, multiplex, & in magno est ambitu, ne perplexa, aut magnopere confusa recensione legentium animos perturbemus, tabellam partitionis solitam subdimus, ut & memoriæ breui compendio consulatur; & rem paucis, & perspicuis in concinniorem seriem digeramus. Occultæ igitur plantarum proprietates similitudine demonstrantur, primo animantium, mox inanimatorum. Dicemus primo animantium, videlicet hominis, quadrupe- 22
dum, volucrum, piscium & reptilium, homini suis similitudinibus non solum humanos artus, quibus medetur, sed morbos; nec solum suis partibus. vtpote radice, trunco, fronde, flore, fructu, & semine; sed suis actionibus, & moribus, vt frondes retinendo, abijciendo, sobole, numero, pulchritudine,& deformitate, & vnà mores & actiones animalium. In animatorum sunt stellarum, metallorum, gemmarum, & lapidum dotes. Primo recensebimus, quæ humani corporis artuum similitudinem habent, nec solum partes, sed partium partes. Plantarum humores in alimentum assumpti, eosdē humores augent; vt pituitosi pituitā; bilios bilem; ijdemq; in medicamenta recepti delegatam vim habent eosdem trahendi. Atriplex, cuminum, ammi, liquore flauo liuescunt, continuo esu & vsu bilem augent; morbum regium & pallorem inducunt; eædem, atriplex, cuminum, & eiusmodi suopte ingenio flauam bilem excernunt, & icterum curant. Atri plantarum colores, choleram augent in tātum, vt dæmoniaci

videantur: vt brassica, thymum, papauer, hyoscyamus, morbosque inducunt atræ bilis alumnos; quorum deiectionem moliuntur earundem herbarum succi, vt brassica, epithymus, veratrum nigrum, & mandragora. Albam pituitam inducunt, eliciuntque albiflorae plantæ: ocymum, elleborus albus, sambucus, & daphnoides. Quæ sanguineo succo madent, sanguinem purgant: vt rosa, centaurium, rhabarbarum. Menses supprimunt, & vulnerariæ sunt, morus, punica, cistus, polygonon. Sic misti coloris plantæ, mistos humores tollunt: vt parthenium mellino flore per ambitum albo, pituitam & bilem educit: casia rubra, carne nigricante, sanguinem à retorrida bile expurgat: vel flauum, quæ in atram degenerauit. Lactuca, sonchus, tithymalus lactuosæ sunt, lac prouocant, & genituram adaugent. Ad alopeciam valent capillares plantæ, adiantum, trichomanes, & polytrichon Apuleij. Carnosæ, lignosæ, neruosæque, vt bulbi, abrotonū, & poterium, carnem, ossa & neruos augent, sanantque. Quæ externos artus referunt, vt orchides testiculorum speciem præ se ferentes, sunt Veneris incentiuæ. Digitis hermodactyli medentur, qui digitati sunt. Quæ internos, ad cor valent: citrium, nardus montana, & antitora; labantesque sensus reficiunt. Ad lienem asplenum, quod eum absumat: ad pulmonis vlcera, pulmonaria: ad tracheam arteriam, casia: ad mulieris vterum, aristolochia: ad vesicam, solanum, haliacacabum, & maiora, quæ tertio libro continentur.

Quod plantæ, quæ animalium partium repræsentant similitudinem, eorum virium compotes sunt. CAP. XIII.

SVNT eædem, quæ similitudine non hominum, sed animalium membrorum effigiem repræsentant, vt eorum virtutum compotes intelligantur. Hic accuratius curam impendere decet: hinc ex abstrusiore naturæ penu plantarum proprietates, & diuitiæ promuntur. Diximus in priori Physiognomonia, quod quemadmodum homo solus animalium omnium mores habebat; fortis vt leo: versipellis vt vulpes: luxuriosus vt ceruus: conuitiator vt canis: sic cunctorum animantium morbos patitur: laborat enim quartana, vt

leo; allopecia, vt vulpes, luxuria, vt ceruus: rabie, vt canis: ob id artifex natura animalium membrorum in herbis ostentauit figuras, vt perdisceret omnium miserrimus homo quomodo suis morbis opem afferre possit. Nos in hac Phytognomonica, merum & verum dogma sectabimur, quo in Physiognomonicis vsi sumus. Diximus propria signa in vestigando primas partes sibi vendicare, & propria esse signa ex animalibus desumpta: quæ cum passionibus retro commearent, mutuoque conuerterentur: vt cui signum competat, eidem & effectus: & cui effectio, pariter & signum: & quæ signis vacent, & effectibus vacent. Exemplum attulimus. Ad disquirendum proprium fortitudinis signum consideraumus animalium genus, cui in vniuersum ea insit passio: vt, 23
leonum generi, post alia animalium genera, quæ non vniuerse, sed peculiariter eandem passionem patiantur: vt equus, taurus, aper, vrsus; mox signum considerandum, quod leonino generi nunquam desit: & aliis particulariter, vt quæ fortia sint, habeant: imbecilla vero, eo careant. Id erit extrema magna habere, quod inest vniuerso leonum generi: & leo, taurus, & vrsus fortis, etiam extrema magna habent, & quibus signum id deest, sint flaccida: illud erit verum fortitudinis signum, præsertim cum illis artubus exerceatur fortitudo. Ex his arguimus: *Omne extrema magna habens erit forte.* Ad canonicam nostra redeundo, vestiganda est planta, quæ aduersus virulentos serpentium ictus præstet. Primo considerandum est in plantarum familia, cui præcipua dos sit serpentum morsibus mederi; & quum ad præsens non succurrat dignius, sit ruborum species: mox alia vestiganda sunt genera, quæ non vniuersaliter, sed particulariter ea virtute muniantur; vt pyrus, & olea: mox nota contemplanda in rubo, quam omne genus possideat & quæ aliis insit, quibus illa virtus; & illa erit vncas & hamatas spinas habere, viperarum aliarumque serpentum dentes exprimendo, quibus mordendo venenum infigunt. Rubus maxime senticosa est; pyrus & olea spinis carent, quæ gnauiter contra venenum operantur; at oleaster & pyraster spinosiores, & valentio-

res in operando sunt; & spinosæ herbæ contra venena sunt, vt tribulus, paliurus, rhamnus, spina alba, chamælco albus, smilax aspera, eryngium, & carduus benedicta, quæ non solum ad serpentum ictus, sed rabidi canis, scorpionis, phalangij & aliorum. At ne in signorum electu decipiamur, si insit vni animalium generi duplex affectio, geminumque signum, cui affectioni quale indicium conueniat, doceamus: & tunc in leone exemplum attulimus, qui duplici affectu præditus: fortitudine scilicet, & liberalitate: & duplex signum præferebat, extrema magna, & latam frontem: vtrum elata frons magnificentiæ, an fortitudinis peculiaris nota erit? hac vtendum regula illic monuimus: *Oportet animalia considerare taurum, equum, & vrsum, aliaque robusta: quæ si magna habere extrema nouimus, & munifica non sint, neque elatam frontem habeant, elata frons liberalitatis potius quam roboris præcipuum argumentum intelligitur.* Aspicienda sunt quoque alia animalia, quæ munifica sint, & elata fronte perambulent. Hac eadem methodo in hac nostra Phytognomonica vtemur. Ceruum febribus, & veneno mederi nouimus, ne vestigantium ingenia distorqueantur, vel anceps animus remoretur: vtrum phyllitis, quæ ceruinam linguam effigie repræsentat, sit contra aculeatos venenosorum ictus, an contra febrium circuitus? contemplabimur alias cerui partes, & videbimus inter alias partes cornua in eo multum ramosa, & spectabili raritate videnda: considerabimus an alia quoque sit herba, quæ ceruorum cornua imitetur, & eos sanet quos serpens momorderit, & febres inuaserint, cum præcipue cerui cornua contra venena existimentur. Ad manus venerit cuminum folia habere dissecta, ramosa, capillacea, acuta, ex aduerso alterno situ exorientia ordinata serie, in fastigiis ramosa, & dotes contra venena possidere non contemnendas: ex hoc cuminum veneni antidotum, & phyllitin ad febrium ambitus prævalere, quum videamus non solum cuminum, sed ferulacea omnia eodem foliorum habitu cornua ceruorum imitari, vt fœniculus, ferula, peucedanum, galbanum,

euphorbium : nec ab hac forma abhorret melanthium siluestre, & eosdem vsus præstat. Ex his igitur, quoniam scorpionem suis radicibus imitantur thelyphonon, cynoctonon, & aconiti species : ideo eorum morsibus medentur. Serpentes radicibus suis quercus, bistorta, & vulgaris *scorzonera*, & earum venenis opem ferunt. Muscas, & papiliones flores : cynos orchidum, & legumina ad fœcunditatem valent. Sic polypodium ad polypum : & psyllion ad pulices. Maculosas serpentum pelles ostendunt aron, dracunculus, arisaron, & anguinum allium. Squamas, pinus, picea, & eryngium, & præstant ad earum venenum. Ex ferinis artubus demonstrant viperarum caput echion; antirrhinon, vituli; cynocephalon, canis. Caprarum cornua, tragoceros; bouis buceros; galli cristas alectorolophos. Murium aures, myosota; leprorum dictamnos. Suillos oculos, hyophthalmos; & canum, cynopsis. Luporum os, iris; & draconis, dracunculus. Bouis linguam, buglossum; canis, cynoglossum; auis, orneoglossum, & cætera, quæ à linguarum formis nomen auspicantur. Serpentum dentes, senticosæ herbæ, vt diximus. Mergi collum, similax aspera; testiculos canum, cynos orchis; asini veretrum, lilium; scorpionum caudam, flores heliotropij; pastinacæ, piscis, siue trigoni; caudam, pastinaca radix; equi caudam, equisetum; alopecuros, vulpis; leontopodion, leoninum pedem; lagopus, leporis. Aparine viperarum conceptum imitatur; citrium, arbutus & iuniperus superfœtationes leporis, quorum virtutes mutuæ sunt, vt latius quarto volumine referentur.

Plantas partium similitudine hominum morbos, quibus medeantur, ostendere, CAP. XIV.

RESPONDENT & plantę suarum partium similitudinibus humanis morbis adeo vero similibus, vt verisimiles coniectentur illi morbo posse opitulari, idque dupliciter; vel morbos simpliciter figurando, vel earum ægritudinibus, quibus affliguntur, afflicto homini posse subuenire. Ad id exequendum sedula inspectione plantarum partes introspiciendæ sunt, radix, truncus, folium, flos, fructus, & semen, an parilitate aliqua morbos ostendant. Exempla erunt : Plantæ

vineum ſuccum preſſu remittentes obſoleti coloris, caput temulentia feriunt, onothera, cyclaminus, mandragora; contra purpureum ſuccum hilarem fundentes, auertunt; vt roſa, iris, myrtus, viola, Faciei maculas abolent plantæ maculoſæ; arum, ranunculus, perſicaria, quæ prorſus maculas referunt; ſquamoſæ, ſquamas, vt ſcabioſa, morſus diaboli, chamæleon. Vulnerariæ ſunt perforatæ omnes, hypericon, & gentianæ ſpecies, *cruciata* dicta. Glutinoſæ plantæ ad vulnerum vnguina eximiæ vires, conſolida maior, viſcus, aquifolium. Quartanas & tertianas tollunt quadrati & trilateri caules. Noctiuaga animalia ad hebetes oculorum acies, & nyctalopiam valent, capra, canis, bubo. Quorum oculi confoſſi renaſcuntur, nullum remedium præſtantius opinamur, ad vulnera & cicatrices oculorum, hirundo, palumbus, lacertus. Lapideæ duritiei ſemina, lithoſpermon, lacryma robbea ad deturbandos calculos nunquam ſatis laudata. Scrophularia; quę tuberculis & papilloſis capitulis ſcatet, & arum minus, tonſillas & hæmorrhoidas mulcet. Conducunt & arborum vitia hominum morbis. Longæua animalia & plantæ æquæuam vitam largiuntur; olea, palma, pinus, coruus, cornix & ſerpens. Contra ex putredine nata, vitæ officiunt. Pingues ad ſaginam valent; olea, pinus, nux, ſus, hœdus, lacertus. Ad maciem inducendam, macilenta omnia, fraxinus, cancamum, lepus, & lupus piſcis. Ad ſphaceliſmum, cicer; ad vermes, laurus, lupinus, cicer. Quæ ſupra ramos & frondes contra naturæ ordinem excreſcunt, humanorum artuum excreſcentibus & partibus medentur, vt agaricum. Quæ caudicis ſciſſuras ſuſtinent ad cicatrices & vulnera certiſſimo experimento vtiliſſimæ, olea, vlmus, & reſiniferæ. Quæ corticem abiiciũt, ad cutem deglubendam, & ſquamarum vitia, vitis, & reſiniferæ. Gummoſæ plantæ ad gummi eximium exudant medicamen, prunus, perſicus. Exudantes, & lacrymoſæ ad lacrymas & ſudores valent, thus, myrrha, & maiora, quæ quinto libro exſequi pollicemur:

Quod ex actionum similitudine plantarum vires nanciſci poſſumus.

CAP. XV.

NEc ſolum facie morbos æmulantur, ſed hominum & animalium cæterorum actiones referunt, ex quibus ſtrenui rerum abſtruſarum venatores multa poſſunt conjicere. Actiones plantarum vocamus naſcendi, florendi, concipiendi, prolificandi modum, ne id controuerſum philoſophis relinquam; nec non conſiderando tempus, numerum, motum, & eiuſmodi ſimilia, quæ plura ſunt, quam doceri aut ſcribi poſſint; nos aliqua exponemus, quorum exemplo exquiſiti vir ingenij poterit quamplurima inueſtigare: nam ſi omnia ſuperaddere auſi eſſemus, in immenſum excreſceret opus. Prolificæ plantæ quæ iuxta radicum ſtolones in numeroſam ſobolem emittunt, nobis poli famulantur, vt chamæripes, aſparagi, cratæogonum, & bulbi. Contra radices nepotum exortes, vt abies, pinus, cedrus fœtum perimunt, etiam in vtero parentis. Herbæ caule, flore, fructu orbatæ, admonent hominem maxime diras eſſe ad atocia, vt populus, ſalix, ſabina, & hemionitis. Multiferæ plantæ fœcunditati mulierum conducunt, vt quercus. Arbores quæ aliis arboribus ſterilibus præſtant vt concipiant, ad ſteriles fœcundandas valent, vt ficus & palma. Pulcherrimæ plantæ ſi ad pulchros filios procreandos valeant, non tam neſcio quam facile credo, vt palma, crocus, eliochryſos. Herbæ quæ ſaxa ſuis radicibus terebrant, franguntque, ad calculos frangendos inſignium ſunt virium, vt vix aliam reperias quæ id magis præſtet; ſic omnes congeneres conſimilis virtutis. Tempus obſeruare refert quo florem, vel fructum prę monſtrant plantæ: nam morbis eo tempore inualeſcentibus conueniunt, officioſo naturæ munere remedium demonſtrantis, & formidinis tempus prę monentis, vt dracunculus, & fraxinus ſerpentum morſibus impoſitæ, opiferæ: adeo ſerpentes fraxinum procul fugiunt, vt ne matutinas occidenteſue vmbras attingant, & ad primas ſerpentium vernationes exſerit ſe terra dracunculus, & cum iis in terram conditur nec omnino occultato eo apparet ſerpens. Scolymus eo tempore floret, quo mulieres libidinis

auidissimæ,& viri ad coitum pigerrimi. Obseruanda sunt loca in quibus aliqui vigent morbi; nam & ibi remedia connascuntur. Africa serpentum feracissima,fert aromata. In Argo copia scorpionum, ibi locusta nascitur aduersus scorpiones insurgens. In occidentali India Gallica lues, ibi & guaiacum lignum nascitur. Vnumquodque animal sui veneni remedium affert. Stelliones à demorsis deuoratæ, sanant. Crocodili adipe in vlcus instillata, suo ipsius veneno mederetur. Scorpio, draco marinus, & pastinaca, dissecti, & imposiți plagis, opiferi. Ex pulchritudine, & deformitate plantarum conjicimus salutares, aut noxias, cum rosa,lilium, iris nobis argumentum præstant quamplurimis pollere virtutibus,contra cicuta,aconitum certissimæ internecionis causæ.Produnt & odores aliarum virtutes, geranium odoratum,rosa alba,& alia moschi animalis odorem æmulantur, cordi & cerebro subueniunt, vt animal ipsum. Hirculus herba, & saxifraga hircina,& alia hirci odorem referunt, luxuriem proritant,vt hircus. Cumulatiora sexto libro dabuntur.

Plantarum,& animalium mores quomodo conijciantur. CAP. XVI.

PLANTAE, vt animalium actiones, sic & mores repræsentant, sed vt morum,ita & virtutum compotes sunt. At oportet prius animalium vires perquirantur : nos vires ex moribus perquirimus;ac ne fallamur in eorum perquisitione, cum difficilius sit plantarum & animalium mores inuestigare, quam earum partium similitudinem cognoscere. Tradetur à nobis modus;quo facile, vt spero, animalium vires possint inuestigari; immo & quæ ab antiquis reperta & tradita, vera ne an falsa sint, ad trutinam expendere possimus,& alia infinita reperiri possint. Idque non alia ratione quam eorum moribus, & mores tum ex apparentibus non internarum, externarumque partium anatome cognoscuntur: nam summus opifex animalium corporis partes ad eorum functiones explendas, accommodatas fecit, vt suos mores facile possent exsequi. Mores vocamus ingeniosa vel hebetia esse; vigilantia, & somniculosa; loquaci, tacita, & eiusmodi similia. Elephas,ceruus,simia,& psittacus, discendi facilitate

præpollent; memoriæ conferunt, obliuionem fugant, & ingenio fauent: contra mures, arietes & asini ad imperitiam, & indocilitatem inclinant. Vigilantia, vt cancri, alcyones, luscinię vigiliam afferunt; somniculosa ceu lepus, sus, herinaceus, vrsus alliciendo somno propinantur. Quæ somniant, insomnia nobis mouent; vt lepus, simia, & arietes, & interdum vera. Canora & obstrepera ad loquacitatem; vt anser, gallus, canis. Et quæ noctu vocalia, valent vt in somnis patrata narrentur, vt rana, anser, luscinia, bubo. Contra lupus, rubeta, testudo aphona, taciturnitatem inducunt. Fortissima, vt leo, draco, gallus fortitudinem. Iracunda, vt canis, vrsus, iram accendunt. Præterea sunt dissimilitudines, & mutua quædam naturarum odia inter res surdas, etiam sensu carentes, vt lapides, herbas, & animalia, adeoque cæcis flagrant discordiis, vt vires sibi impediant & refrenentur: contra sunt & pares substantiarum similitudines, vt veluti inito quodam fœdere non renitantur, sed vltro se porrigunt, vt amico fruantur consortio, quæ Græci συμπάθειαν, & ἀντιπάθειαν vocant, nos *plantarum & animalium mores* dicimus, ex quibus mirificæ vires indagantur. Cerastem horret elephas, ob id serpentes medentur elephantiasi. Equi odio habent lupos; medentur lupi anhelosis, qui morbus equos affligit. Mutuo inimica sunt serpens, & herinaceus: herinacei caro à serpentibus morsis succurrit, & serpens partum occursu vitiat, vt illico parere cogat, cum echinus pariendo cunctetur. Attagenæ ceruum amant; cuius cerebrum luxuriem mouet, quo morbo cerui obnoxij. Vulpes cum serpente amice degit, vtriusque caro ad elephantiam salutaris. Vitis brassicam perhorret, ob id ebrietatem propulsat litu, & potu. Sunt & alia naturæ prodigia, quæ septimo libro describentur, ne diutius lectorem moremur.

2

Masculas & fœmineas vires à maribus, & fœminis plantis coniectari; CAP. XVII.

RELIQVVM est vt à maris & fœminæ partium similitudine vitium signa auspicemur. Naturæ enim diligentissimi perscrutatores omnibus fere tum arboribus, tum herbis

bis vtrumque ſexum diſcriminarunt: nec pauca animaduerſione, ſcituque digna ex plantarum ſexus dignotione periclitantes edocuere. Nam quemadmodum in humana Phyſiognomonia ex ſexuum partium diſcretione internorum morum maxima pendebat notitia; ita in hac Phytognomonica non ſine magna naturæ benignitate in aliquibus diſtinctius, in aliquibus incertius plantarum ſexus diſterminatur. Eſt enim fœminæ natura imbecilla, minuſue robuſta; ideo fœmineæ herbæ minus potentes, in fœminarum medicamenta veniunt; maris robuſtior, ob id maſcula planta, quæ multo vegetiores vires habet, maribus conuenit. Ad vuluarum præſidia fœmineæ plantæ multa præſtant commoda, maſculæ iis noxiæ. Hippocrates mercurialem fœminam, quæ teſticulis caret, miris laudibus in mulierum vſum prædicat. Ad hunc modum medicorum nemo nouit ad ciendos menſes, ſecundaſque. At quia magnus philoſophus, alumnus Theophraſtus, eorumque ſequaces in ſexus diſtinctione nimis ſupinè loquuti ſunt, nos ex animalium Phyſiognomonia hoc modo diſtinguemus. Mas procero corpore præditus eſt, robuſto, oſſoſo, neruoſo, coſtis validis, brachiis, & manibus articulatis; carne duriori, ſicciorique, hirſuta; cute aſpera, colore nigriori, validus in operando, & rectus. Fœmina contrario modo ſe habet, corpore paruo, carnoſo, pingui, & glabro; in quo neque nerui, oſſa, aut venæ apparent; colore albo, fœtificans, viribus imbecillioribus, & doloſa, fraudulentaque. Sic in arboribus fruticat mas corpore celſiori, ſicco, ramis denſis, validis, lignoſis, neruoſis, nodoſiſque, fructu contumacibus, ligno coloratiori, cortice ſcabriori contecto, fructu pauco, vel plerumque ſterili, aſperi ſaporis, odorato, tardè creſcens, & tandem magis ad ſilueſtreni habitum accedens, validis viribus, in operando firmis: contra vero fœmina arbore breuiori contenta, latiori, pinguiorique, ligno laxo, imbecilli, mollicello, enodi, enerui, fragili, excolori, læui cortice, hilarique, fructu magno, pulpoſo, inodoro, ſaporis veſci, & tandem habitu corporis comptiori, floridiorique ad vrbanum & mitem accedenti, & in cultis pro-

uenienti, viribus effœtis, non firmis, constantioribusque, & quæ sæpissime fallant; sed fructu fœcundissima, celerrime crescens, & senescens. Cum enim corporis textus laxior, & humidior (quasi imperfectum genus) facile crescit, senescitque: imperfecta enim minus operosa, citius opus absoluunt, & incrementa capessunt; in mare sterilitatis causa densitas est, quæ non transmittit, & nimio robore, quo alimentum trahit, sibi consulit, & sibi soli viuit, & succum omnem in sua commoda conuertit; quum natura vtrique parti satisfacere non possit, & augmento & generationi; generatio enim partem superfluam alimenti desiderat; fœmina autem alimentum non per se absumit, sed fructibus impertit; quia imbecilla est, ex Theophrasto. Mas in alio genere concipit, mulier in se ipsa; planta in se ipsa concipit, & generat, quæ fœmina est. In animalibus quamplurima sine mare concipiunt: de channe traditur, & leporibus vtramque vim esse maris & fœminæ, & de aliis, vt dicemus. Ex his arbor durior, rigidior, macilentior, hirsutior, quæ fieri cœperit, masculescere dicitur, nascens præcipue in sabuletis, saxosis ruderibus, & apricis locis. Sic quæ mollior, latior, pinguior, glabriorque euadit, effœminari dicitur; in pinguibus, lætamine saturatis, humidisque terris, vmbrosis, vt de napis, raphanis, aliisque Græci, pariter & Latini scriptores sæpius vsurpant; & iam fœminas in mares mutatas multas legimus. Sed videamus num maiores his subscribant. Theophrastus marem tileam à fœmina differre omnimodo dicit. Namque materies maris dura, nodosa, rufior, & odoratior, cortice quoque crassior; ac detractus inflexibilis, nec semen fert, aut florem. Fœmina crassiore arbore, materie candida obsequentissima, ex qua cunæ fiunt, atque cistæ, florem & semen affert. De quercubus vero loquens; Arborum vniuersarum quo ad genera sigillatim accipi possunt, plures sane differentiæ intelliguntur; publica tamen, qua fœmina, masque distinguitur, quarum altera sterilis, altera fructifera; vbi ambo fructifera, meliorem fœmina præstat. Peculiare fago, & haliphlœo, quod in genere virili glandes postremæ

parte lapidescunt. Quercus fœmina corpore neque erecto, neque excelso; sed in orbem comat, torqueturque in alas, crebro ramorum sinu caua, glans ei dulcissima. Cerrus in genere roborum, mas excelso corpore, materie robusta, glans amarissima, nunquam in cultis nascens. Ex arundinibus armamentaria ab aliis distat præstantia nutritionis; quippe pinguiorem, carnosiorem, & in totum facie fœminæ lasciuiorem spectari, & folium maius & candidius habere, & minus lanuginis, & esse quæ omnino glabræ sint, quas *staphylias* dicunt. Spissius mari corpus Indi tradunt, fœminæ capacius. Mas cornus corticem habet neruosum & tenuem, caudicem non minus crassum; materies ei excors, totaque solida, vt cornibus spissitate non absimilis respondeat; fœmina caudice fungoso, virgulis fruticat, infirma, hians, mollis, medulla prægnans, fistulosa & inutilis. In Ida mas sterilis, fœmina fructifera. Plinius nulli manifestius sexus, quam palmis; nec sine maribus fœminas gigni confirmat, circaque singulos plures nutare in eum blandioribus comis; illum erectis hispidum, afflatu, visuque ipso & puluere etiam reliquas maritare. Huius arbore excisa viduas post sterilescere fœminas, vt coitus eius ab homine sit excogitatus. Ex maribus flore atque lanugine; interim vero tantum puluere insparso fœminis. Dum mascula floret, spatham abscindentes super fructum fœminæ decutiunt, illa eo aspersu suos fructus nullo pacto amittit; vnde fit vt bifario adiumento mas esse fœminæ valeat; fructiferam enim fœminam vocant, quod veluti coitus est. Haud secus de ficu & caprifico dicendum. Est enim caprificus in genere mas & siluestris; ficus nunquam matureſcens, sed quod ipse non habet, fœminis tribuit; nam suis fructibus fœminæ circumpositis, facit vt matureſcat suos fructus, & non labantur; ideo in siccis campestribus permittuntur ad rationem venti, vt flatus feratur in ficus, vel eius fructus aliunde allati, & colligati, injiciantur ficui. Caprificus lactis minus habet, robustior, spissior, fructuque infœcundior, ac diuturnior vita, multoque ficu validior;

nam tauros quoslibet feroces collo earum ramis alligatos mirabili natura compescit. Sed vires inuestigemus. Mas plerumque conceptus disperdit, fœmina vero ad conceptum valet. Aristolochia fœmina rotunda radice, ad vuluarum, & partuum remedia præstans, vnde nomen adepta, *mas longa*. Myrtus montana nigra maris nomen habet; domestica candida in cultis nascens fœmina, procidentiæ & vuluarum fluxionibus vtilis, mas multo validior. Longum rapum mas est; rotundum fœmina; illud venerem concitat, validiusque est medicamentis; fœmina alimentis idonea. Est cedrus mas, & fœmina, laurus, cupressus, & sabina, in quibus mares steriles & ad disperdendum conceptum valent; fœminæ fructiferæ. Phyllon Crateuæ & Theophrasti, siue mercurialis vulgata, mas qui testiculis insignitus, ad mares generandos valet, fœmina ad fœminas. Artemisiæ duo genera, vnum lætius, habitiusque, foliis latioribus, quod fœminam dicimus, alterum vnicaule, foliis tenuibus, colore flauo, ad remedia fœminarum percelebre ex regina Artemisia. Distinguunt in pæoniis sexum, ad muliebria vsitatissimæ. Althæa maris formam sibi arrogauit; malua, fœminæ; folio hirsuta, caule maiori, siluestrioremque prę se ferens habitum, ad muliebres vsus præcipua. Vrticarum asperior altera, siluestrior, nigriorque; altera non æque aspera, quam fœminam dicunt, ad menses, ad procidentes, & patefactas vuluas valens. Ex verbascis fœmina folia maiora latiora, candidioraque, caulis subhirsutus, flos albus, ex luteo pallescens, nascens in campestribus; mas niger, angustis foliis, caule tenuiori, nigriorique folio. Aëtites fœmina, lapis intra se & velut in aluo habentem argillam suauem, candidam, ipsam friabilem, prægnantibus, & parientibus mulieribus maxime valet, non ita mas. Cætera omittimus, putantes hæc suffectura. 28

Quod motu, colore, aliisque figuris plantæ siderum, metallorum, gemmarum similitudines gerunt, & earundem virium consortes sunt.

CAP. XVIII.

REFERVNT & plantę forma, colore, aliisque qualitatibus syderum similitudines, & si non explent, saltem tamen

adumbrant: nam si aliter possent, aliter quoque demonstrarent, quorum facies & vires imitantur. Ex quibus strenuus perscrutator quæ hucusque incerta ratione, & naturæ abdita maiestate latuere contemplando, non vana spe lactatum se confitebitur. Solares herbæ vel forma, quod eius hores in cẽtro bullatum glomerulum, quasi prominulum vmbonem habeant, foliolis ordinata serie in ambitu cingentibus, vt radiati videantur, vt oculorum, vel solaris faciei effigiem concinnent, vt chrysanthemo, & anthemidi. Sic enim colore, quod vt sol flauo colore coruscẽt, vel quod solis cursum sequantur, *solsequiæ* dictæ, vt ricinus, heliostrophon, helioscopius, & serides: vel quæ occidente sole contrahantur, & in aquis condantur, & mane, quasi solaris cursus prænunciæ emergant, & ad ortum oscitent, vt Niliaca lothos: vel quæ sub solis circulo nascũtur, vbi maxime viget, & feruet, in Africa, vt aromata; quia sol siderum princeps, ideo hæ omnes cordi viscerum principi valde magno emolumento famulantur, calidęque & siccæ temperiei sunt. Lunares herbæ sunt, vel albifloræ, vt allium, amaracus, œnanthes, dictamnum: vel quæ rotundifolię plenum orbem humentis Lunæ repræsentant: vel quæ lunato, siue in cornua sinuato, vel lunaria minor: vel quibus in flore, folio, & caule nigricant sordes, vel candicant maculæ, vt videantur notas imitari, quæ Lunæ faciem inhonestant, vt cyclaminus: vel crescendo & decrescendo eius vices indicant, & contrarias etiam, vt cepa, quæ Luna crescente tabescit, & decrescente gliscit; & ob id Pellusiotæ Ægyptij cepam non edendam sanxerunt: vel quod crescente Luna singulis diebus flores promant, minuta vero deponant, & ad easdem vices redeant: vel quod siliquæ argenteo colore splendeant, & lunaris luminis repercussu noctu flammulentæ videantur,
29 vt lunæ lumen referant, vt in lunaria Græca vocata, & selenitide lapide videre est: vel quod noctu flores aperiãtur ad plenam orbis lucem, eaque silente condantur: vel quod spumam, vel spumæ effigiem floribus, foliisque ostentent, vt in eorum ore videre est, qui lunari morbo laborant. Hæ omnes agnatione & participatione lunaris virtutis vulgatæ commenda-

tionis sunt ad comitiales; nam cerebrum roborant. Duobus enim maximis cœli luminibus duo maxima hominis viscera dicata sunt omnium astrologorum suffragiis, cor, & cerebrũ. Ælianus aglaophotidis meminit, quæ interdiu delitescit, noctu Lunæ instar igneo fulgore coruscat, & ad comitialem morbum commendat. Sed à re plantaria egrediamur. Eandem sortem metalla & lapides sequuntur; quippe aurum, quod solis lumen imitatur, valde cordi subuenit; sic argentum cerebro, & ad reliqua, quæ diximus, valent, quæ omnia cumulatius in libro dicentur, quem de metallorum virtutibus priuatim meditamur. Et hyacinthus cordi ex colore subuenit, quo solem refert; sic sapphirus melancholiæ; amethystus ebrietatem arcet, quia vinum æmulatur; ophites lapis ad serpentum morsum valet; quod

Pluribus ille notis variatam pingitur aluum
Quam paruis tinctus maculis Thebanus ophites.

Dionysij lapidis frustillum effractum, & in aquam solutum, vinum redolet; & ob id contra ebrietatem valet. Aëtites lapis veluti prægnans, cum quatitur, alio in vtero sonante, grauidis continet partus, cum vuluæ parum tenaces, sinistro brachio adalligatus. Sed parturientibus è brachio amoueatur, & fœmoribus alligetur, vt sine dolore pariant. Alia postremo libro describentur; nam & sexcentas, si licuisset, poteramus huc aceruare.

Quod mistæ plantarum effigies mistas, & contrarias sibi vendicent vires. CAP. XIX.

DIXIMVS de simplicibus; nunc de mistis plantæ formis; nam sicut ex humanis signis duplices hominum mores cognosci posse, iam olim meminimus reprobæ naturæ, quos nefarios & proditores dicebamus; vt quid velint, nolint nequaquam agnoscas; nec sibi satis constent, immo contrariorum sunt morum, pij, crudeles, auari, prodigi, timidi, occisores; eosdem plane mores in plantis esse non refragabimur; nec solum similes mistas, sed contrarias facultates, vt frigefacere, tepefacere, humectare, & resiccare, occidere, sanare, destruere, & opitulari, quas medici *mistas & inter se aduersantes*

facultates dicunt. Ad id cognoscendum scitote dici posse aliquod esse mistum, vel ex duobus naturis compositum; vt animalia amphibia, siue duplicia, vt castor, quadrupes, & piscis, in terris & aquis viuens, vtriusq; qualitates retinens. In plantis exemplum habes in scorodropasio, siue alliporro, ex allio & porro mista planta; cuius natura promiscua, temperatis in eo vtriusque parentis proprietatibus. Vel dicimus mistum aliquod, quod vniforme & sincerum; sed ex variis coloribus, odoribus, ne dicam saporibus, & formis conflatum est. Nobis ad has plantas cognoscendas, ea vestigia, & coniecturæ fauēt, quæ ad duplicis naturæ homines cognoscendos fauebant; videlicet calculi in oculis variorum colorum, & præcipue non communium, vt crocei igneis admisti; vel viridantes cæsiis, vel plures circuli pupillam ambientes, cærulei, & sanguinei, vel pupillarum orbes inæquales, vel orbes sordidi igneis maculis, & turbidis. Eadem fere signa Phytognomon agnoscet in plantarum floribus, qui earum oculos præ se ferunt; nam vbi colorum in eis misturam animaduerterit intermistam punctulis & lituris, quas *lugubres literas* vocant; vel frondes, radices, & caules versicolores, vel rubidis, fuscis, croceis, vel nigricantibus notulis descriptos; vel varios conspicient odores, vel aliquod insuetum, quod in aliis videre non est, quasi o præter naturæ normam, poterit illico proferre, non mistas solum, sed inter se aduersantes vires ei inesse. Exemplum apponemus: Lilium immaculati candoris, intus crocea filamenta, flos suauissimi odoris, folia nescio quid tetri, & virosi halant, mistas qualitates demonstrat. Magno centaurio flos purpuræus ad cæruleum inclinatus, radicis succus flauus subrufescens, contrarias qualitates, & effectus præstat, colore flauo; caliditate menses cit, & euellit fœtum ex vtero, & vulnera glutinando terrestris frigiditatis se participem notat, ex rufescente succo, & subcæruleo flore.

De iudicandi methodo, & quæ signa præferenda:

CAP. XX.

DIscvssis iam multis indiciis magnopere accurata recensione, ex quibus plantarum non contemnenda com-

moda in lucem venirent, nunc operæ pretium est indicare, quæ in iudicando primas partes sibi vsurpent, quæue posthabenda. Diximus in priori Physiognomonia eas notas præ cęteris sibi principatum assumere, quæ ex proprietate proficiscebantur; & eæ propriæ erant, quæ ex animalium partium collatione opportune eas referebant, vt extrema magna habere fortitudinem indicabant, quia leonis erant. Et apud nos alectorolophon gallinaceæ cristæ similia folia exerendo, ad venerea illicia præstare cognoscebamus. Secundo ea sequuntur signa, quæ humanas corporis partes mentiuntur. Ad exempla veniebant adiantium, & trichomanes, quæ rigidiusculis cincinnis, exilibusque fibrillis capillorum faciem exprimebant, & crines densos, crispos & pulchriores reddebant. Præterea quæ morbos significabant suis imaginibus, vt quæ saxeis seminibus, ad comminuēdos calculos valebant, & propria dicebantur indicia, quod substantialem formam sequerentur. Sunt & aliæ notæ, quæ potius degeneres sunt, & manifestas qualitates indicant, forma, color, odor, sapor, læuitas, hirsuties, & similia, quæ ex locorum mutatione mutabantur, & pluries in longe diuersas, & fortasse contrarias commeabant. Sed merito quispiam quæret, vt in humana Physiognomonia quæsitum; *Vtrum signa firmiora essent, quæ ex vultu, vel pectore, dorso, an pedibus sumerentur?* Diximus ibi ex vultu prima esse, & maxime ex oculis, mox ex pectore, inde ex dorso, postrema ex pedibus: eadem in hac nostra Phytognomonica obseruanda; quia dignior pars semen est, ad quod natura prę-cipue intendit: vocat Theophrastus semen perfectissimum naturę munus, & Aristoteles stirpes ad semē esse natas dixit; quia ad semen vsque duntaxat veniunt, dein post fœturam arescunt, ideo firmiora signa ex semine petēda. Echium, quia viperinum caput adeo argutis notis refert, vt ab eo nil dissideat, minime vulgari experimento valet non modo à serpēte percussis, sed eos, qui antea biberint, feriri non patitur, immo & viperæ impositum torporem inducit, & necat. Alia signa ex floribus assumenda. Respondet flos oculo. Pulcherrima in homine pars oculus, florem ad ornandum, formosumque

stirpium genus reddendum à natura liberalissime donatum retulit Aphrodiseus. Oculi ex tenuioribus, & pellucidioribus corporis partibus compositi, quod transparentes sint, & flores ex tenuioribus, & purioribus succis; quia plerumque transparentes sunt. Radix omnis fere alba, frons viridis, truncus cortice intectus est; sola in floribus colorum mistura, & varietas; & in iis solis succorum internorum mistura, & colores spectandi veniunt, & ex his abditæ vires coniiciuntur. Et si in humana Physiognomonia dicebamus animam in oculis viuere, quia inde interni, & profundiores hominum mores cognoscerentur, & cogitationes; ita in floribus plantæ natura sedet, ridetque, & inde veluti occultis verbis ægris mortalibus vires referat, & abstrusarum rerum thesauros. Et si natura in vniuersa nostri corporis fabrica admirabilis est, admirabilior nempe in oculis, quippe paruo loco humores, tunicas, colores, & misturas composuit, vt diximus; cæsios, virides, caprinos, fuluos & varios; sic & in florum formatione stupenda videri potest, paruo in loco frondes, apices, stamina, & tam varios colores constituxit, composuitque. Est enim in his carbunculi tenuior ignis; amethysti, fulgens purpura; est smaragdi virens mare; est sulphuris ardens flamma, & cuncta pariter incredibili mistura lucentia. Sed quis de mirabili naturæ proprietate florum loqui potest; lasciuientis præsertim in tam magno gaudio fœliciſſimi temporis vernæ hilaritatis? Sic signa quæ ex radicibus accipiuntur, eadem sunt, vt ea quæ ex corde. Aristoteles eas vitæ causas vocat, cum ipsæ plantam alant, & viuere faciant. Democritus tortas arbores ob id diutius viuere, quia vegetiore radice fulcirentur. Quæ ad vitam faciebant, dicebamus notas ex ventriculo desumi, minima signa quæ ex frondibus, vt ea quæ ex capillis. Possumus & alia indagine scrutari. Prisci Physiognomones in humanis moribus perscrutandis, eorum vestigia ex iis membris capienda dixerunt, quibus passio illa exercebatur, videlicet, quia cor iræ subiectum, iræ notas ex corde accipiebant, & priora esse iis, quæ ex cerebro, capite, & aliis partibus: pariter & fortitudinis à brachiis, hume-

ris, & pedibus capienda, quod iis membris palæstris vterentur; haud secus in nostra Phytognomonica. Si humores nobis purgandi sunt, plantarum humores inspiciendi, ijque assumendi, qui nostris similes. Si ad oculorum medicamenta sunt aliqua nobis ex plantis eligenda, ea ex floribus potius colligemus, quam ex aliis partibus; quæ ad ventriculum ex radicibus, tandem quæ ad semen, ex eorum semine. Præterea memorare non obliuiscamur, quæ in humana Physiognomonia commemoranda erant. Vni signo non esse credendum, & præcipuè communi, sed plura circa vnum congruentia speculanda erunt, vt ex multis in vnum congruentibus iudicium proferatur; haud dispar difficultas in hac methodo, vt si accidat læuor in frondibus, non illico inferendum humidæ qualitatis plantam, sed inspicienda natalitia loca, situs, & cœlum, his omnibus consideratis iudicandum. Id postremo duximus admonendum eos, qui huic scientiæ strenuam nauant operam, vt exercitatissimi sint in plantarum dignotionibus: oportet prius extima facies cognoscatur, quam interna occultarum facultatum, oportet enim illa cognitio anteuertat: Neque quis vnquam eorum simplicium vires conijciat, quæ nunquam aspexerit, sed vbi plantam manibus assumpserit, consideret primo integram; mox eius partes, quam diligentissime, scilicet radicem, truncum, frondes, fructus & semen; deinde natalitia loca, situm, æthera, vbi sæpius nasci solita sit; & tempus quo à terra pullulat, adolescit, fructificat, pullulandi, crescendi & fructificandi modum attentius perpendat; postremo vbi multa in vnum conuenientia contulerit, quæ coniecturam fulciant, tunc suum proferat iudicium.

Exempla coniectationis virtutum plantarum.

CAP. XXI.

SED in hac virtutum disquisitione exerceamur, rosam contemplemur, & eius abditas dotes ex suæ extimæ faciei inspectione venemur: principio manifestas qualitates, mox occultas proprietates vestigemus. Quia eius floris extrema foliorum rubescunt, vngues albescunt, & in medio crocea

ſtamina videntur, non ſimplicis, ſed miſtæ qualitatis augurabimur. Rubedo igneæ ſubtilitatis & caloris nos admonet, & ſtipticitatis: argumento, quod ſi artificio aliquo extrahatur rubedo, ab ea odor, ſtipticitas, & operandi tenuitas abit. Albedo in vnguibus, & in aliis roſæ ſpeciebus frigiditatem, & aqueam humiditatem arguit: crocum calorem, eius natalitia, loca ſicca, arida, aſpera, inſolata, ſiccitatem & aſtringentiam. Sed ad interna deſcendamus. Sui pulchritudine & decore cœleſtem quodammodo maieſtatem redolere videtur, ob id diuinis virtutib. pollere Didymus dixit. Præcipui in ea colores ſunt, rubeus in frondibus, & croceus in filamentis, ex hoc ſoluendo, flauam bilem educit, & ab ea ſanguinem expurgat: vel contra febres ex bile exortas præſtat, ex Simeone Sethi. Croceus etiam ſtaminis color eſt ictericię, & vrinæ ciendæ perquam accommodus eſſe indicant, vt ex Meſue habetur. Flagrans flammæ rubor, igni ſacro, non veteri, & inflammationibus præcipue ſtomachi ſubuenit. Cruentus color adeo, vt finxerint Poetæ ex vulnerato Veneris pede candidam adrubuiſſe, vel Cupidinis ſanguine: ob id ſanguinem ſupprimit, cruentas reiectiones ſiſtit, & vulnerariis antidotis admiſceri ſolet, ex Dioſcoride. Folia, albo & rubro colore miſta, muliebres fluxus rubros, & præcipue albos inhibent, ex Plinio. Quia vini etiam pulchellum colorum æmulatur, noxios capiti temeti vapores eius corolla aufert. Ex hominum artubus oculum præfert, & Poetæ florem roſæ *terræ oculum* vocant: ob id Zoroaſtres in Geoponicis dicit, per integrum annum non doliturum qui primum viderit calyces in planta concluſos, & ex tribus ipſorum oculos confricuerit, roſis ipſis in planta relictis. Ros inſidens roſis, munda pinna lectus, & genarum palpebris circumlitus, oculorum lippitudini medetur. Foliorum partes candidæ *vngues* vocantur, ab humanorum vnguium facie, ob id oculorum vnguibus præſtant. Sunt vngues in oculis, Celſo teſte, neruoſæ quædam adnatæ membranæ, excreſcentiæ à maiori oculi angulo, vt plurimum ad oculi coronam ita procedentes, vt

quandoque pupillam operiant, Græci περύγιον vocant. Vngues roſæ epiphoris ſalubres; vlcera enim oculorum roſa ſordeſcunt, præterquam initiis epiphoræ, ita vt arida cum pane imponatur, ex Plinio. Folia vero ſine vnguibus ophthalmiæ, ſcil. inflammationi prodeſt, ex Auicenna. Nec minus valens ad digitorum pterygia; Dioſcorides miſceri ſolere dicit compoſitionibus, quas *antheras* vocant; cuius vſus ex Celſo, Galeno, & Paulo erat ad digitorum pterygia. Spinoſa & acutiſſimis mucronibus in feſta, ob id trita extrahit ſpinas & ſurculos, qui carni infixi ſunt. Alabaſtri pilula verrucas refert, quas aufert, ex Auicenna. Crocei in vmbilico crines, capillitium referunt, ob id ſilueſtris alopecias pilo mirifice reſtituit. Multis alis caua eſt. Diapaſmata inde fiunt ad ſudores coercendos, ita vt à balneis inareſcant corpora, dein frigida abluantur, ex Plinio. Contra ſudoris virus corollarum vice collo pendere debet, Auicennæ monitu. Ob ſuam pulchritudinem Veneri dicata eſt. Alabaſtri aqua ſtillatitia, nitorem & ruborem mulierum faciei conciliat, & eius folia vtuntur ad honeſtandas palpebras, & reliqua, quæ longum eſſet recenſere.

Quid ſit phytognomonica. CAP. XXII.

EST autem Phytognomonica virium plantarum veſtigandi methodus, ex partibus & vitæ, quæ inſunt ſignis fixis, & mobilibus. Sed rationem diffinitionis reddamus. Diximus, *firmam veſtigandi methodum*; quia firmior, & veracior eſt virium plantæ veſtigandi methodus, quam ex ſignis hominum eorum mores: nam vt diximus homines ratione intellectus electum habent vitij & virtutis, quo carent plantæ. Aſpexit Zopyrus in Socrate ſigna luxuriæ, & ſtupiditatis, ſed vitia in anima non erant; quia ea philoſophiæ ſtudio abſtulerat. Diximus, *virium*; vt vitia, & virtutes amplexaremur. Diximus, *ex partibus & vitæ*; quia non ſolum ſimilitudine ſuarum partium, humanas partes, morboſque & animalium demonſtrat, ſed ex ipſo viuendi modo, ſimilitudines germinandi, fructificandi, & ſimilibus vt ſupra Diximus, *ſignis mobilibus & fixis*; nam & fixa, & mobilia eſſe poſſunt.

fixa sunt, quæ sumuntur ex seminibus, radicibus, & floribus, quæ semper eadem sunt in omni loco, & cœlo; vt in semine chij, & orchidibus: sed mobilia signa sunt odor, sapor, color, forma, hirsuties, læuitas, quæ ad soli, cœli, cultusque mutationem mutantur, vt in vrbanis & siluestribus plantis videbimus. Nominis declaratio: φυτὸν, *planta* est, γνώμη *scientia*; sunt enim γνώμονες dentes iumentorum, ex quibus ætas dignoscitur (sunt & Athenis magistratus) quasi homines accuratæ prudentiæ, qua scientia plantas cognoscendi. Et vt φυσιογνωμονία ex corporis aspectu humani mores iudicantur, sic φυτογνωμονία ex plantarum aspectu genuina: vires poterunt diuinari.

IO. BAPTISTÆ PORTÆ NEAPOLITANI PHYTOGNOMONICORVM LIBER II.

PROOEMIVM.

IACTIS *iam dicendorum fundamentis, in præsentiarum lubet, & decet particularem cuiusque narrationem aggredi; & è gentilitalibus, & natalitiis locis historiæ seriem inire; tum quia simplicioris, & minus operosæ cognitionis, ac veluti dicendorum rudimenta, tum iis primitus ignoratis, facile nobis reliquorum dilucidior doctrina interciperetur. Diximus plantarum vires alias manifestas, alias occultas esse: à manifestis incipiemus, easque ab alimentis, quibus vescuntur, cœlo quo nascuntur oriri docebimus, & ex iis quibus nascuntur misturis, ali, constare, & operari: idque liquido ex propriæ*

cuiusque plantæ inspectione à quopiam cognosci posse. Ex soli enim naturæ, cœli habitu, loci genio, & cultus illecebris, vti stirpium effigiatura, ita & dotes variari contingit. Aliæ enim vdis, stagnantibus, præterfluentibus, vel falsis aquis nasci auent: aliæ alsiosis locis: summis aliæ montium iugis, vel præruptis crepidinibus, vel depressis conuallibus: aliæ feruidis, algidis, vel temperatis cœli segmentis viuunt, aliæ omni abdicato cultu in siluis se vltro porrigentes, aliæ vireris cultus blanditiis foueri quærunt.

QVOD VNAQVÆQVE ORBIS PARS IVXTA sui cœli qualitates ex terrea materia plantas propignat.

CAP. I.

SI vniuersas plantas ex terrea, & aquea mistura gigni, ac iuxta varias locorum qualitates, eisdem misturis quibus producuntur vesci, auctoritate, ratione, & experientia demonstrabimus, Sole nitidius erit argumentum, plantas è vernaculis locis suas temperaturas nanciscì, orsi primum è veterum in natura procerum virorum sententiis. Anaxagoras Clazomenius ad Lechinonem scribens, *terram plantarum esse matrem, solem vero patrem dixit.* Theophrastus ait Anaxagoram referre, aërem omnium semina continere, quibus cum imbre vnà delatis, omnia gigni asseuerauit. Diogenem ex aqua putrefaciente, & misturam quandam cum terra capessente plantas nasci existimasse; sed Cleodemum non plantas solum, sed animalia ex mistura illa nasci; & quanto è turbidioribus, algentioribusque, tanto amplius animalium natura priuari. Sed is hæc quodammodo à sensu remota dixit, conspecta vero esse, imbres putredines quasdam, mutationesque humi facere; & cum humor altè descenderit, plantas ea ratione genitas nutriri, augerique posse, Sole feruefaciente, ac exsiccante, quemadmodum & animalium generationem confici maior ferè pars auctorum confirmat. Et terra agitata semper illius loci familiaria producere. In Creta insula quocumque loco terram mouerit quispiam, nisi seratur alia, cupressum gigni, protinusque emicare; & in semimadefactis segetibus si submoueantur, tribulum exsurgere. Sic laser in Lybia exortum imbre picoso quodam, crassoque

compluto; sed quæ annua, herbaceaque natura facilius exeunt. Plinius aquas è cœlo cadentes omnium terra nascentium causas esse dixit, prorsus mirabili natura. Hactenus de veterum placitis. Ipse enim semper consonum veritati existimaui, quod è terra tam plantæ, quam aliqua animalia nascerentur, propterea quod inest in terra humidum, in humore spiritus, in vniuersum calor animalis, vt sint *Iouis omnia plena*. Ob id absque præexistente seminio, sine vllo hominum opere, vt diuersi terrarum tractus succo, sole, situ, aliisque constitutionibus diuersi sunt; ita quoque diuersas plantas, & diuersis insignitas qualitatibus produxerunt. Eiusmodi enim solet esse corporis habitus, cuiusmodi humores, quibus nutrimur; talesque succi gignuntur, qualia sunt alimenta, quibus vescimur. Id mihi animum submouit experimentum, quod quum è profundissimis ædium fundamentis egestam humum conuasassem (vt omnis obiecti seminis suspicio tolleretur) atque sub dio exposuissem editissimis locis, ne aliunde ventus semina exportasset, non multis post elapsis diebus, è variis terræ qualitatibus in quasillis varia herbarum genera exorta sunt, sed Neapolitano solo, cœloque familiaria: nam alia argilla, alia puluis Puteolanus, alia contritus lapillus, vel tophus produxit; sic vnaquæque terra pro sua qualitate eiusdem qualitatis stirpes produxit: tophacea enim terra asphaltitem trifolium produxit, vnde mons Neapoli immines tophaceus, à Galeno *Trifolinus* dictus est, ex huius trifolij copia. Sic vrticas, rubos, mercuriales, & similia. Sic etiam passim videmus in terræaggeribus è puteis erutis, aëriq; expositis, quod sponte nascentes herbæ summam cutem amiciant & amœno virore decorent. Sed quid longius euagandum, si hæc sacrarum testimonio literarum clara sunt? Inquit Moses, quod vbi Deus terram creauerit, & ab aquis diuiserit: *Producat* iussit, *terra herbam virentem, quæ ferat semen iuxta genus suum, cuius semen sit in semetipso super terram*. Sic protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens vnũquodque semen iuxta speciem suam; quasi diceret, quod cũ Deus terram creasset, cunctaq; eius loca variis

qualitatibus insigniuisset, munifico suæ omnipotentiæ luxu vnaquæque orbis pars iuxta suas qualitates herbas produxit. Tunc niuosa montium Septenptrionis iuga tassum, thutiam, & celastrum erexerunt; & sub Solis cursu feruida Libya odorata aromata misit. Iudæa Syriæ vna balsamum; Cyrenæ, laserpitium; Sabæi thus; Arabia, myrrham, casiam, & cinnamomum; Ægyptus, sycomorum; Media, citrium; Persea, cuciopheram; Phanos insula, loton; Rhodus, aspalathum; Babylonia, palmam, mons Lybanus, cedrum; Corycus, crocum; Troia fagum; Bactri, terebinthum; Hæmus, tamaricem, Creta, cupressum, & dictamnum; Cyclades, cyperum; Ponthus, absinthium; Europæ Illyria, iridem; Macedonia, petroselinum; Athenæ, oleam; Olympia, oleastrum; Cyllene, molly, fœlicis Campaniæ colles, vites, tomulentiæ nobilis succo per omnes terras inclyto, orientis Indi, ebenum, India, Sericea vellera; occidentis Tylos, lanigeras arbores & guiacum. Nec flumina, lacus, & paludes à suis muniis feriarunt. Nilus papyrum produxit; Euphrates lotum: Strimon, tribulum; lacus Orchomenius, siden, & iuxta Lybanum iuncum, & odoratum calamum: Colchides & Galatiæ, acorum; Ægyptiæ paludes, colocasiam. Et tandem singulæ orbis partes singulas stirpes, vt sua ferebat qualitas, erexerunt; eiusdem proprietatis, quarum semina translata, ac blandimentis sata, suas qualitates adulterarunt.

Quod vnaquæque orbis pars ex terrea mistura etiam animalia produxit. CAP. II.

ET si quibus dubium videtur, quod stirpes ex aquea mistura progignerentur, consideret animalia quam plurima, & perfecta etiam ex putri limo generari, quorum ortus difficilior omnibus iudicatur; & iam de eorundem exortu variæ sunt confirmantes Philosophorum opiniones. Inter Phœnicum, & Ægyptiorum placita censeri asserit Porphyrius animalium genera ex terræ viscerib. prorepsisse Solis agente vi: Achelaus Athenienſis animalia gigni ait ex terræ calore, quæ limum lacti simillimum ad escam deliquauerit. Anaxagoras Clazomenius ex terra, humore, & calore cuncta emanasse;

atque

atque id Anaxilao, & Euripidi eius discipulo legitur apud Diodorum non displicuisse; quippe in Menalippo scribit, quum cœlum & terra in sua loca se recepissent, terram arbores; volatilia feras, & mortalium genus produxisse: nam terra putris omnino, mollis, & sole densata in suam superficiem tumores produxit, singulos suas putredines continentes; nocte circumsistente, aëre irrorante, sole consolidante, tandem putredines illas ad summum produxit, maturato scilicet partus tempore, confractis vtriculis, omnium animantium genera exclusit; quare quæ maiorem calorem sortita sunt altiuolæ effectæ sunt; quæ plus terræ, serpentes, quæ aquosa in suis generis elementa delata, pisces euaserunt. Auicenna ait, quod res quæ generatur per virtutem generatiuam, non prohibet quin possit alio modo generari: nam esse potest, quod generatio sit ad generandum speciem, sed factio sit circa indiuiduũ, & illud postea generare potest. Et quidam suus amicus procreauit scorpiones: & illi genera uerunt alios scorpiones, & potest generari homo, & ille generare & conseruare speciem: & tandem factio & generatio se iuuant ad inuicem in saluanda specie. Testis intecta, quæ Græcis ὀστρακόδερμος dicuntur, nauigiis, vel mari, fictilib. proiectis ex putrescenti spumoso limo generantur; purpuræ ex putri materia, limoque; buccinis ortus idem, in cœnoso ostrea, in arenoso conchæ, vngues & pectines; in saxorum cauernulis balani, & holothuria, per summa lepades & neritæ; in cœnosis & arenosis, pinnæ: denique testacea omnia ex limo, pro limi differentia fiunt. Sed in his fortasse dicet quispiam ideo id euenire, quia corporis congressus vel commistio fieri nequit, sed plantarum more nascuntur. Idem in perfectioribus ostendemus. Anguillæ ex fæculentis stagnis aqua omni exhaustis, ac limo detracto generantur, si aqua plurima affluxerit. Aphiæ etiam ex superfluitante in mari spuma post multos imbres nascuntur. Mugilis & cyprini ortus idem. Quippe videre licet locum conuallibus vndique septum, quem fons nullus irrigat, nullus alluit lacus, denique nil præter cœlestem imbrem admittit, & cum eum imbres replent, illico variis piscium

generibus repletur. Quæ omnia Aristotelis, Æliani, Athenæi testimoniis clara sunt. Ranæ etiam, quæ suos in aquis natales habent, ex paluſtri limo generantur; nec solum ex limo, sed per se etiam nascuntur, consperſis tantum imbre litorum, & itinerum puluerulentis arenis, *temporariæ* dictæ, sic etiam serpentes. Macrobius in Ægypto mures ex terra; & imbre nasci scripsit. mitto anates illas, vel eius congeneres aues in Scotia, in Orcadibus, & ad Temesim amnem, quæ conchis nascuntur, quæ nauium musco & limo semiputridis carinis euelluntur, labantes in sicco moriuntur; quas vero æstus maris alluit, conchis excluduntur.

Plantarum alias peregrinationes passas, alias minime, & alias mediæ naturæ esse. CAP. III.

PLANTARVM, quæ supra memorauimus, aliæ tam miti vrbanoque ingenio sunt, vt ad nos è suis peregrinatæ regionibus, nactæ humum suæ naturæ accommodum, cœli tractum, nec non alimentum ei simillimum, quo suis in locis alebantur, patrij cœli oblitæ, adeo cicuratæ sint, vt vernaculæ videantur. Multæ enim Romam asportatæ fuerunt à maiestate illa terrarum principis populi Romani; Persicum à Persea; cerasum à Cerasunte Pontici municipij in Italiam à Lucullo allata sunt, Mithridate debellato; tamque apud nos fœcunda sunt, & læta prosiliunt, vt potius Persæ & Cerasuntij à nobis petiisse, quam ad nos misisse videantur. Zizypha & tuberes æque peregrina sunt, atque è Syria & Africa Sex. Papinium attulisse scribunt. Pistacia Vitellius in Italiam primus intulit è Syria: sic amygdalæ è Thaso Thraciæ vrbe; castaneæ à Castana Magnesiæ oppido, vt Nicander ait. Iuglandes peregrinas esse & è Regibus Alexandro Magno, & aliis translatas indicant, Græca nomina, quod *nux basilica* nuncupatur. Citrium è Media, vel Hesperidum hortis in Græciam Herculem detulisse tradunt; cydonia è Cydone Cretæ oppido; granata è Carthagine, & ob id *mali Punici* nomen sibi vendicasse; myxa, & damascena pruna è Damasco Syriæ aduecta. Aliæ vero vel cœlo inuidente, vel solo repu-

guante, tam rudis, contumacis, ferique ingenij ſtirpes ſunt, & indociles naſci alibi, quam vbi cœpere, nec in alienas commeant terras, vt ne quamplurimis quidem obſequiis, ac in fatu illecebris noſtro huic tractui aſſueſcere potuerint; ſed cœli clementia, hortorum amœnitate, reliquarumque ſtirpium conſortio ſpretis, in ſua loca, à quibus originem duxere, tandem ſe recepere. Faſtidit balſamum alibi naſci; non habet vires frutex cinnamomi in Syriæ vicina perueniendi; non ferunt amomi, nardique delitiæ, ne in Arabia quidem ex India naue peregrinari; tentauit etiam Seleucus Rex. Et ſi arbores ipſas plerumque exorauimus, vti viuant, atque tranſmigrent; & à ſolo aliquanto impetrauimus, vt alienas alat, aduenaſque nutriat, cœlum nullo modo quit flecti. Virgilius;

Diuerſæ arboribus patriæ; ſola India nigrum
Fert ebenum, ſolis eſt thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
Balſamaque, & baccas ſemper florentis acanthi?

Aliæ ſtirpes ſunt, quæ & ſi alienis in locis viuunt, maxima cultus diligentia viuere coactæ ſint ob cœli, telluris, alimentique diuerſas conſtitutiones, nec augeri, nec fœtificare valuerunt Babylonia inclyta eſt palmis; ſunt in Europa, ſed ſteriles; ferunt in maritimis Hiſpaniæ fructum, verum immitem; dulcem in Africa, ſed euaneſcentem; nec in alia terrarum parte, niſi in calida; ſed nuſquam frugifera, niſi in feruida: nam etſi promiſit, oſtenditque, ea educare faſtidit, quæ tanquam inuita peperit: ſed ſi quis noſtratem hanc palmam apud Babylones ferat, & reddi fructiferam, & loci illius domeſtici ſimilem. Viuit in Italia piperis arbor, caſiæ etiam in ſeptentrionali plaga; vixit & in Lydia thuris; ſed vnde ſorbentes ſuccum omnem ex eis ſoles, coquenteſque lachrymam? Perſea in Ægypto & locis proximis fructificat, in Rhodo vſque ad florem dumtaxat deuenit. Sic etiam de moro Ægyptia retulit Theophraſtus. Frigus inimicũ lauro eſt; circa Boſphorũ Cimmeriũ Panticapeo vrbe omnimodo laborauit Mithridates Rex ſacrorũ cauſa laurũ, myrtumq; habere, & nõ

contigit. Ederam in Asia parte superiore Syriæ nasci negauit Theophrastus; nec in India, nisi in monte Mero. Quin & Harpalum omni modo laborasse, vt sereret eam in Medis fructu. Sic centaurium in Elio agro fœcundum est; in montuosis, infœcundum; in planis flosculo tantum gaudet; in concauis nec floret quidem, nisi improbe. Casia nostro orbe si nascitur, non frugifera. Ob id optime dixit Plato, *variis rerum generationibus esse visuntur in terris loca varia.* Et porphyrius, locus non secus ac patria est principium generationis: ob id non vbique locorum quælibet planta, vel animalia gignuntur.

Quædam animalia aliquibus locis non sunt; aliqua transmigrationem patiuntur, aliqua mediæ naturæ esse; CAP. IV.

IDEM in animalibus conspicere licet. Sunt rudes & alpini homines vrbium delitias aspernantes, nec alibi quam in suis mapalibus habitare possunt. In nonnullis locis alia gigni nequeunt, in aliis generantur minora, & breuioris vitæ, nec prosperæ, plurimumque discriminis ex ipsa regione oriri, certum est. De quibus Plinius: Rerum naturam non solum alia aliis dedisse terris animalia, sed in eodem quoque situ quædam aliquibus locis negasse. In Mesia silua Italiæ non nisi in parte reperiuntur glires. In Lycia dorcades non transeunt montes Syris vicinos: onagri montem, qui Cappadociam à Lycia diuidit. In Hellesponto in alienos fines non commeant cerui: & circa Arginussam Elatum montem non excedunt, auribus etiam in monte fissis. In Pordoselene insula viciniam mustelæ non transeunt. In Bœotiæ Lebadia illatæ, solum ipsum fugiunt, quæ iuxta in Orchomeno tota subruunt arua, talpæ. In Ithaca illati lepores moriuntur: in Ebuso cuniculi non sunt, scatent in Hispania, Balearibusque. Cyrenis mutæ fuere ranæ, illatis è continente vocalibus, durat genus earum. Mutæ sunt etiam nunc in Seripho insula: eædem alio translatæ canunt. In Italia muribus araneis venenatus est morsus; eosdem vlterior Apennino, regio non habet; in Olympo Macedoniæ monte non sunt lupi, nec in Creta insula, vbi quidem non vulpes vrsive, aut omnino nullum ma-

leficum animal, præter phalangium. Mirabilius in eadem insula ceruos, præterquam in Cydoniatarum regione, non esse; item apros, & attagenas, herinaceos. In Africa autem nec vrsos, nec apros, nec ceruos, nec capreas. Milesij, agri locis propinquis cicades alternis gignuntur, alternis non. In Ponto neque mollia neque testata sunt. In Illyria, Thracia, & Epyro asini parui habentur. In Scythica terra, & Celtica nulli, propter immodicum frigus. Leones in Europa potius sunt, pantheræ in Asia, in Europa autem nullæ. Ibis Ægypto peculiaris est. Et tandem multæ sunt, quæ si aliis locis transferantur inuitæ, ægrotant, & moriuntur.

Ex loci mutatione plantarum qualitates mutari, & animalium;

CAP. V.

SED peregrinæ plantæ aliis locis inquilinæ, si solum, idemque cœlum nactæ fuerint, vt ad cognata translata videantur, easdem vires habituras quis nescit; At loci genio non consentiente propter internas soli, cœlique qualitates, diuersas sortiri temperaturas congruum videtur, vt pristinæ virtutis pars aboleatur; pars autem remaneat: at longis dissita loca spatiis, vt omnino contrarium nanciscantur solum & alimentum, de sua natura demigrabunt, vt vix pristinæ aliqua inhæreant vestigia, & fere aliam suscipiant naturam, vt paulo post videbimus, quum in vitiũ, vel alias species abeant. Vitruuius à soli proprietatibus plantarum immitit qualitates explicatius probat: *Hæc*, inquit, *dissimilibus saporibus à terræ proprietate perficiuntur, vti etiam in fructibus videtur.* Si enim radices arborum, aut vitium, aut reliquorum seminum non ex terræ proprietatibus sucum capiendo ederint fructus, vno genere essent in omnib. locis, & regionibus omnium sapore. Sed animaduertimus insulam Lesbon vinum protropon, Mœoniam catacecaumeniten, item Lydiam Meliton; Sicilia Mammertinum; Campania, Falernum; in Tarracina, & Fundis Cœcubum, reliquisque locis pluribus innumerabili multitudine genera vini, virtutesque procreari, quæ non aliter possunt fieri, nisi quum terrenus humor suis proprietatib. saporũ in radicibus infusus, enutrit materiam, per quã egrediẽs ad cacumen,

profundat propriũ loci, & generis ſui fructus ſaporem. Quod ſi terra generib. humorum non eſſet diſſimilis & diſparata, non tantum in Syria & Arabia in arundinib. & iuncis, herbiſque omnibus eſſent odores, neque arbores thuriferæ, neque piperis darent baccas, nec myrrhæ glebulas, nec Cyrenis in ferulis laſer naſceretur: ſed in omnib. terræ regionib. & locis eodem genere omnia procrearentur. Has autem varietates regionib. & locis inclinatio mundi, & Solis impetus proprius, aut longius curſum faciendo tales efficit terræ humores, quæ qualitates non ſolum in his rebus, ſed etiam in pecoribus, & armentis diſcernuntur. Contingit mutari fructus, inquit Theophraſtus, aeris, & terræ qualitatibus; hæc enim ſunt quæ alimentum his ſuppeditant, nec ſolum ſemina & plantæ, ſed mutantur & animalia. Mutantur fructus odore, colore, ſucco & magnitudine: ſemina nigra in candida mutantur, & candida in nigra. Myrtus in Ægypto odoris ſuauitate præſtat: acida punica præſtabiliora euadunt in Ægypto, & Cilicia; alia enim dulcia, vinolentaque fiunt; alia ſine ligno & ſpecie viſenda, quæ mutatio non protinus, ſed tertio anno fit, & ad ſummum alimenti qualitas omnia facit. Perſeam in Perſide tam præſentis veneni eſſe, vt veſcentes interimat; in Ægyptum vero tranſlatam, & peregrinatam mitigato cœlo pomum euaſiſſe eſui iucundum. Cicuta apud nos effœtarum eſt virium; ob id Thraſias Mantinenſis, & eius diſcipulus Alexia ſumendam cicutam cenſebant, non vnde libuerit, ſed è Suſis, & ſi quæ alia loca prægelida, & opaca conſtarent. Niger elleborus hebes, imbecilliſque, multis in locis expetitur, ſed in monte Oeta præſtantiſſimus eſt, & melior Parnaſio, aeris & alimenti varietate. Qua de re Hippocrates Democritum curare geſtiens, è montibus colligendam curauit. Iris in Illyria melior erit quam in Macedonia; in Thracia vero, cæteriſque frigidioribus locis cocturæ repugnantibus odore penitus caret. Dictamni, & pſeudodictamni eandem eſſe naturam exiſtimant; ſed quod lætioribus locis exit, degenerare, falſumque cognomine. Et tandem nullum eſſe locum, qui mutare non queat, affirmat. Arum Cyrenis minimam præſtat

actimoniam, adeo vt rapis in cibum præferatur; verum in quibuſdam frigidioribus locis adeo feruens & mordax eſt, vt mandentium os & fauces exurat. Braſſica in Ægypto non eſtur propter amaritudinem; in Italia, & præſertim Neapoli, ſuauiſſimum eſt olus. Capparis in Libya mirum in modum acris eſt; in Apulia diurnus & diuturnus eſt cibus. Floridi caules, qui è Cypro Venetias aſportantur, apud nos florentes cauliculos primo ſatu donant, vt Cypro, ſed ſecundo aut ſaltim tertio tranſit in vernaculos. Aſphodelus ex Heſiodo, & cepæ idem vbique demonſtrant, quorum acrior aut mitior ſapor agri ſequitur conditionem. Semina ex coctilibus in coctilia, & ex incoctilib. coctilia fieri Theophraſtus alimentis acceptum refert; loca enim prætenuia, ac inſolata obſequioſum alimentum, & facile donant, vt in Lemno & Ægypto etiam aeris cauſa; contra enim frigidiora loca, & ſpiſſa, vt figularis creta, vel madida & paluſtria incoctilia, exſucca, lignoſa, & contumacia præbent, ob id fruges, quæ ſub dio in area manſerint, in obſequioſas fieri, & contumaciores iis quæ ſtatim auferuntur. Lapidoſa pyra in ſaxoſis locis naſcuntur: frumentum & cæteræ fruges præponderant propter alimentorum facultatem. In inſitione fructus, ſapor, odor, magnitudo, color, & forma ex ſubiecti trunci qualitate mutantur, vt latius diſputauimus in noſtris libris de Agricultura; & tandem ſuccus per plantarum poros per cuncta meabilis ſubiens, eas tranſmutat, vt lapideſcant, & ferreſcant etiam, vt ita dicam, ſi ſuper ferri mineras oriantur, eadem cute permanente & grauitate, & duritie ferrea. Viſitur in quibuſdam locis, vt Georgius Valla refert, petrifico ſucco abundantibus, qui per radices & trunci poros exſuctus, radices ipſas, truncum, ramos, folia, & flores in lapidem conuertit. Hæc eadem in animalibus: nam alimenta, vt aqua, in eis colorem, & qualitatem commutat. Ariſtoteles ait, animalium omnium colores ab aquis permutari. Sunt & Bœotiæ Cephiſos, & Melas, & Lucanis Cratis, inque agris Clazomeniorum, & Erythræorum, & Laodicenſium fontes; quorum potu, quamuis alba, proueniunt leucophæa, in aliis pulla,

aliis coracino colore. In campis Troianis Scamander armenta rufa facit; ideo hoc flumen Iliacenſes *Xanthum* appellant. In Scotiaoues flauenti lana ſunt, quod ex potu, pabulove prouenire ſcribunt. Theophraſtus in Macedonia ait, qui candida ſibi naſci pecora velint, ad Aliacmonem ducere; qui nigra, aut fuſca, ad Axium.

Probatur artis & naturæ experimento plantas è terræ qualitatibus vires exſugere; CAP. VI.

AD veritatem hanc elucidandam, quod ex variis locorum ſuccis ſuas hauriant qualitates ſtirpes, ſi quas ſuperius adduximus auctoritates, & exempla minime ſuffectura iudicabit quiſpiam, numeroſa experimenta adducemus artis & naturæ; videbimuſque quod ſi caſu, vel arte id efficere valemus, multo credibilius natura id effici poſſe; nec ſolum id in plantis, ſed in animalibus etiam accidere. Et primo terra natura ſalſa, ſapores vini & pomorum corrumpit, Virgilio docente;

Salſa autem tellus, & quæ perhibetur amara
Frugibus infelix, ea nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſeruat.

Naſcens Eleaticus inter vites, recenſet Theophraſtus vinum vſque adeo reddere prouocans vrinas, vt omnes qui bibant graciles admodum ventre efficiantur. Sic elleboriten fieri dicit Plinius ex veratro nigro. Cato docet, ſic fit & ſcammonites. Mira vitium natura ſaporem alienum in ſe trahendi, qualem & Salium redolent Patauinorum in paluſtribus vindemiæ. Sic & elleborum ſeritur in Thaſo, aut cucumis ſilueſter, aut ſcammonea, quod *vinum ectromatium* vocant, quoniam abortus facit. Columella prohibet ſtercus vitibus ingerendum, quod vini ſaporem corrumpat. Mandragora vitibus adnata, ſomnificum facit vinum. Si naſcitur mercurialis in vinetis copioſa, ſuo ſapore vinum inficit, & bibentibus ingratum redditur. Lupini in vinetis conſiti, amari ſaporis vinum reddunt. Silueſtre allium Franciæ, & Brabantiæ colonis in aruis inuiſum naſcitur; quia tritico innatum praua odorem & ſaporem communicat, quo farina & panes

imbuuntur. Rutam, quæ in Macedonia circa Haliacmon amnem prodeat, comedentes affirmat Dioscorides emori: cum montosus is sit locus, & viperis scateat. Nec obscuriori experimento animaduertere licet in plantis, quæ supra alias plantas innascuntur. Cassitha suis clauiculis finitimis plantis annectitur, vbi alimentum vberius nacta, suæ radiculæ exarescunt, exfugendo alienum genium defraudat. Veteres Græci eius virium non meminere, quod non proprias, sed cui innascitur plantæ vires æmulatur. Arabicæ factionis Medici inquiunt, si calidæ stirpi inhæret, calidam sortietur facultatem; si decubuerit frigidæ, vim sibi frigidam vindicabit. Qui facultates illi tribuere, vires illius longe magis gliscere pollicentur, si parentis ingenium ei patrocinetur. Filicula, quæ arborum caudicib. adnascitur, purgatiori succo, concoctiorique alitur, ob id à Mesue præfertur ei, quæ solo aut muscosis lapidibus adnascitur; nam suo inconcocto humore flatuosa est, & ventriculum subuertit, eique obest; sic de aliis, vt viscо, hipeari, stelo. Valde animaduertendum esse ab iis, qui fungos edunt; nam edules perniciales multis de causis gignuntur. Si enim caligatis clauus, aut chalybs, aliqua rubigo, vel panni marcor adfuerit, aut si iuxta serpentis cauernam, omnem illico succum in venenum decoquunt; vel si noxiis arboribus adnascuntur, vtpote taxo, thapsiæ, & similibus, capaci venenorum cognatione virus exsugunt. Nonnullæ sunt herbæ supra mineralia nascentes, virtutem quandam metallicam haurientes, quarum succus hydrargyron glaciãt, quod aliquando non paucæ admirationis exstitit. In citeriore Germania infra Danubium vites emergere scribunt, quæ clauiculas & plerunque folia ex auro ferunt. Idem legimus in Pannonia euenisse, cuius causam aurifodinis sub vite latentibus adscribunt. Crocum silueſtre quod sulphureis Phlegræis montibus innascitur, sulphuris virus hauriens, stannum aureo, & pulcherrimo colore tingit: Idem etiam arte fieri contingit: nam mutatis alimentis, inquit Theophrastus, omnia arborum genera permutari videmus: quippe ex silueſtribus mitiora redduntur. Cum injicitur alimentum radicibus,

ab his omne alimentum transmittitur, & dispensatur, & è radicibus inito principio protinus stirpem alterat, & postremo fructus immutat; quale namque principium, tale quoque illud sequatur, quod ab ipso principio prodit, necesse est. Adaquatio granata dulcorat, & mollificat; quippe aut nullo, aut molliore intus ligno, & meliora fiunt. Stercus enim suillum suis radicibus iniectum, dulcem ex acido efficit succum. Cucumerum semina lacte & melicrato macerata, dulciores producunt succos. Cato vitibus ablaqueatis ad mouendam aluum atri veratri fasciculos circumponit; de his vitibus quod deligit vinum, cyatho in cæteram potionem addito, aluum mouet sine periculo. Pruna purgatoria efficiuntur circa radices iniecta aqua, in qua prius colocynthis ebullierit; sic enim venenosis succis vitis, vel ficus radices inficiuntur, vt pernicioſos producat fructus. Vnde si ars efficit, vt rei radicibus obrutæ facultas in fructus transeat, quis aliter sentiet, vt cum terræ proprietas natura huiusmodi sit, atque radicibus primo affectis tales plantas non futuras?

Probatur naturæ & artis experimento animalia ex alimento vires exsugere; CAP. VII.

IDEM etiam in animalibus experimur. Aqua Pyræi agri, inquit Theophrastus, non plantas tantum, sed homines, qui in ea lauantur, leprosos efficit. Pueri à nutricibus cum lacte ingenium hauriunt. Pollux sanguinem ferinum cum lacte canibus præbere dicit, vt aptiores sint venationi. Est enim plantarum lac succus per radices haustus terræ, cuius qualitate plantæ ingenium informatur. Arcades non medica- 41
minibus vti tradunt Theophrastus, & Plinius, sed lacte circa ver; quoniam tunc maxime succis herbę turgent, medicanturque vbera pascuis. Bibunt autem vaccinum, quod boues omniuori sunt herbarum. Quibuscunque in locis pecora scammonium, veratrum, aut mercurialem pascuntur, lac omne ventrem, & stomachum subuertit; quale in Iustinis montibus esse à Dioscoride proditum est. Siquidem capræ, quibus candidum veratrum pabulo fuerit, primo foliorum partu euomunt, & eorum lac hastum nauseam creat, & stomachum in

vomitionem effundit. Sed caprinum aluum minus tentat; quoniam pecus hoc astringentibus pabulis, robore, lentisco, oleagineis frondibus, & terebintho magna ex parte vescitur, vnde stomacho accommodatissimum reddi solet. Pecus depascens scammonium, ac elleborum omnino mouere aluum Galenus tradit. Pecudum lac allio vescentium, allio caseum olet. Serpentes, quæ balsamo vescuntur, lethales non sunt, quum balsamum venenis medeatur, Æliani testimonio: Pecus purgari silphio scribit Theophrastus, pingueſcereque vehementer, & carnes mirabilem in modum suaues esse. Apes mel optimum, & venenatum conficiunt ex herbarum floribus, quibus vescuntur. Heracleoticæ colligentes mel ex flore ægolethri in Ponto, mel venenatum efficiunt. Aliud genus melli in eodem Ponti situ *manicon*, siue *mœnomenon* appellant, ab insania, quam facit, existimatum rhododendri flore contrahi, quo scatent siluæ. In Sardinia progenitum, virus habet; Sardoum, vel Colchicum infame traditur amaritudine. Ex buxo soluit aluum. Qui auiculas, quæ taxi baccas Italiæ deuorant, ederint, alui profluuio corripiuntur. Cyrrhei perdices cibi gratia non capiuntur, quod allia deuorent, & carnem insuauem habeant. Coturnicibus veratri semen gratissimus cibus, quamobrem eas damnauere mensæ. Coruos, qui æstate capiuntur, cauere oportet; quia eo tempore serpentibus vescuntur. Lepori coagulum optimum ad cogendum lac, quia lactuosis herbis vescuntur, vt lactuca siluestri. Tactis radicibus vitis elaterio, aues non tangunt vuas. Ex his medicorum optimum inuentum, ne nauseam iis moueant, qui difficulter medicamenta admittunt, animalia his alunt, quæ volunt ægros sumere, dein ægro propinant. Exemplum erit: Si quis calculo mederi velit; hircum per hebdomadam lauro saturat, cuius sanguis calculo laborantibus datus cum vini cyatho proficiet; nam & laurus calculosis medetur. Ad hydropicos valet hircinus sanguis, qui lentisco pascatur. Ad splenem, serum caprinum, qui hedera. Gallinacei pulli, qui lacte, & panis micis saginantur, prestantissimum saporem exhibent, mireq; cũ palato ineunt gratiã. Et anser caricis nutritus,

tum ad medicinam, tum ad gulæ saporem optimus, & præsertim iecur. Cuiusuis quadrupedis caro deterior est, quæ palustribus quam quæ editioribus locis nascatur. Nec omittam puellam illam Alexandro Magno ab Indorum Regina dono missam, quæ ab infantia serpentum veneno depasta fuerit; cuius natura abierat in serpentem, vt iis perinde aleretur, ac consuetis cibis reliqui; hæc solo morsu hominem pernecasset, vel si quis cum ea coiuisset. Sed Alexander Aristotelis admonitu ab ea abstinuit. Alia quoque subderem experimenta, ni prolixior existimarer.

Vires, quas possident animalia, pleraque ex alimentis habere.

CAP. VIII.

NON ab re fuerit obiter commonere, quas possident animalia, vires, maiori ex parte ex alimentis prouenire: nam pabuli varietas in causa est, vt non solum diuersi, sed eiusdem generis animalia, carne succo, sapore, & forma differant; & loca ratione pabuli diuersa sunt. Aliqua enim corticibus, foliis, spinis, & sarmentis vescuntur, & constringũt; alia spermologa, alia carniuora, & similia. Nos exempla apponemus aliqua, vt quæ scripsimus veriora esse demonstremus, & doctis ansam præbeamus peregrinorum animalium vires coniectandi. Auerroes in colliget inquit, animalia, quæ terræ nascentia comedunt, temperatæ sunt complexionis, vt pecudes, boues; & volatilia, vt gallinæ & perdices: quorũ os paruæ sciſſuræ, est solipeda, vel sciſſis vngulis, cũ sine præliis pascantur. Asinus spinis adhuc teneris vescitur, foliis, & perticis salignis; vel obiecto fasce sarmentorum, paleis, hordeo, furfuribusque hordeaceis. Ad sanguinem vndequaque fluentem adhibetur asininus sinus, cuius cinis dysentericis, & cœliacis medetur, ex Plinio. Eiusdem pabuli equus, cuius coagulum ex Dioscoride cœliacis & dysentericis conuenit; simus aridus insperſus sanguinem sistit, etiam recens olfactus, ex Plinio. Bos commode pascitur vbi nemora herbida, virgulta, fruteta, carecta, & fruges, ex Columella, dentibus summitates tantum herbarum carpit. Si sanguis rejiciatur, efficacem tradunt bubulum sanguinem modice cum aceto sumptũ, 42

& ad remedia cœliacorum, & dyſentericorum. Camelo proſca ſunt ſpinoſa, lignoſa, fœnum, & hordeum; eius ſanguis rixus dyſenteriis prodeſt, diuturnoque alui profluuio, ex Hari. Stercus alui, & naſi fluxum ſanguinis ſiſtit, ex Plinio. Caprinum pecus dumeta potius, quam campeſtrem ſitum deiderat, aſperis, & ſilueſtribus locis optime paſcitur; nam nec rubos auerſatur, nec veprib. offenditur, arbuſculis, frutetiſq; maxime gaudet, vt alaterno, & cytiſo agreſti, nec minus iligneis, querniſque fruticib. ex Columella Virgil.

Poſt hinc digreſſus iubeo frondentia capris
Arbuta ſufficere. & alibi:
Paſcuntur vero ſiluas, & ſumma Lycæi,
Horrenteſque rubos, & amantes ardua dumos.

Eius pili vſti omnes fluxus ſanguinis & dyſentericos ſiſtunt; ſic ſanguis, ſeuum, & medulla, ex Dioſcoride, & Galeno. Capræ ſilueſtres in ſummis montibus paſcuntur, herbis è ſaxis proſilientibus, & ſaxifragis. Martialis;

Pendentem ſumma capream de rupe videbis;
Caſuram ſperes, decipit illa canes.

Ob id ſilueſtrium caprarum lotium ad calculos datur, ex Aetio, Alexandro Tralliano, Philagrio, Plinio, & aliis. Idem cibus & ouilio pecori, cuius ſeuum ſanguinem ſiſtit; lac dyſentericos. Cerui fruticibus, & herbis paſcuntur. Sanguis eorum aluum ſiſtit, ex Plinio: dyſentericis & cœliacis profi-cit, ex Dioſcoride. Elephantes truncos gratiſſimo in cibatu habent, palmas excelſiores fronte proſternunt, ac iacentium aſſumunt fructus, ex Plinio & Solino. Cum pabula defecerint, radices effodiunt, quibus paſcuntur; præter alios cibos hordeum comedunt, cicures hordeo, paleis & foliis, ex Ælia-no. Ebur vim aſtringendi habet, ex Dioſcoride. Herinacei in ſepibus dumoſis, & vineis diuerſantur, & pomis per æſta-tem congeſtis in arboribus, hieme cum latent; veſcuntur; cuius renes dyſenteriam curant. Moſchi capreolus herbis odoratis paſcitur, ſpica nardi, & myrrha, ob id ſanguis eius in vmbilicum collectus euadit in moſchum: confortat cor, labantes ſenſus reficit, cerebrum roborat, & alia operatur, quæ

odorata. Vnguis odoratus, Græcis ὄνυξ dictus, operculum conchylij est, in Indiæ paludibus inuentum, vbi regio nardifera: nardi frondibus vescitur, ob id odoratus: locosas mulieres, & vteri strangulatu concidentes, quum suffiuntur, exuscitat, ex Paulo, & cætera, quæ odorata. Sus radicum maxime appetens, glandes suauiter edit: iecur assum aluum sistit, fimi ciuis dysentericis datur, ex Plinio. Sunt & animalia carniuora. Auerroes: Diuersificantur animalia secundum diuersitatem ciborum; quoniam comedentia carnes temperamento sunt calido, & sicco. Conferunt quibus hæ qualitates iuuant, videlicet hæmorrhoidibus, colicæ, paralyticis, podagricis & melancholicis morbis in medicamine, at in cibo augent, ex Auicenna. Scissura oris ampla sunt, vnguibus armata, quum venatione viuant. Vescitur leo crudis carnibus; multa deuorat solida, sine vllo dissectu; eius caro declinat ad siccitatem, bilem atram in cibo generat, cæteris calidior; prodest paralyticis sanguis, curat cancrum ex Rhasi; adeps tertianam, caro phantasticos, cor quartanam; & si quis super eius pellem sederit, recedent ab eo hęmorrhoïdes, ex Plinio. Lupus carniuorus, vorat potius quam comedit, pilos & ossa etiam. Atram bilem in corporibus generat, & prauas imaginationes. Caro colicis medetur; confert oculis, vt carnes omnium rapacium; Auicenna laudat ad hæmorrhoïdas; decoctus in oleo ad podagras; adeps vnguentis articulariis admiscetur; Sextus ait mederi iis, qui à dæmonibus & vmbris, quæ per phantasmata apparent, inquietantur. Vorax canis, eius capitis cinis inspersus cancrosa vlcera sanat, ex Plinio; dens alligatus, quartanas; coagulum & fimus, colicam tollunt. Catus diuersa murium genera & aues venatur, pisces mire appetit, vescitur tandem quibus & canes. Caro hæmorrhoïdas curat; occisi iecur luna crescente in vino potum ante accessionem, quartanam abigit, sic & excrementa, ex Plinio, & podagricos curat. Vulpes omniuorum animal, cuniculos, lepores, & gallinas rapit; mures spiritu è cauernis extrahit, Galenus sicci temperaměti esse ait. Oleum in quo decocta vulpes, vel hyæna ad arthriticos ex Galeno

valet,& podagricos;iecur degustatum ante accessiones quartanas curat;stercus putrida vlcera,& lepras.Hyęna homines, eorumq; cadauera vorat,solæ ex animalibus sepulchra eruũt inquisitione corporum,ex Plinio,& Solino. Diximus ad podagricos, & quartanarios valere, vt etiam contra nocturnos pauores,vmbrarumq;terrores.Voraces mures sunt;expellunt melancholiam, & phreneticis prosunt, dissecti & imposiți podagras leniunt; fibra iecoris pota cum vino austero quartanas; Serenus adipe in scirrhis vtitur. Panthera simias capit,hinnulos,dorcadas odore allectas;cuius caro post leonem calidissima,siccimaque ex Galeno. Vtilis paralyticis,& pulsum cordis patientibus, si eius odor inter assandum recipiatur, seuum feras scabies,& impetigines tollit,ex Rhase. Mustela muribus pascitur, serpentibus, & auibus; sanguis podagram sanat,cinis elephantiam,ex Plinio & Æsculapio. Vrsus omniuorum animal,fructus,fruges, frondes, & carnes vorat, articularibus, & podagricis morbis valet adeps; fel carcinomata,serpentia,gangrænas,& lepras curat,ex Plinio;hęmorrhoïdas ex Rhasi, & constringit quoque. Rapacium volatilium carnes,habentiũ rostra & vngues ad idem, & ad oculos valent,ex Auicenna.Accipiter è rapacium genere,melancholiæ, & mentis perturbationi resistit, oculorum hebetudini conducit,ex Plinio,& Galeno.Oculi suspensi tertianam;puluis in quo se volutarit,quartanam curat,ex Kirannide. Aquilarum genera carniuora,agnina carne, hinnulorum, & leporum,& anserum delectantur,quos rapiunt oculis,felle, & cerebro aquilæ iũctis claritas visus restituitur,ex Plinio,& colicos adiuuant. Ciconia assa si edatur in anno semel, fugient ab eo podagra,chiragra,arthritis & quæcunque neruorũ passiones,ex Kirannide;cinis eius pro collyriis valet ad oculorũ vitia.Aetius vnguentum ex ea parat ad podagras.Coruus hominum,quadrupedum & piscium cadaueribus vescitur;cinis ad podagrã,alphos,lepras,& similia valet. Vultur etiã cadauera sectatur;pedes eius podagris cõferunt,ex Tralliano;sanguis lepris,ex Plinio,&nebulis oculorũ,ex Æsculapio,& tandem oĩa,quæ aquila potest.Carniuora auis bubo,viuit prę-

animalium nocte ambulantium. Scabiem purgat, eius excrementa quartanis præstant, ex Plinio. Crus ad paralysim, vlcera, & crancros valet; hirundo ad quartanas, noctuam ad paralysim, & ad melancholicos, & mente perturbatos laudat R. Moses: sic vespertilio ad podagram & omnes arthriticos dolores. Spermologæ fere cum primis coincidunt. Aquatica animalia, quia aquaticis herbis, & seminibus victitant, vt lente & similibus, medētur igni sacro, & quartanis, & inflammationibus, & tussi, & eiusmodi morbis. Tussim sanant, inquit Plinius, piscium modo è iure decoctæ ranæ. Testudo aquatica ad equorum tussim laudatur à Rufo: adipem cum aizoo herba tusum ad quartanas commendat Plinius. Anser herbis riguis & frigidis, & humidis cibariis delectatur, ex Ælian; adeps phlegmoni medetur, ex Galeno; igni sacro, ex Plinio; stercus potum tusses mitigat, ex Kirannide.

Quod solo, cœloque mutato non solum plantarum, & animalium qualitates mutantur, sed altera in alteram abit. CAP. IX.

TANDEM ignoro quo clariori argumento demonstrare possim, quod plantæ ex solo qualitates hauriant, si terra, cœlumque non solum animalium, & plantarum qualitates mutant, sed altera in alteram, vt commeet cogunt: mutato enim alimento, mutantur cum forma qualitates. Demonstrat Theophrastus aliquas stirpes cum facie qualitates mutare: nam populus alba in nigram abit. Et mutatur vel in propinquam, affinem, & congenerem, quum triticum in lolium mutatur: vel in alienam, & in longius, quam in proximum genus, vt linum in lolium. Ait enim; Tempus, alimentum, & cœlum alterationes efficiunt animalium pariter & plantarum; & omnino ad genus mutandum, qualitatem, quantitatemque alimenti conuenienter statuendum censemus. Aquam mutationem afferre aliquam dicitur, sed omnium maxime, euidentissimeq; locorum quorundam, atque cœli naturam mutationis causam habere notantur. Triticum in lolium degenerat, & lolium in triticum mutatur, quum nullum ex frumentis validius istis perspiciatur, & tam magnam mutationem recipiunt: id accidit ex imbrium frequen-

4

tia

tia tempore verno, & simul cum soles incanduerint. Triticum quoque & hordeum siluestre, quum feritate mitigata per temporis tantundem in cereale mansuescunt; & hæc fieri mutatione loci, & cultura videntur. Plinius frumenti vitium auenam dicit, & auena frumenti fit instar: quippe quum Germaniæ populi serant eam, nec alia pulte viuant, soli maxime, cœlique humore hoc euenit vitium: diutius enim detentum sub terra, priusquam erumpat, vel si cariosum fuerit. Robus apud nos non suo loco satus, abit in siliginem, deterius pondere, colore, & pollinis rubore, inde facile videre est diuersitate terrarum non semper tellurem omnia similia referre, sed euenit vliginoso, & depresso aruo. Vertitur etiam triticum in typham & zeam, & zea & typha in triticum, idque quodam paratu contingit si pinsita seratur, idque non protinus, sed anno tertio. Hordeum etiam in auenam mutatur: abit etiam zea in auenam, & linum in lolium, cum & hæc inter se plurimum distent. Descicit enim siligo in zeam, in hordeum rarius; & tandem vel ratione telluris, vel aliam ob causam auena in hordeo, aracus in lente, securidica in aphacis, atque in omnibus fere est, quod nascatur, intermisceaturque. Sed ego puto soli vitio, vel anni in hæc genera transmutari. Ocymum solibus expositum transit in serpillum; quoniam accedente maiori siccitate, folium durescit inopia alimenti, & odoris acrimonia glisci. Martialis Græcus affirmat illius flores in albos, roseos, & purpureos mutari, & modo in serpillum, modo in sisymbrium desicere. Vetula semina tantum valent in quibusdam, auctore Varrone, vt naturam commutent, & ex seminæ brassicæ vetere sato nasci aiunt rapa, & contra ex raporum, brassica. Sisymbrium nimio cultu effœminatur, transitque in mentham sui odoris acore. Poeta;

Vidi ego lecta diu, & multo spectata labore
Degenerare tamen.

Mentha, mentastrum, & sisymbrium tantopere inter se conueniunt, vt quasi naturæ mutuo symbolo alterum in alterum abeat: nempe mentha in mentastrum; hoc in sisymbrium, &

id in mentham. Fit & hæc mutatio in animalibus, & in his magis naturales sunt, pluresque cernuntur pro locorum mutatione. Coluber stagnis exsiccatis marcescit, & ex tinea, eruca, & ex eruca papilio gignitur, sic de psyche, & chrysalide. Sed quid in singulis hæreo, præsertim in re non obscura?

De aquaticis plantis, & quæ sint earum indoles & vires.

CAP. X.

45 IAM videre videor affatim demonstrasse, quod plantæ ex natalibus locis virtutes exsugant situ, cœlo, & cultu. Nunc ea loca quæ fuerint, æquum est recensere. Sed vt nostra lucidior reddatur oratio à locorum diuersitate exordiemur, ac cum Theophrasto dicimus, *omnis plantarum differentia à locis accipi debet*; quippe quoniam fortasse aliter accipi nequeant, & generalem quandam facere posse distinctionem videntur, aquatilium, & terrestrium, vt in animalium genere. Sunt enim quædam, quæ non nisi in aquis viuere possunt, quæ secundum genus humorum discernuntur, vt lacubus, paludibus, fluuiis, & quæ in ipso mari nascuntur. Nos ita diuidemus: Plantarum loca vel in aquis, vel in terris. Aquæ sunt dulces, vt lacus, palus, & fluuius; salsæ, in mari. Terrarum varietas pinguis, macra, mediocris, saxum, vel arena. Amphibiæ sunt, quæ in lacubus & terris, vel mari & montibus, vel asperginosis locis, & litoribus nascuntur.

Nos ab aquarum incolis incipiemus, tum quod facilius dignoscuntur, minusque suos natales deserunt: nam facilius 46 montana in palustribus viuit, quam palustris in montibus; tum quia earum indoles minus decipit; mox ad marinas, terrenas, & ancipites deueniemus; & ad has primo, quæ non nisi in aquis viuere possunt. Nunc lacuũ incolæ faciem, idæam, vel archetypum effigiabimus; non quod singulæ quæ in aquis viuant, notas omnes, quas collegimus retineant, sed communiores, & minus fallaces, vt huius comparatione de aliarum stirpium partibus congeneris facultatis indicium sumamus; sic quæ plus huius descriptionis retinebit, plus ad aquaticæ plantæ naturam accedit.

AMPLIORI igitur forma, quam sui generis terrestris suc-

AQVATICAS *plantas appoſita exprimit tabellula. A dextera ſui parte è lacu tribulum delineatum habet pro præſenti capite. In media paluſtrem nymphæam, peculiarem pro decimotertio capite. Poſtremo loco marinum muſcum, pro quintodecimo deſcribendis.*



culento, pingui, tenero, & molli aſpectu conuictrix, & aqua-

rum alumna ſtirps è lacubus, vel torpentibus aquis emergit. Caulem exſerit rotundum, glabrum, enodem, mollem, & flaccida medulla infartum. Denſiſſimo, & numeroſo foliorum ſtipatu. Folio peramplo, circinatæ rotunditatis, vel obtuſiore ambitu, læui, craſſo, carnoſo, enerui, longiori pediculo innixo, diutioris viroris, ſed ſicceſcente, ſaturatioris, atrioriſque. Flore ex albido palleſcenti. Fructu ex colori, inolido, inſipidoque, & plerunque ſterili. Radice magna, tuberoſa, fungoſa, numeroſis capillamentis, gracilioribus & prolixioribus innixa. Virium effœtarum. Germinans præpropere. Breuis vitæ. Ligno, dum vritur, fumoſo. Sed eius Phyſiognomoniæ naturales rationes reddamus, quo certior noſtra reddatur præceptio: ſunt enim hæc dicendorum fundamenta. Quod maiora ſint ſemper, quæ in aquis naſcuntur iis, quæ vtroque loco, aquis ſcilicet & terris oriantur, reddemus rationes ex Ariſtotele, quum de animalibus in aquis naſcentibus dicemus: & Theophraſtus libro De cauſis, ea facilius creſcere dixit, quæ humidiora, rariora, laxioraque ſunt, & ad ſummum, humiditas germina incrementaque præſtat. Fœminæ ob id facilius, quam mares augeſcunt. Virgilius de herbis humidis locis naſcentibus dixit;

Humida maiores herbas alit; ipſaque inſto
Lætior: ah nimium ne ſit mihi fertilis illa,
Neu ſe præualidam primis oſtentet ariſtis.

Enodes plerunque ſunt, non quod nodis omnino careant; talis enim arbor fere nulla eſt, ſed quæ nullos habere videntur, ſicut iuncus, typha, & gladiolus; ſed vt paucos nodos, naturæ ordine habeant, vt ſambucus & ficus. Tandem paluſtres, & in vmbroſis locis naſcentes, vbi neque à ſole, neque frigoribus, vel flatibus denſitatem recipere poſſunt, minus nodoſæ ſunt; quia humidiores, & ſolutiores ſunt, ex Theophraſto. Peculiarem ſortitur caulem ſine nodo butomus. Medulla ſunt fungoſa, vt quæ præpropere à natura gignãtur, & aquea natura conſtent, vt in iuncis, butomis, cyperis, papyris, ſambucis, ſalicibus videre eſt: terreſtres vero, vt quercus, eſculus, & montanæ, duriori corneaque natura referta ſunt, & Theo-

phrastus armamentariam harundinem humidiorem nacta conditionem, pleniorem, carnosiorem, in totumque facie lasciuiorem spectari; folium amplius, candidius, & breuius. Folio rotundo sunt, ratione humiditatis; & si anguloso sunt, saltem vmbone depresso, hebetique. Quæ enim humidiora sunt, facile fluunt, & male proprio termino terminantur: abest enim terrestre siccum, & tenax. Vrbana, quia humidiora sunt, rotundiori folio sunt; siluestria, quia magis sicca, anguloſa. Præterea plantæ quum primitus germinant, quia humidiora, rotundiora ferunt folia; adulciora siccescunt, & in angulis sinuantur. Amplius, orbicularis figura simplicior est, & quando aliquid festinantius natura producit, circulari figura vtitur: in anguloſis maiori paratu opus est. Pueri in ortu teretioribus membris sunt, adultis contrahuntur. Ricini folium prius orbiculatum, mox è folio vniangulo diffunduntur oræ in multos angulos. Inquit Theophrastus in omni generatione primum confusa est moles, dein procedit opus ad articulationem; quod enim simplex, facilius est. Idque in humidis herbis experimentum capies. Alterum sisymbrij genus in riguis nascens, folia primum rotunda profert; adulta finduntur. Allearię folia vidimus primum erumpentia rotunda; vbi adoleuerint in ambitu laciniosa facta. Serratula folia fert primo betonicæ similia, excalescens profundioribus laciniis inciditur. Legumina quam frumentacea humidiora, ideo rotundiori folio sunt. Humidissimi fungi sunt, & rotunda forma constant. Cotyledones rotundi, & humidi sunt. Lens palustris rotunda, lenticulæ similis, refrigeratoriæ naturæ est. Pyra aquea humiditate abundant, folio insigniuntur rotundo, & sic de aliis. Folio sunt etiam per amplo, ob aqueam humiditatem, qua abundant. Populus alba, quam nigra humidior; ideo ampliori fronde, idque in iuuentute, sed in senecta succi inopia frondes angustiores affert, dicit Theophrastus. Spinachia aquea humiditate abundant, & folio sunt crasso, ipsa se iure suo coquunt. Lata fronde buglossum, & lactuca sunt, quæ aquea humiditate abundant. Plantago aquatica cæteris maiorem gerit frondem. Hippoſelinũ,

quod in aquis nascitur, suis congeneribus in latiores frondes luxuriat, idemq; de hippolapatho dicendum. Conyza aquatica, montana grandior. Vasto folio colacasia est, quæ in aquis suos natales habet. Olerum denique omnium frondes maiores sunt arboreis; quia aquationibus adiuuantur: quibus pro esca vtamur, iam in Agricultura docuimus; vt in atriplice, & blito videre est, quæ humida & fronde maiori constant. Foliis etiam abundant lacustria, vt dixit Theophrastus. Quod dilutiore virore colorentur aquatica, & mox siccescentia nigrescant, reddit Aristoteles rationem libro De coloribus. Frondes primo vere germinant claro virore; quia tunc humidiores sunt, sed æstatis progressu fiunt porraceæ, nigrioresque: sed cum aquis extrahuntur, & resiccescũt, à sole aduritur humidum, & atriore virore colorantur: nam humidum inueteratum resiccescens, nigricat, vt in cisternarum tectoriis videre est. Id etiam lapidibus euenit aqua latentibus, & inde soli expositis. Aqua in nubibus causa nigredinis est; sic in terra, & aliis. Et Theophrastus pronam folij partem semper nigricare scripsit, propter humorem è terra subeuntem, vnde pars supina ab altera discrepat. Flore albo pallescenti plerunque sunt. In flore nimia humiditas betis, ergo pallidi flores lacustres. Plumbum inter metalla humidissimum liuescit. Omnibus in rebus plerunque color albus imbecillitatem notare solet, Aristotelis & Theophrasti testimonio: aquatica imbecillia sunt, ob id albo flore esse oportebat. Sunt & fructus pallidi, & excolores, vt persica, chrysomela, pruna, vuæ, mora, cæterique, qui in palustribus concauisque locis nascuntur. Color enim ex concoctione fit. Quæ humida sunt, minus concoqui possunt; & plus temporis requirunt ad concoquendũ: propterea fructus cum exoriuntur, pallidi sunt, quia tunc humidissimi. Insipidi saporis fructus causam assignat Theophrastus. Quæ vliginosa terra proueniunt, aquam sapiunt, quæ insipida est. Quæ diluta & insipida sunt, hæc fere omnia inolida sentimus, & quæ alimento vberiori, vehementiorique nutriuntur, vt palustria. Sapor neque in siccitate, neque humiditate nimia consistere potest.

Legumina quæ in aquosis nascuntur, incoctilia sunt ob nimiam humiditatem, frigiditatemque. Sed ex insipiditate ad dulcedinem aliquātulum vergunt, quod non reticuit in sari, papyro,& manasio. Sunt & inolidi; quia odor saporis rationem sequitur. Magna est odoris,saporisq, cognatio;nam ambo ex siccitate, & minus absoluta concoctione nascuntur, & plantæ quæ olidum fructum perferre quærunt,limosam,pinguemve terram minus desiderant; calor siquidē humore,lentoreq; obsessus,minus probe suo quit fungi officio.Quæ dilutis & opacis tractibus degunt,inodora sentiuntur. In Thracia, cæterisq, locis,vbi humor multus & vehemens,& hiems coctura repugnantibus, odore penitus carent. Aqua suapte natura frigida nil attrahere potest; quia tenuis,simplex,exilis,odorem tueri susceptū non potest, quin elabatur, effususque euanescat;quasi in ea sedimentum insit nullum, quo figi, & cohærere valeat odor.Et plerunq; steriles sunt.Theophrastus aquarum præauidas,pleraſque steriles dixit,vt salix, populus,tamarix. Auerroes in Colliget imperfectas vocat plā-
48 tas vnius elementi, vt aquaticas, ob id steriles dixit, vt lens palustris: & homines, vt cætera animalia,nimia humiditate steriles fiunt.Ex nimia humiditate effœtarum virium sunt,& vbiq; apud optimos scriptores,Aristotelem, Theophrastum, Dioscoridem,Galenū, cæterosque in montibus,& siccis locis enata,validiora & in agendo esse,& maximarum virium;cōtra in humidis enata,imbecillia debiliaq; vt in aloe,eleoselino,hippolapatho,conyza,angelica,reliquisque videre est.Et in Telethrio cū opacus & subriguus sit locus, deteriora nascuntur omnia,meliora,quæ ferat Ægę,quum siccissimus esset. De magnis & fungosis radicibus videtur Aristoteles in Problematis rationem reddidisse: nam arbores,quæ loca vento, solique exposita tenent,paruę & spissæ fiunt;quia spiritus & sol exsiccando incrementum impediunt, molemq; minorem reddunt: at quæ cauis & riguis manent,fiunt magnæ,fungosæq;euenit enim aquæ obiectu,ne pabulum arescat & euanescat.Eadem ratione mulier quę frigida,humidaq;,crura & femora pinguia,laxa,tumidaq; habet: & quæ stolida magnitu-

dine tument, semper peiora existimauit Galenus iis, quæ bene munitam & adstrictam substantiam habent. Properantius germinant, inquit Theophrastus, quæ in paludibus, quam quæ in planis. Idemque aquatilium plantarum vitam breuiorem terrestribus dixit, vt in animalium genere manifesto videtur: Aristoteles eius rei rationem addit in Problematis. Ocius enim senescunt quæ in cauis, & palustribus degunt, quam quæ in editis locis: nam senectus quædam putredo est; putret autem quod quiescit. In paludibus aër semper impurus, idemque semper emarcescens; contra autem locis editis aër vndique efflante spiritu mouetur, & fit purior. Et tandem ligna earum fumosa esse non celauit Theophrastus. Fumosa quidem in vniuersum sunt, quę humida, vt palustria; sic platanus populus, & salix.

Quæ sint aquatilium plantarum vires; CAP. XI.

SED aquatilium plantarum qualitates inuestigemus; ac de iis quid primo senserint Philosophi discutiamus. Mnestor Empedoclis opinionem secutus, quam ipse in animalibus habuit, iudicat aquatilia calidiora esse; argumento iunci odorati, harundinis, & gladioli, & ob id frigoribus obstare ne gelascant. Ad hæc, rationem de ignariis adiecit; nam ex aquatilibus plantis ignaria fieri dixit, quæ celeriter ignem concipiant, & ardent, vt res, quæ caloris plus contineat. Cui respondet Theophrastus, quod res contraria neque alere, neque seruare apta est, sed resistunt humidis humida, non contrarietate, sed potius affinitate naturæ: vnum fit humor internus cum humore externo, vt alni lignum, quod sub aquis incorruptibile. Quod de ignariis notat, id fortasse non caloris; sed vehementioris conflictus potius indicium esse quispiam dixerit, vt prætenue humidum attritu attenuatum aëresca t, & incendatur. Has opiniones Lucretius & Vitruuius ex Latinis sequuti sunt, vt alibi diximus. Sed rei veritas est, quod corporei excessus contrariis in locis & temporibus conseruantur, similibus læduntur. Contra naturales corporis habitus, similibus gaudent, & conseruantur, contrariis vero læduntur. Adiicimus quod aqua vndiq; circumfusa suo humore

imbuens, & peruadens, atque intro alimenti necessitate attracta, similem inuehit suæ temperaturæ constitutionem, & ex aquarum varietate earum qualitates variantur. Auerroes in Colliget imperfectas vocat plantas, in quibus vnum prædominatur elementum; earumque complexionem frigidam, & humidam esse, & ex corporis vasta magnitudine, humiditas augetur. Theophrastus frigida esse aquatilia dixit. Vnde vires quas possident ex his qualitatibus coniici poterunt, scilicet frigida & humida, quibus medeantur, vt igni sacro, phthisi, capitis doloribus ex calida causa exortis, & similibus; sic hydrophiliam inducere, & præcipue Venerem elanguescentem reddere. Sed lacustrium herbarum exempla reddamus. Palustris lens aquis residibus, & nullo lapsu repentibus innatat, muscus lenticulæ similis; etsi à recensioribus rerum vestigatoribus obseruatum sit radices exserere, & tandem plantam euadere. Dioscorides refrigeratoriæ naturæ dixit. Illinitur igni sacro, & podagris. Compertum recenter est mederi inflammationibus, febribus pestiferis, oculis rubentibus, palpebrarum phlegmoni, & capitis doloribus. Eodem modo torpentibus vndis superstat herba, quam *ranæ morsum* vocant, lenticulæ similis, rotundo folio, intermicantibus lacteis flosculis, crebris radicum staminibus, longius se porrigentibus in fundum, vbi ranæ lubentius habitant, vnde nomen. Nil pigris fluentis, & stagnantibus vndis familiarius viresçit tribulo, ex eisdem comam exserit foliis rotundis ornatam, latis, crassis, longo pediculo innixis, partim in aquis natantibus, partim in fundum reptantibus, & mersis. Caule crasso, pingui, quem refrigerantis naturæ Dioscorides dixit, & perinde inflammationibus, gingiuis, & tonsillis vtilis. Tam lacustribus, quam leni agmine se mouentibus vndis superfluitat muscosa, siue fœniculi folia planta innumeris foliorum capillamentis exilibus, è caule per æqua interualla pinnatim exeuntibus, mollicellis, tenellis, colore ex viridi fusco, radice euulsu facili, pallidula, sapore insulso, quam ex Aniano prope Neapolim lacu collegimus, eiusdem facultatis. Lotus Ægyptia prouenit campis inunda-

tis, flore candido, liliaceo, veſpera tota abit in lacum; dein ad ſolis exortum extra aquam emergit; radix cocta editur in paneficium. Serapio articulorum doloribus mederi dixit. Plinius ait, Herba quæcunque à riuis, aut fluminibus ante ſolis ortum collecta, ad alligata læuo brachio, ita vt æger quid ſit illud ignoret, tertianas arcere traditur. Fungi in humidis, vel ex nimia humiditate naſcuntur, eruti quam celerrime computreſcunt, rotundo vmbone, caule tenero, frigida & humida planta eſt. Canum morſibus ex aqua illinuntur.

De animalium formis in aquis degentium, & eorum viribus;

CAP. XII.

ANIMALIA eandem ſequuntur rationem. Et ſi animalium loca difficilius cognoſcantur, quum pedibus prædita longe à ſuis abeant locis, quibus viuunt; ſed vbi ſæpius ſtabulantur, conueniunt, verſanturque, ea ſua dicemus loca. Quorum hæc erit forma:

AQVATILIA animalia ampliori conſtant forma, quam ſui generis terreſtria, rotundis membris, cute glabra & molli, carne flaccida, colore pallida, inolida, ſaporis inſipidi, & breuis vitæ. Cuius naturales rationes reddemus. Quod ampliori forma ſint, quam ſui generis terreſtria, reddit Ariſtoteles rationem Problematum libro. Terreſtrium vi ſolis conſumitur corpus, detrahiturque copia alimenti; vnde quæ abdita viuunt, vegetiora ſunt; his incommodis quum aquatile genus inmune ſit, adoleſcit corpore ampliori. Et Plinius: Quod aquatilia, maiora ſint terreſtribus, cauſa euidens humoris luxuria. Quod rotunda ſint forma; vidimus in humana Phyſiognomonia mulieres, vel humidos viros, vel nuper ortos pueros, qui vere humidiores ſunt, teretibus, læuibus, & molliuſculis eſſe membris. Carne etiam conſtant laxa, quia humida ſunt, humidoque veſcuntur cibo, aquis, luto, & muco: ſecus autem in iis, quæ radicibus, herbis, aliiſve durioribus veſcuntur: nam carne duriori, vegetiorique conſtant. Pallidi coloris cauſas reddit Ariſtoteles in Problematis, quum humorem efficere palliditatem dixe-

rit, quando putrescit, & immobilitatis etiam causa euenire; ob id pallidos esse, qui palustria colunt. Cur vero insipida & inolida sint, causam reddidimus in aquatilibus plantis. Sed aquatilium animalium vires vestigemus, & veterum Philosophorum sententias perscrutemur. Aristoteles libro De partibus, & Respiratione refert Empedoclem non bene censere ex animalibus ea calidissima esse, & ignis plurimum habere, quæ aquatilia: nam fugientia naturalis caliditatis excessum, quum frigido & humido destituantur loco ipso, hæc contraria asciscunt; humorem enim aere minus esse calidum. Et loci frigiditatem caliditate naturæ ipsorum pensari, Theophrastus idem refert. Empedocles piscium constitutionem calidissimam putat, ob id in frigidissimum ablegatos elementum. Contraria contrariis locis posse perdurare censebat, calida frigidis, & frigida calidis. Sic enim naturam in principio generasse volunt, & rem à suo simili per excessum perire; conseruari à contrariis maxime posse, velut medio quodam exsultante temperamento. Cui ita respondet: Quod res contraria neque alere, neque seruare apta est, sed similis; & inepte Empedoclem asseruisse naturam ad locum humoris transtulisse, quæ in arido genuerat: quo enim pacto animantes aquarum incolæ vel quantumlibet temporis in arido persistere potuissent, si modo his nostris temporibus similes sunt? Item, quod nostris temporibus in generatione euenire sentimus, rem plane declarat: nam in vniuersum animalium plantarumque genus tum generari, tum permanere suo tantum in loco posse videmus; quo circa suo quoque loco affici nequeunt, contrario & aduerso, affectionibus patent, vtpote cum distractio & permutatio magna ita accedat; sed vt diximus de plantis, corporei effectus excessus contrariis in locis & temporibus conseruantur, similibus destruuntur; contra naturales corporis habitus simillibus gaudent, & conseruantur. Sed vires, quas ex animalibus, quæ dulci aqua viuunt, coniicere possumus, erunt, quum humida & frigida sint iis, quæ refrigeratione opus habẽt: iuuant, vt iam diximus, & ebrietati & ca-

nis morsibus. Sicca enim animalia suis morsibus rabiem, & hydrophobiam inducunt, vt catus, lupus, vulpes, mustela, & alia; & aquatica medentur eis, quum solus cancer, vt putat Galenus ex Pelope. Sed ad exempla accedamus. Cancri fluuialis cinis magnopere prodest rabidi canis morsibus, ea ratione, quam diximus; quod multis etiam animalibus competit, quum antiquiores medici huic vni soli tribuerint. Prodest etiam tabidis, & carcinomata lenit. Hippocampus aquaticum animal, ei, qui eum deuorauerit, aquæ amorem inducit, vt perennes fluuij, iuges fontes, lacus, & litora grata sint: vires salutares contra rabidi canis morsus habet, ex quibus aquæ pauor exoritur, ex Æliano. Ragæ etsi extra aquam aliquando viuant, inter aquatilia numerantur, carne flaccida, læui, hecticis, & phthisicis apponuntur; dolores capitum mulcent, sacro igni, tonsillis, & similibus morbis medentur. Testudo aquatica frigido succo constat, hecticis, & phthisicis datur ad refrigerandum; valet etiam ad ambusta, quartanas, ignem sacrum, capitis dolorem, & ebrietatem. Anguillæ in aquis, & luto degunt, ad eadem fere remedia solent propinari. Vino suffocatæ, & ab ebrio potatæ, tollunt temulentiam. Piscium plerique hecticis prosunt, vt ex Medicorum libris habetur. Mullus vino suffocatus, ad ebrietatem valet. Anser, aquaticum animal, solus animalium non rabit, ex Aristotele, ob id contra hydrophobiam. Mergus in aquis, & mari degit, mirifico experimento contra rabidi canis morsus valet, vt illico hydrophobi aquam flagitent, ex Aëtio. Miluus ebrietatem arcet, qui in aquis versatur.

De palustris plantæ physiognomonia, & viribus;

CAP. XIII.

NVNC paludum, & residum aquarum accolas plantas dicemus, vt quæ aquis partim immersæ viuant, partim extra innatent, exsiccatisque æstu paludibus etiam viuant, & humidis, vdosisque reperiantur: vnde terræ, & aquæ figurarum, & virium misturam referant. Harum indoles hæc erit.

HVIVS *iconem require in medio tabellæ decimi capitis.*

CAVLE fruticat anguloso, cauo, medulloso, fractu con-

umaci, paluſtrium locorum incola, fronde angulata, vel laciniata, neruoſa, hiſpidiuſcula, flore albo, ex croceo commixto. Radice magna, acerba, odorataque, vegetioribus viribus, & tandem iam dictæ fere ſimili, niſi ex terreis partibus aliquantulum villoſa.

Sed effigiaturæ rationes aſſignemus: Anguloſos caules nimia ſiccitas reddit: diximus humida rotundari, ſicca ergo in angulos reſtringi. Silueſtria, quia ſicciora, vt dicemus, magis anguloſa, ſtriataque. Caule cauo, & medulloſo aſſurgunt humida, ex Theophraſto: nam de vitibus ait, ſolutas vites eſſe quæ plus medullæ quam ligni haberent, & his meatus ampli, multique ſunt, & alimenti largam copiam deſiderant; ob id pluuio ſolo, humidoque pangendas eſſe: proinde quæ larga medulla abundant, humida ſunt; quę pauca, ſolidaque, ſicca; vt quercus, olea cornus, ebenus, & buxus. Facilis flexus, & contumacis fractus ſunt, inquit idem, quæ lenta ſunt: humiditas ſiccitate temperata lentitiam, & obſequium præſtat. Flore partim albo, partim croceo, quod euenit ſiccitate miſta humiditati, vt dicemus in florum coloribus. Fronde parum anguloſa: ſiccitas enim frondes anguſtas reddit, acuitque, & neruos & hirſutiem addit, vt dicemus. Radice veſca, odorataque aliquantulum, quod ex ſiccitate euenit. Theophraſtus libro De cauſis ſexto, ſaporem neque in nimia ſiccitate, neque nimia humiditate reſidere poſſe dixit. Caules qui extra aquam nimia ſiccitate inſuaues; dulcedinem namque recipere nequeunt, at in radicibus ſiccitas nimia humiditate temperatur: & ratio odoris ſaporem ſequitur, vt aliquantulum dulcis, odorataque ſit. Viribus vegetioribus ſunt; quia vires ex modico alimento proueniunt, modo ſiccitas modicum præſtet alimentum. Silueſtria validiora ſunt vrbanis virium robore, quia ſicciora. Vires quas poſſident frigidæ ſunt, & ſiccæ ob aquam, & terreſtrem eſſentiam, non omnino ſiccæ: quia plus aquæ habent, ſed ſicciuſculæ. Quia leuiter & ſine morſu deſiccant, combuſtis, depaſcentibus vlceribus, dyſentericis, cœliacis, alopeciis, fœminarum profluuiis, igni ſacro, inflammationibus ambuſtis, ſtrumis, & vulnerum cou-

glutinationibus iuuant. Exempla erunt: secus fluenta in paluſtribus Nilotica papyrus fruteſcit iunco, triquetro caule, tomentacea medulla infarto, nitido, ſuper gurgitum altitudinem attollitur, cui nuſpiam, niſi ad ima folia ſunt, femine infœcundo. Ad vſum funium valet, quia obſequioſa. Radicem crudam, coctamque mandunt: ſucco deuorato manducamentum exſpuunt. Frigidam & ſiccam eſſe contendunt Arabes; Galenus vulnera conglutinare dixit. Similis natalibus ſari, quod vadoſis exſurgat, vbi recedens amnis plana dimiſit, caule triangulo, flore luculenta cæſarie decorato, vt in papyro, radice edula, quam manſam exſpuant: ſic etiam Mnaſium ex Theophraſto. Faba Ægyptia in paludibus, ſtagniſque naſcitur, calamo molli, folio latitudine, & cauitate ſpectabili, vt intus aquam continere poſſit; radix manditur cruda, toſta, elixaque, faba exſiccata nigreſcit. Dioſcorides aſtringendi poteſtatem obtinere, vtilem ſtomacho, & dyſentericis dixit. E limoſo lacuſtrium, & ſtagnantium aquarum fundo traijcit lymphas nymphæa, & ob id ſibi id nomen vendicauit; per ampla folia ſummis aquis plurima innatant; plurima etiam ſe porrigentia in imis, circinatæ rotunditatis, flore candido in medio crocos habente, caule læui, radice clauæ ſimili. Galenus reſiccare ſine morſu, & refrigerare dixit: Cœliacis, dyſentericis, alopeciis, Venereis inſomniis medetur, ex Dioſcoride. Potamogetoni nomen quod fluuiorum accola ſit, ſed etiam ſegnius labentium, vel torpentium aquarum. Folio hirſuto betæ, flore ſpicato, coloris obſoletæ purpuræ, guſtu aſtringente, & reſiccante. Stagnoſis & paluſtribus nil familiarius, aut viuidius iuncis; caule ſurgunt læui, enodi, fungoſa medulla infarcto, obſequioſæ lentitiæ; ob id à iungendo, *iuncus*, & à funibus & loris, *ſchœnos*, texendis ſtoreis peraccommodus; aluum ſiſtit, & crebra fœminarum profluuia. Galeno frigidus & ſiccus. Aquoſorum locorum indigena plantago aquatica. Caule ſurgit procero, folio læui, craſſo, floſculo candido. Procidentia curat, rubentem podagram, capitis dolorem à calida cauſa ortum mulcet, cruento ſputo, vrinæque medetur. Equiſetum, ἵππουρις dictum,

quod paluſtribus, & humentibus lætetur locis, culmos exerit leniter ſcabros, cauos iuncea ſpecie, folia equinæ ſetas caudæ imitantur, floribus albis. Sanguini è naribus & vulneribus erampenti medetur; ruptis veſicæ, & inteſtinorum diſſectionibus, & enterocelis. Galenus ſine morſu exſiccare dixit, Auicenna frigidam in primo, ſiccam in ſecundo, & herniæ inteſtinali, & hydropicis mederi. Phleon aculeato caule & folio frutex, non alibi, quam in vdis proueniens, in lacu Orchomeno vbertim naſcens, fœmina ſterilis, ad nexus vtilis. Pecori radix gratiſſima eſt, & radici partem proximam teneram pueris excitari. Nonnulli *ſtœben* dicunt; nomen videtur inditum ex tomentitia, & fungoſa natura: an ſit Dioſcoriſtes ſtœbe, hariolari non auſim, ſed videtur ſaltim cognata, quum vires eædem, quæ paluſtribus. Auribus purulentis, oculis ab ictu cruentis, dyſentericis, & erumpenti ſanguini prodeſt. Galenus deſiccare ſine mordacitate dixit, ob id vulnera conglutinare. Typha ex eiſdem natalibus, nempe ſtagnantibus & paluſtribus aquis emergit; caule procero, tereti, recto, læui, folio triquetro, mucronato, flore papoſo, oblongo, cylindrea figura, turbinata effigie; ambuſtis medetur, ex Dioſcoride. Paulus euidentiſſime refrigerare & reſiccare dixit, & æſtuantibus lumbis prodeſſe. Iiſdem namque paludoſis, typhæ affinis prouenit *butomus* Theophraſti, *ſparganium* Dioſcoridis, & Galeni *xiphion*, triquetro folio, dorſo prominulo, & carinato, manum arripientis vtrinque cæſim ſauciante; radix etiam pecudibus & puerulis veſca. Galenus deſiccare dixit. Riguis & humentibus conuallibus emicat erinos Dioſcoridis, echinos Galeni, flore luteo, ſemine acerbo, oculorum fluxionibus & aurium doloribus valens. Galenus deſiccatoriæ, & repellentis facultatis, & aurium fluxionibus valere dixit.

De fluuiatilium plantarum effigie, & poteſtate. CAP. XIV.

NVNC fluentium aquarum incolas plantas proſequamur. Sed non quod humentibus alueis, & labentibus aquis viuant, humidam vel frigidam temperiem ſortiri dicet quiſpiam, ſed in exceſſu calidiſſimas, ſicciſſimaſque; quum ob

neceſſitatem iis locis viuant. vt ſemper nouis frigidis, & præterfluentibus vndis abluantur, quaſi refocillationis & frigidioris egerent alimenti: ſunt enim labentes frigidiores, nec alibi quam iis locis viuere poſſunt, quarum forma plerumque Phyſiognomones decipere ſolet, quum notas aliquas humidarum habeant, quod in aquis viuant, aliquas vero calidarum, quod calido, ſiccoque habitu conſtent.

IN EXTREMO *tabellæ loco à dextra tua ſimiatilis plantæ effigies viſitur, capitis decimi.*

CAVLE igitur fluentium aquarum accolæ ſurriguntur læui, ſed gracili, fronde læui, pinguiuſcula, ſed pluribus inciſuris laciniata, flore albo, ſed plerumque luteo, radice tenera, ſed exigua, odorata, acri ſapore linguam exulcerante.

Cauſæ ſunt: Caule læui viuunt, quod aquis naſcantur; ſed gracili, ex caliditate, fronde læui & pinguiuſcula, ex humiditate, in qua naſcũtur; inciſuræ ex ſiccitate, caliditateque; radice tenera ex humiditate, ſed exigua, odorata & acri ſapore ex caliditate, floſculo albo ex humore, flauo ex calore plerumque, & tandem calidæ & aquaticæ plantæ effigiem retinent. Vires adeo calidas habent, vt linguam exulcerent, cutemque; ob id lepras, pſoras, ſcabiem, ſtigmata, ſcabros vngues, alopeciam, & calculum curant, Ranunculos ranis cognomines fecerunt, quod iiſdem fluuiis, & lacuſtribus locis oblectentur, & floribus ſint colore ranatis, id eſt luteis, herbido permiſtis; vt pote ranis conuictrices, & aquarum potrices. Folia initio rotunda, dein inciſa, flores aureo fulgent nitore, caule gracili, radice parua, alba, vrentis guſtus, nec iniucundi odoris. Scabros vngues eximunt, ſtigmata delent, formicantes verrucas, & alopecias. Galenus calidas & ſiccas eſſe dixit. Sed ranunculorum plures ſpecies, inter eas flammeus eſt; folia ſunt ei anguſta, oblonga, carnoſa, 53
ambitu ſerrata, caulis cauus, rubellus, enecat pecora edendo; amburit enim veſcentium exta. Chelidonium minus foliis ſubpinguibus, radice puſilla, flore eleganti, foliolis aureis radiatim ſtellato, naſcitur in aquis. Exulcerat, ſed non vbique pro agri conditione. Pſoras, & ſcabros vngues eximit.

eximit. Galenus calidum, & siccum in primo esse dixit. Ex ὕδατος & piperis nominibus conflatum nomen *hydropiper*, ac si *aquaticum piper* diceres; acre vt piper; nascitur in aquis pigro lapsu repentibus. Prouenit caule numeroso, gracili, flore albido, purpurascenti, semine acri saporis, radice parua. Sigillata delet. Calidum siccumque paulo infra piper esse Galenus dixit. Sion, ἀπὸ τῦ σείειν quasi quatiatur in aquis ex præterfluentibus, & alluentibus vndis; vnde etiam Latinis *laueris* nomen, foliis olusatri similibus, sed minoribus, & odoratis. Calculos deturbat, cit partus. Galenus excalefacere dixit. Etiam lympidorum riuulorum sectator sisymbrium aquaticum, vbi etiam sion prouenit; gracile est, & tenellum; folio primum rotundo, adultum erucæ modo finditur, cauliculos nerueos habet; acris gustus, excalefacit, vtriusuis vires paris fere sunt commodi. Purgat lentigines, & vitia cutis. Galenus excalefacientis, & exsiccantis virtutis manifestauit.

De plantarum physiognomonia, & viribus in maritimis aquis nascentium. CAP. XV.

EDVLCIBVS aquis ad salsas deuenimus, de marinis plantis loquemur; sed priusquam ad harum formas & vires descendamus, videamus nunquid in salsis plantæ nasci, & nutriri possunt, vt inde colligere possimus, quibus præstent. Claris argumentis probat Theophrastus in stirpium genere salsuginem nullam sentiri, neque in salsis aliquid gigni posse, hoc modo. Salsum neque alit, neque aptum est generationi; argumento, quod salsis tractibus nil prouenit; sed etsi videamus in salsis quippiam gigni, vt plantæ, pisces, & alia animalia, quæ dulcia sunt, non ob id ex mari gigni, vel ali putandum est: nam id quod alicuius materia futurum est, necessario esse oportet transmutabile: nam generatio transmutatio est; porro sal non est transmutabilis, ergo neque perfectum quicquam, neque aliquid vllo pacto generari ex eo potest: nam plantæ calor internus & solis, humorem trahunt, qui alimento plantæ futurus sit, qui humor purior, leuiorque est; sed salsum omne terreum est, & graue hauriri non potest,

quia subsidet. Secunda ratio, quod sal facultates omnes desiccat, & erodit, vt desiccetur vis generationis : vnde id quod in aliis generationem prohibet, ipsum videtur auctor incommodi etiam sibi, id est quod aliis inutile ad generandum, inutile quoque sibi futurum. Præterea quæ nullam mutationem, vel corruptionem sentiunt, auersam penitus à plantis qualitatem habere necesse est; porro sal est eiusmodi : nam omnia vindicat à putrilagine. Aliud erit argumentum : Quod non multum euacuatur, non multo indiget alimento; planta non euacuatur, quia caret excrementis; non ergo multo indiget alimento : non igitur coguntur quicquam fugere, quod inutile sit ad alendum. Plantis excrementa non sunt; quia si inessent, excernerentur, nec in superficie residerent, à solis vi eousque eleuata. Alias deinde addit rationes, quibus videtur disquirere, quod plantis insit salsugo; nam salsuginis sapor, qui plãtis inhęret, vel intrinsecus est, vel extrinsecus: si intrinsecus, erit alimentum, naturæq; conuenit; si extrinsecus accidit, vnde ingreditur? & ex quo? vel ab aëre ambiente, qui se induit in meatus, vel à vaporibus humorũ à radice attrahi sursum feruntur : deinde exiguntur à medulla, & tanquam sordes erũpunt ad cutem? quippe salsugo superficiaria videtur, sed ciceri vernacula, & necessaria est; si quidem imbribus elota, interit eius planta, vnde constat naturale ei esse, vt se tueri & conseruare valeat. Est & in quarumdam foliis, & ramis salsugo, quæ in aquis immissa & elota, gustu manifesto deprehenditur; non in iis solum, sed in fructibus quoque; si quis non fructum mandat, sed linguam consulat; quippe non in carne, sed in tegumentis salsugo reposita est; quasi à natura consulto factum, vt semen inclusum à corruptionis 54
labe vindicetur, ac salsugine custodiatur : nam dum viret, in caule & siliqua est; adulta vero siccescens in putamine residet, tanquam intrinsecus aduenies. Rem ergo naturalem esse salsuginem, atque natiuam latissime patet; nam vbicunque seratur, aut non satis aliubi oriatur, salsum futurum, etiam si ager salsus non fuerit : nam ea quæ locis salsis prouenium, haud temere salsuginem ceperint, sicut halimus, kali,

& alia pleraque. Alibi vero de salsis aquis hæc habet. In genere aquarum, quæ nitrum, vel alumen, vel aliquid aliud eiusmodi sapiunt, plantas neque alere, neque gignere posse dixit; sed esse quasdam priuatæ naturæ plantas, quibus priuata deberi alimenta par est; tantumque mari genitales facultates tribuit, vt suas ibi plantas agnoscat peculiares, quæ in terra nasci nequeant, vt suas etiam animantes, id est pisces. Præterea alias esse arbores, quæ in æstuariis viuant, hæ non à mari capere alimentum, sed è venis subterraneis. Marinas enim aquas percolatas salsitatis virus amittere, & ex interiore terræ sinu dulce haurire, quo viuant, & mare ipsum circumfusum nihil nocere; per vices enim accedit, receditque. Post æstuarium aliam litoralium apponit speciem, quasi mediam inter dictas; hasce falso humore subterraneo frui, tum ad alimentum, tum ad robur, vt non solum inde viuant, sed bene valeant, vt palma, brassica, beta, ruta, & eruca; tantumque in his abest? maleficio, vt etiam afferat emolumentum. Salsis si culta fuerit brassica, vitream acquirit friabilitatem, vt terræ allisa, dissiliat in partes. Tollitur & acrimonia & amaritudo. Sed si salsus humor plantas nutrire possit, deterius alit; prohibet enim incrementum exsiccando, quod ab humido est. Sed Galenus salsam aquam aridam, exsiccantemque naturam habere dixit; cum eiusmodi facultas in amaris insit, ob id enutriendo corpori prorsus inepta existimanda. In stagno bituminoso Syriæ Palæstinæ nullum neque animal, neque plantam conspici; cumque flumen, quod prope Hierichunta fluit Iordanes, pisciumque copia scatens in stagnum ingreditur, nullos omnino fluuij ostium pisces excedere; & si quis captos in stagna conijciat, celeriter mori. Sed videmus in mari tanta piscium genera gigni, ali, & commodissime viuere, vt aliter credere non possimus, quam eorum naturæ familiaritate dulce, & iucundum esse; quod si aliter esset, facile vtique foret ad fluuiorum ostia ingredi, & aufugere; sed ex tam mirabili multitudine paucos constat, qui fluuios subeant. Sed si cui nouum videbitur in mari dulcem

aquam contineri, consulat Aristotelem, qui cereo vase mari immerso percolatione dulcem aquam exhauriri dixit; & litoralium accolas, qui dulcibus aquis destituti, puteis vix tres cubitos altis in arena effossis, dulcem ex salsis secernere. Sunt qui dicant arbores marina aqua non ali, quod nec quidem terrestria animalia, quod ariditate præcipue offendantur arbores, atque arefacit marina aqua; vel quod oleum quidem infestum stirpibus absumit illitum; aut marina aqua multam participet pinguedinem, ideo etiam conflagrat, vel quod amara sit remistione exustæ terræ, vt dicit Aristoteles, potumque respuat. Lixiuium namque fit ex dulci aqua in cinerem missa. quod ferunt in Rubro mari siluosas materies, stirpesque fruticari, nullum quidem edunt fructum, grandescuntque fluminibus multam inferentibus in mari lutum, & proinde non longe à terra absunt. Plutarchus in libro De causis negat plantas salsis ali posse: Auerroes maioris maris aquam salsiorem, amarioremque cæteris esse, ob id nullum animal in eo viuere posse; quia amaritudo est id vltima contrarietate nutrimenti animalium quod dulce est. Sed id subtilius disquirere nostra haud magnopere interest. Nos hæc recitauimus, vt perscrutaremur ex his vires maritimarum plantarum. Quæ igitur in mari nascuntur talem præ se ferunt speciem.

Sine caule plerumque assurgunt, vel cauo, inani & fungoso. Foliis capillaceis, vel absque foliis, fructu viduæ, sine radice, quod saxis, lepadum more adhæreant. Totæ molles & sine ligno, ne maris æstu collidi, & frangi possint, Colore ruffo.

Effigiaturæ causæ hæ sunt: quod caule, foliis & seminibus 55
vacent, causam diximus ex Auerroe, quod si vnius elementi plantæ omnes imperfectæ sunt, marinæ imperfectissimæ, quod in sale viuant, qui generationi contrarius exsistit. Et locis etiam siccis, & in saxis natæ plantæ flore, fructu, & caule vacant. Colore ruffo sunt. Ruffi coloris causas reddemus in animalibus eiusdem loci. Vires pronunciamus frigidas & siccas; frigidas ob aquam; siccas ob salem, quem apud omnes sine dubio siccare constat: ob id morbis illis præstare

possunt, qui frigidis & siccis qualitatibus iuuantur, vt podagris calidis, hydropicis, inflammationibus, & sanguini profluenti. Marini fuci genera plura sunt ; vnum latum, alterum oblongius, & rubeum, tertium candidum in Creta florens. Podagris valent, inflammationibus, & venenis; sed iis humidis vti oportet. Galenus refrigerare, & resiccare dixit. Muscus marinus nascitur in scopulis, testaceisque, haud procul à mari, gracilis, capillaceus, caulis expers. Præcipua ei spissandi vis, collectiones cohibet, & podagris confert, quas refrigerare opus sit. Galenus ex aquea & terrea essentia compositum dicit, vtraque frigida : siquidem astringit, & calida euidenter refrigerat. Bryon herba marina, Plinio non capillacea, sed lactucæ foliis similis, rugosa veluti contracta, sine caule, ab ima radice exeuntibus foliis. Nascitur in scopulis maxime, restisque terra comprehensis. Præcipua siccandi ei, spissandique vis ; collectiones omnes inflammationesque cohibendi, præcipue podagræ, & quicquid refrigerare opus sit. Androsaces in maritimis aquis nascitur, perpusilla planta vmbilicata, cirrhis glabris, exilibus, crebris, surrectis singulis vmbilicum medio fulcientibus; vrinas cit ; hydropicis, & podagricis illinitur. Galeno humens & acris est, desiccata desiccat; sic Ægineta & Plinius. Sed aliquibus diuretica est, & mendum in Galeni textu suspicor. Corallus marinus frutex, qui alto extractus duratur statim, adstringit & refrigerat mediocriter, excrescentia coercet, oculorum cicatrices abstergit, sanguinis reiectioni, & vrinæ difficultati auxiliatur. Antipathes coralli species, vires supradicti habet.

Salsarum aquarum effigies, & vires animalium.

CAP. XVI.

ANIMALIA vero quæ in salsis aquis degunt, aliam referunt qualitatem, & effigiem ; quippe & viribus, & nutritione variant, & à terrestribus non solum locorum varietate; sed etiam alimentorum, quibus vescuntur. Diuersa enim maris loca diuersæ qualitatis pisces pariunt. Salmonem aquaticum in Aquitanio marinis omnibus Plinius præfert, amia

Byzantia, vulpecula Rhodia, anguilla Bœotica, mus Ponticus, thynnus Megarensis, muræna ex freto, & Tartesia, mugil ex Scyatho, hœdus ex Melo, conchæ Pelorinæ commendantur. Quorum forma hæc:

MAGNITVDINE parum subsident à dulcium aquarum incolis, corio duriori, squamosiorique, carne constantiori, odoratiori, sapidiorique, capillo rufo, facilioris decoctionis, potentioris virtutis, & vitæ perennioris.

Ratio descriptionis talis est. Diximus humorem, in quo degunt, magnitudinis causam vtriusque esse, sal desiccando semper minuit. Eademque siccitas causa est, vt duriori carne, & squamosiores sint: immo multæ squamæ, spinæ, ossa, claui, & vngues in piscibus laudantur; quia in iis ostendunt multum esse terrestris qualitatis, & rem contrariam suæ complexioni; quia sicciores sunt, & in petrosis locis nascuntur, vt saxatiles subtilioris substantiæ, & minoris superfluitatis aliis, vt Auerroes in Colliget. Sapidiori etiam sunt carne. Galenus hanc differentiam diligentissime annotauit; quippe diuersum genus pelagici mugilis ab eo facit quod in fluminibus, stagnis, lacubus, aut riuulis vrbium cloacas expurgantibus prouenit: nam horum caro excrementitia est admodum, & mucosa; optima autem eorum qui in puro mari degunt; aliis vero locis non insuauis modo, sed etiam ad co- 5c
quendum difficilis, malique succi. Horatius his versib. de lupo pisce idem sentire videtur;

Vnde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto.
Captus hiet, pontes ne interiactatus, an amnis
Ostia sub Tusci?

Et apud Columellam exstat non illepide dictum de hac re. Philippus quum ad Numidiam hospitem deuenisset, & sibi è vicino flumine lupum formosum appositum degustasset, exspuissetque, dixit: Peream ni piscem putaui; vsque adeo à Tiberino, vel marino diferre putauit, vt illum piscis nomine indignum iudicauerit. Quod ruffo colore sint, Aristoteles in Problematis rationem reddit: nam omnes qui in mari degunt, ruffo sunt pilo; quia quum mare calidum & siccum sit,

tales pilos reddere potest, vt lixiuium, & auripigmentum. Vires hæ sunt : Piscium naturam & substantiam immutat aqua, illos vndequaque peruadens, & intro alimenti, & refrigerationis necessitate attracta, similem inuehit suæ temperaturæ constitutionem. Salsa enim aqua per sal sicca est, & siccos suos incolas efficit, aqua per se frigida : vnde morbis iis, quibus frigida & sicca prosunt, opitulantur. Marini cancri sicci natura sunt, ob salis mistionem ; secus autem aquatiles, vt ex Pelope refert Galenus. Marini gobij à fluuiatilibus multum differunt ; nam Galenus ægris marinum apponi iubet, succi bonitate etiam commendans : sed fluuiatiles hac dote multum superantur ; carne enim molli, & insipida sunt, paruis squammis, quum aqua & luto vescantur. Anguillæ marinæ & fluuiatiles sunt ; præ cæteris laudantur, quæ in Siculo freto intra Rhegium & Messanam nascuntur. Diphilus palustribus marinas suauiores esse dixit.

De facie, & facultate terrestrium stirpium ; & primo de iis, quæ pingui solo nascuntur ; CAP. XVII.

IAM post tergum relictis aquatilibus herbis, illas docemus, quæ è terra suas facultates hauriunt ; sed prius terræ varietates perquirere oportet ; quæ cum innumerabiles sint, ne noster sermo longius protrahatur, & tyronum ingenia diuexemus, solum aliquas & principes memorabimus : nam & colore variant ; alia enim pulla ; alia, cinera, fuluaque est : sic etiam sapore differunt, vt pinguis, dulcis, amara, salsa, astringens ; sic aliis qualitatibus, sicca, densa, soluta, arenosa, & calculosa, quarum nostri de Agricultura libri pleni sunt, ob id lectores ad eos relegamus : solum pinguis, macræ, mediocris, & arenosæ telluris qualitatem referemus : ex his ingeniosus phytopta reliquas poterit inuestigare ; & primo à pingui incipiemus. Pinguis terra est, quæ linguæ admota pinguedinem quandam præ se fert, lentescitque quasi glutinum. Sed pinguis humi incolam plantam describamus.

QVATVOR terreſtres plantulas tabella hæc oculis ſubijcit; à dextro latere pinguis humi accolam maluam oſtendit, pro inſtanti capite; 57
mox ſecundum locum occupat mediocris telluris inquilina, lotus vrbana, pro vndeuigeſimo capite; tertium in ſiccis naſcens terris lithoſpermon, pro ſequenti proximo capite; poſtremo loco, arenis fruticans agreſte fœniculum, pro vigeſimo capite, ita ad viuum diſtincte expreſſas, vt reliquas, harum ſimilitudine viſu facile aſſequi poſſis.



Assvrgit planta pinguis humi accola perampla corporis ſpecie, & multiplici ramorum ſtipatu, pingui & hilari aſpectu, nec alibi lætior. Trunco tereti, vdo, turgenti. Cortice læui, nitido, ſuccoſo. Immodica foliorum petulantia, ex atro viridantium, craſſorumque, præcocis germinis. Fructu pulpa pingui, ſuccoſa & friabili, molli, vel paruo intus ligno, ſapore dulci, non multum odorato. Flores & fructus excreſcentias quaſdam oſtendunt ſupra eos. Radicibus magnis, hinc inde reptantibus.

Hæ ſunt cauſæ effigiaturæ. Peramplo corpore, ingentibus ramis, folio numeroſo, magno, carnoſoque, fruticat, pinguiũ locorum inquilina, ex Theophraſto; ob id quod plantæ radix ſolo alte deſcendat, imaq; ſubiens ſuccoſa, multum alimenti trahit, quod in exſucca & ſtrigoſa terra facere non poteſt, quum eius radix perſumma adhæreat, minimumque alimenti trahat. Arbores namque pingui ſolo alimenti copiam adeo largam attrahunt, vt optime germinare, magnitudinemque accipere poſſint, ſed fructum parere nequeunt; quoniam non concoquunt, quantum abunde ſit. Pinguæ ſolum, calidum eſt: caliditate radices vegetiores fiunt, & vberius attrahunt pabulum, quod vberius vertitur in frondes & ramos. Frumentum Africum & dracontias, calamum craſſum gerunt, quod non niſi læto agro naſcantur, & vbi poſſint vberius ſuccum haurire. Columella de pingui terra loquens, ait;

Pinguis ager putres glebas, reſolutaque terga
Qui gerit, & foſſus graciles imitatur arenas,
Atque habilis natura ſoli, quæ gramine læto
Parturit; & rutilas ebuli creat vuida baccas;
Tum, quæ ſponte ſua frondoſas educat vlmos,
Palmitibúſque feris lætatur, & aſpera ſiluis
Achrados, aut primi lapidoſis obruta pomis
Gaudet, & iniuſſi conſternitur vbere mali.

Agricolationis rei periti, arbores quæ leui cortice, vdo, tereti, turgentique ſunt, pinguis ſoli indicia præbere dixerunt. Sic quæ ſcabra cute, & cruſtoſa, ſtrigoſaq; obſita ſunt, exuſti, lapidoſique ſoli argumento eſſe. Valde quam numeroſo fo-

lio sunt, & flore stirpes pingui agro consitæ : nam olitores stercore pingui redacto, augent oleribus folia, quæ ad escam sunt. Et coronarij, florum mangones, pinguedinis & culturæ lenociniis flores à pristina forma desciscere, & multiplicem & folioſam reddunt stirpium, & florum familiam, & eximiam pulchritudinem floribus inducunt, vt in liliis, narcissis, bellidibus, caryophyllis, & cæteris passim videre est. Ex arui pinguedine vidimus rosam rubram centifoliam redditam, è cuius medio glomeruli aceruatim collecti erumpebant; & in iasme vidimus alterum florem super alterum insidentem, & vtrumque odoratum; & in quercus foliis pilulam rotundam succrescentem : sic & in vlmo, aliisque arboribus, quæ cœli, vel anni clementia, vel loci pinguedine eueniunt. Natura, cui crebra & multa materia suggeritur, luxuriat variando, & luculentam fœturam foliorum, florum, & fructuũ multiplicando : sic contra, quum ei alimentum deficit, aliquid plantis desideratur. In Thessalia ne segetes luxurient in frondem (cuius agri frugales sunt) depascere & detondere agricolæ solent. Sed cerealia, quæ simplici pubent culmo, ieiuno & gracili solo contenta sunt; quæ vero multiplici, pingui. Typha & semen in exemplo sunt. Pingui pabulo oblato stirpibus, augetur pulpæ caro, & imminuitur os vel tegumẽtum, vt in causis vrbanæ plantæ latius docebimus. Omne vrbanum nucleo minori fructificat, quam incultum; quoniam amplius humescunt, & alimentum vberius ad pulpam augendam deducunt, atque etiam succos pro nostro vsu congruentes maturant. Pingue enim solum ad vrbano parum differt. Quod cito germinent, ratio est, quod viribus præualent, alimentoque abundant, vt amygdala, & punica, & ad summum silueſtria, quam vrbana; quia robustiora, quum humiditas & mollities ad emittendum plurimum conferũt; siccum enim & spissum neque transmeatu facile est, neque copiam habet materiæ. Pingue solum vice stercoris est, & stercus sua caliditate plantæ poros aperit, & radices vegetas reddit, vt & cito fructificent. Quod parui odoris sint : Odor ex siccitate, vt diximus, proueniebat, sed non omni siccitate, ve-

rum terra pinguis, lenta, glutinosaque, humoris lentorisque causa, non æque calor suo fungi officio potest, ob id odoratos fructus haud multum afferre potest. Et vt diximus de ramis, ita & de radicibus intelligendum, quod magnę & procurrentes sint. Vires habet calidas, & humidas; quia pinguis terra calida & humida est, & planta huius loci inquilina easdem retinet facultates. Tritico solum pingue & restibile accommodatum, ex Theophrasti sententia, & reliquorum. Galenus è secundo ordine calefacientium dixit, nec refrigerare, nec exsiccare posse, ergo humectare. Sesamum putre solum expostulat, ex Columella, vel pinguiores arenas. Galenus modice calefacere dixit. Linum pingue solum Varro requirere scribit. Calidum, sed humiditate, & siccitate symmetrum. Zea pingue veruactum exoptat, quod nil magis terram exurat, Theophrastus dixerit, inter hordeum, & triticum temperatura medium. Sic olyra, & siligo. Malua pingui delectatur loco, & humido gaudet lætamine hortorum, calida, humidaque. Faseoli pingui, & restibili loco nascuntur, ex Columella; calefaciunt & humectant ordine primo, ex Galeno. Malus, & pyrus ex Palladij sententia leue & pingue solum desiderant. Idem de sorbo dicendum, quorum temperies calidæ, humidæque sunt.

De forma, & potestate macro solo nascentium;

59

CAP. XVIII.

DIXIMVS de iis, quæ pingui & frugali solo nascuntur; nunc quæ sicco, sitienti, & aspero, quorum facies, & vis opposita. Diximus in humana Physiognomonia calidi & sicci corporis indicia esse carnem macram & hirsutam, duram & siccam, capillos nigros, neruos & venas apparentes: sic

IEIVNI *soli accolam plantam tertio tabellæ loco in proximo iam descripto capite demonstrauimus; quare eam cognoscendi anxios illuc remittimus, ne iterata eiusdem figuræ appositione fastidium potius, quam vtilitatem legentibus pariamus.*

QVÆ squalida & ieiuna stirps, vt plurimum obuia fit humo, aspectu exili & macilento, infelicia sua testatur natalia,

Caule namque ſtrigoſo, rigenti, hirſuto, exucto, gracili & ſurculoſo. Fronde anguſta, vel acuta, vel profundioribus inciſa laciniis. Flore luteolo, nonnihil interdum rubente, ſæpiſſime in vmbellis. Fructu paruo, intus oſſoſo, minuſque ſuccoſo, iucundum halitum eructante, ſapore amaro, vel aſpero. Tarde fructificat. Radice exili, paucis fibrillis innixa. Lente creſcit, vitæ diuturnioris.

Sed deſcriptionis cauſas reddamus. Quod paruo corpore ſint, diximus in ſuperiori, ex Theophraſto; quod quæ vberi humo naſcebantur, peramplo corpore, & alto; ſic quæ gracili; minus alta tellure, quum radices per ſumma adhæreant, & minus alimenti quam competat, hauriãt, breui corpore creſcunt. Frons altioribus laciniis proſciſſa eſt. Diximus quod Naturæ ordo poſcebat; quod ſi in riguis naſcentes plantæ rotundiori, vel retuſiori angulo eſſent, contra quæ in ſiccis naſcerentur, profundioribus ſciſſuris, & laciniis inciderentur, vel mucronatis angulis. Siccitas frondes anguſtas reddit. Populus alba in iuuenta latiori fronde eſt, ſed eadem in ſenecta alimenti inopia anguſtas frondes, & ſcabrum corticem reddit. Ocymum in humentibus & vmbroſis natum, latiori & rotundiori folio eſt; at ſoli expoſitum, contrahit frondes adeo, vt in ſerpillum abire videatur; quia vehementer ſiccatur, vt diximus. Sic de vrbana & ſilueſtri eruca dicendum. Silueſtris lactuca rotundifolia & latifolia, quam *hieraciam* vocant, quod accipitres ſcalpendo eam, eiuſque ſucco oculos inungendo, obſcuritatem quum ſenſere, diſcutiant; ſiccis locis ſata, breuioribus foliis, diuiſuris profundioribus inciſis naſcetur; ſic etiam euadit, cum ſeneſcendo mutatur ætas. De oſſe & pulpa fructus ſæpius loquemur. Plantas, quæ culto & pingui ſolo proueniunt, diximus plus pulpæ, minus oſſis habere; ſic quæ ex ſucco & lapidoſo, plus oſſis, minus pulpæ, ex contraria cauſa. Tarde fructificat, germinatque; quia ex pauco, ſiccoque alimento lignoſa, ſolida, ſpiſſaque ſunt; ſed quæ ſicca, ſolida, & ſpiſſa ſunt; nec tranſmeatu facilia, cum copiam materię non habeant, tarde germinant, vt diximus. Minus habent virium, cum alimento minimo fruantur. Odorati

fructus sunt;quia quæ sicca sunt, parum humoris habẽt;quod paruum est, facile excoqui potest. Suauitas odoris ex concoctione consistit,quæ olfactui congruunt, neque dulcia,neque vllam saporis gratiam habent. Aridis locis omnia ad plenum excoquuntur, vt apud Cyrenem, cuius ager tenuis, & siccus. Quod sapore aspero sint, reddit Aristoteles rationem in Problematis. Thymum in terra Attica acerrimi saporis est; quod ille ager tenuis & siccus sit; quamobrem non multum humoris obtinent,quæ in eo nascuntur. Thymum, quod siccum natura, minimeque dulce; nam ob inopiam tantum humoris retinet, quantum suo conuenit generi, quod dulce nequaquam est; sol autem, quod dulcissimum est, exsugit, vt acerrimum relinquatur. Acria sunt,quæ quum parum humoris habeant, sol vehementer excoquens, & dulce & leuissimum eximens, remanet acerrimum. Dictamnum, quod solo aspero nascitur, excalefacit & acre est; pseudodictamnum, quod lætioribus locis nascitur,ignauum dixit Theophrastus. Quod tarde crescat,rationem ex eodem adducemus:& quum ipsius rationes adducimus, nil maius adducere putamus; quum in plantarum philosophia eminentissimus sit habitus. Ex humiditate prouenit corporis raritas, & per poros facile fit percolatio,& sine vllo impedimento; sic quæ spissa natura sunt, difficile augescere possunt; quod enim spissum, siccum, amarumque est, natura ignis consistit,& hinc lenta huius accessio est. Contra quod rarum,laxum,& humidum est, id celeriter crescit. Vmbellas pro flore adducere, siccarum præcipue est, calidarumque, quum omnes fere vmbelliferæ siccæ qualitatis sint. Testimonia sunt panax, apium, seseli, liguslicum,anisum, carum, anethum, cuminum, ammi, elaphoboscum, daucus, peucedanum, sphondylium, angelica, myrrhis, imperatoria, thapsia, fœniculum, smyrnium, pyrethrum, ferula,achilleon, ageraton,pastinaca,siser,crithmon, gingidium, caucalis, mentha Græca, cachrys, filipendula, libanotis, & alia. Diuturnioris vitæ sunt, quæ carne sicca constant; & arbores, quæ corticem tenuem & siccum habent intrinsecus, sanæ diuturnæ sunt, nec facile putrescunt. Sic in

animalibus testudines, & quicquid eiusmodi est, ex Hippocratæ libro De humoribus. Calidæ & siccæ temperaturæ sunt, & tenuis essentiæ, ciunt vrinam, & menses; comitialibus, & serpentum ictibus valent; partus extrahunt; & quia sapore acri sunt, incidunt; ideo expurgant thoracem, & pulmonem, & vermes necant. Eryngij marini, & montani depressa, aspera & inculta loca persequuntur; & quo asperiora, gustu plus gratiæ, & aromaticis habent; pluribus aculeis circumdãtur, incisuris alte laciniatis, & echinatis capitibus, colore albo viridante, & cæsio, ex loci calore. Cit vrinam & menstrua; serpentium morsibus, opistothonicis, & comitialibus medetur. Galenus tenuis essentiæ dixit. Cinereus pallor, pallensq; saluiæ, qualis in apricis, exustis, & asperis collibus enatę nomen ἡλιόφθαλμος quasi sole tabefacta & siderata, fruticat multiplici surculo, lignoso, folio scabro, rugoso, & squallente, iucundi odoris; vrinam cit, menses & partus; pastinacæ ictibus auxiliatur, & tetra vlcera purgat; capitis frigidis affectib. articulorum dolorib. comitialib. veternosis, stupidis, & pectoris vitiis. Calefacit, siccat, & abstergit. Thymum pusillis fruticat, & lignosis surculis, foliis exiguis, angustis & duris, flore purpureo; petroso & gracili solo prouenit. Orthopnoicis, anhelatorib. prodest; tineas ventris exigit, menses, partus, & vrinas pellit, ischiadicis subuenit. Gal. manifeste calefacere dixit. Saturea in asperis, & salebrosis locis nascitur: herbula est virgulis exilib. sarmentosis, lignosis, crebris foliis, angustis, rigidiusculis, gustu acri, & odoro: vniuersa obsoleta purpura albicat, lignosa radice. Eadem thymi vis; sed minori acrimonia. Anthemis numerosis luxuriat surculis, in alas diuisis, quibus ab radice pusilla folia, crebra, minutatim incisa, per angusta diuisura anethi adhærent. Flores candidi, vberes. Nascitur in asperis, excalefacit & extenuat. Pellit menstrua, cit vrinam & partum, sanat iecoris vitia. Lithaspermum obuiam fit locis strigosis, aut quibus coli desitum sit; ramis gracilibus, hirsutis, porrectioribus, duris; folia angusta, tactu rudia, flosculi albent in alis; & summo secus folia vniones prælucidi, rotundi, lapidea duritie & fractu. Sic-

litatis, absterſionis, & nonnihil acrimoniæ habet. Vrinas pellit. Dictamnum pulegio ſimile, folia tomento, lanugineq; pubeſcunt, in aſperis locis naſcitur; ſi in lætis, pſeudodictamnum dicitur. Excalefacit vehementer, ad mulierum partus Theophraſtus valere dixit; lienem imminuit, ſerpentū ictibus, & venenatis morſibus auxiliatur. Lonchitis naſcitur in ſitientibus & aſperis. Cit vrinam. Marrubium frutex à radice ramoſus, ſubhirſutus, quadrangularibus ramis, flores aſperi. Naſcitur propter ędificia, ruinas, & rudera. Craſsā èpectore pituitam eiicit, menſtrua, & ſecundas extrahit, venenis & ſerpentum morſibus valet. Galenus calidum & ſiccum dixit.

De forma, & commodis plantarum in mediocribus terris naſcentium. CAP. XIX.

DIXIMVS extremas; huc ſe intruſit & media, id eſt, planta mediocri humo naſcēs, non pinguibus, neque aridis, non ſaxoſis, neq; arenoſis, id eſt, ſoluta & leui. Theophraſtus optimam deſcribens ſoli qualitatem, dicit eam eſſe quæ mediam obtinet confuſionem extremorum, id eſt, ſoluti & ſpiſſi; leuis & ponderoſi; ſicci & humidi, ſuperiora modice inferioribus reſpondentia, arboribus, frugibus optimam eſſe; etenim ad habitum aëris quodammodo videtur accedere, ſic & alimentum in ſe continet, & facilem meatum radicibus præbet. Sed ad formam accedamus.

IN *decimoſeptimo capite, ſecundo tabellæ loco, reperies plantam mediocris humi accolam, ibi eam contemplare.*

MEDIOCRIS terræ conuictrix, & familiaris forma vulgatior eſt quam ſit opus affabre delineamentis depingi; nam quas deſcripſimus extremas confuſim imitatur; vt, qui ambas nouerit, nempe & mediam ipſam norit. Magnitudo paulo infra eam, quæ in pingui ſubſidet, ſic etiam proceritate & foliorum luxuria, quæ in exuctis excellit. Nec ſimplici adoleſcit caule, nec multis propagatur virgultis. Folio leniter crenato, nec acriore, nec obſoletiore colore. Non læuis, non hirſuta, ſed molli quadam lanugine rigidiuſcula. Spirat odorem, non tetrum, non aromaticum, ſed nec ingratum. Reliqua omnia medio habitu conſimilia.

Formæ, & commoda consimilia sunt: quippe non calida, non frigida, nec arida, humidaque sunt; sed tepida, & nostræ naturæ familiaria, vt non ad medicamenta, sed ad alimenta potius veniant. Exempla: Hordeo Theophrastus solum gracile præstat, quum leui, & pauco egeat alimento. Sic etiam de trimestri tritico, quum tepido, vel frigidiusculo sint temperamento. Triticum paululum calefacit; non resiccare, nec refrigerare manifesto potest, omni solo nascitur. Zea mediam obtinet facultatem inter triticum & hordeum, id est inter calidum & frigidum. Vrbana lotus in medio frigiditatis, & caliditatis à Galeno locatur, vt quodammodo temperata. Asparagus non calidus, non frigidus; Didymus simplici gaudere solo dixit. Hemerocallis facultatem habet leniter digerentem.

De vi, & forma in arenis nascentium plantarum.

CAP. XX.

EX ASPERIS & sitientibus locis ad arenas deuentum est, quasi sint maiori siccitate donata; quod alimento sicciori, tenuiorique vescantur.

POSTREMO *tabellulæ loco, decimoseptimo capite descriptæ, plantam offendes arenaceo solo nascentem, cuius formam diutius ibi poteris reuisere.*

FACIEM similem natalibus habet, quæ quum exsucca, sitiens, & arida sit, arenarum materiam suo aspectu testificatur. Defectuosa plerunque est; caule, flore, vel semine vacans. Caule lignoso, exili, aspero, nodoso, hirsuto. Folio pusillo, duro, neruoso. Flore melino, vel subpurpureo. Radice dura, sed vegeta. Descriptionis causas reddens Theophrastus, ait in arenosis pars ima optime constat, superna vitiosa est; quod fieri solet, quum solum arenosum, vel tophosum, vel adustum quidem subditum est; vis enim radicis modum excedit, sed alimentum multum ad superiora transmittunt. Reliquas, quia sæpius adductæ sunt, non visum est opportunum repetere; vnde ad vires accingamur. Sunt enim 62
temperamento calido & sicco; & quum tenuium sint partium, vrinam cient. Capparis gaudet locis tenuibus, arenaceis,

teis, & iuxta rudera nasci, ex Theophrasto. Folium & caulem habet subhispidum, radice lignosa. Menses & vrinas cit, & lienes absumit, ex Dioscoride. Galenus tenuium partium esse, & calefacere & desiccare dixit. Brassica arenosum, vel salebrosum solum amat, ex Theophrasto. Vrinam, aluum, & menses cit; morsibus viperarum medetur & lienosis. Armoracea agricolarum obseruatione arenosis læta visitur. Calida & sicca est, & vrinam cit. Fœniculum siluestre valenter exsiccat; in arenis fœliciter nascitur. Calidum & siccum est, menses cit, & vrinam. Halimus in maritimis arenis nascitur. Calida & sicca est, ex Galeno, quia circa mare, ideo aliquantulum humida; & ob id mistæ facultatis. Pulegium in arenis prouenit: vidimus ipsi, & quorundam aliorum experimento constat. Excalefacit, menstrua, vrinam, & secundas cit; serpentum morsibus, & lienosis subuenit. Cucumis siluestris in arenis nascitur, sabuletis, & ruderibus; Galenus menses ciere, & lotium euocare, & calidum esse dixit. Thrasi in arenis nascitur, Libyæ, & Lilybæi Siciliæ, calidum est. Anchusa Alcibiadion vim magnam & medicatam habet: nam acrior & calidior cæteris, cum reliqua genera refrigerent. In sabuletis maxime gliscit.

De amphibiis plantis, & primo de lacustris & terrestris stirpis Physiognomonia; CAP. XXI.

DIXIMVS hactenus simplicia plantarum natalia; nunc quæ vtrunq; habitum mentiuntur, scilicet terrestris, & aquatici. Græci ἀμφίβιος vocant, nos *ancipitis vitæ* dicimus, id est quod vtroq; loco & terris, & aquis viuant. Inter eas quoq; inquit Theophrastus, si quis arctius inquirere velit, alias cõmunem, & quasi ancipitem vitã agentes inueniet, vt myrtus, salix, & alnus. Et alibi: Vtroq; autem loco, id est terra, & aqua salix, harundo, (excepta tibiali) gladiolus, typhaphleon, & butomum exeunt. Nos, quia compositam formam & vires vtroque loco nascentium retinent, iam de iis primitus loquuti, de iis dicemus.

Quia vtriusque loci incolæ sunt, vtriusq; loci mistum habitum præ se ferunt; ex aqua frondes læues, multas & carno-

ias; radices magnas & sinuosas, & caules multiplices habet, ex terra caulem & folia rigidiuscula, sapidiuscula, odoratulaque: sic etiam temperamentum mistum ex vtroque habent, & plerunque ex contrariis, & contrarias quoque vires, id est duplices, vt vtriusque temperamenti remediis aptare possis. nam ex dulcibus aquis vires habent, quas iam frigidis & humidis prouenire diximus; ex terris vero, quæ ex calidis, siccisue. Scordium in montib. & paludib. nascitur, caule quadrangulo, flore rubro, odore allij. Galenus ex multiformibus saporibus, & qualitatibus esse dicit, gustu amaro, abstergit, & calefacit. Ad venenatorum serpentum morsus valet; cit vrinas, & menses; dysenteriæ iuuat; pus è pectore extrahit, & vulnera glutinat. Oxylapathum palustrib. nasci scripsit Dioscorides, ego semper siccis locis, & tenuibus vidi. Galenus mistæ facultatis esse dixit, digerit, repercutit, & constringit; dysenterias, diarrhœas, & profluuium sanat. Smilax aspera in palustribus & asperis nascitur, radice crassa, & dura, venenosorum antidotum est. Galenus, quia acris, excalefacere dixit.

Ancipitium animalium forma, & vires; CAP. XXII. 6

SVNT & animalia quamplurima, quæ aquis & terris viuunt, & ancipitem vitam ducunt. Dicimus amphibia, vt quæ nunc aquis, nunc terris viuant, vt vtrum dicas terrestre, vel aquaticum ignores; & quia ancipitis naturæ & vis, sic & ancipitem formam habent, id est ex vtroque compositam, vt diximus de herbis. Vnde & teguntur pilis, vt ipsa terrestria; & dura carne, scabra, tegumento & squamis, vt ipsa aquatilia; vel læui carne & molli; & tandem sicut vtriusq; elementi formam referunt, sic vtriusque elementi vires retinent, id est mistam ex contrariis, vt calida frigida, humida & sicca: ob id pluribus remediis valent, & præsertim qui contrariis his, vel similibus gaudent qualitatibus.

Fiber primos pedes simiæ habet, quos in terris gerit; posteriores anseris in aquis; priorib. foueam sibi excauat, posterib. innatat; cauda squamata, vt piscis & proinde semper in aqua, sed corpus vt animal, in terris. Sic vtriusque vires obtinet, & ob id multiplices & tam varias: vt nos breuitati con-

ſulamus, dicimus quod Archigenes librum de eius viribus ſcripſerit, in quo, quæ ex aquis & terris vires ſunt, omnes cõtinentur. Anſer circa lacus & amnes verſatur, ex Ariſtotele; pedibus latis, & membranoſis, quibus innatat; pennis indutus, quibus in terris volat. Ex Galeno, caro excrementitia eſt, vt cunctis domeſticis animalibus carnem humidiorem, calidioremque habeat, ex Simeone Sethi; ex Alberto vero frigidam & ſiccam, & ob id varia remedia. Eiuſdem generis formæ & vis anas, cuius caro omnium domeſticarum auium carnium calidiſſima eſt, ex Auicenna, & Serapione; ſed ex Pſello, humida excrementitiaq; ex Alberto, frigida & melancholica. Olores circa lacus & paludes viuunt, in ſtagnis ali Oppianus tradit; eiuſdem vis, & temperamẽti anſeris, & anatis ex Medicorum doctrina. Columba & ſi terreſtre animal, aquis rigari & madefieri gaudet; cuius caro calida & excrementitia eſt. Sus aquis gaudet, & circa ſtagna verſatur; carnem excrementiã habet, humidam, calidamq; & quo pinguior, eo humidior. Elephantes alij paluſtres, alij montani, alij campeſtres, qui & moribus & ingenio inter ſe differũt: ſed propria eſt eorũ natura roſcida & paluſtria loca amare; & ſi vere fluuiatiles non ſint, riparios dicemus ex Ariſtotele, & Ælian. Eius caro frigida eſt, ex Rhaſi; ſic teſtudo ãphibia, & rubeta in humidis.

De facie, & vi amphibiæ plantæ in aſperginoſis locis enatæ.

CAP. XXIII.

IAM ex aquis & terris ad aſperiora ſaxa ſuperuecti ſumus; de amphibiis etiam nunc ſermo erit, quæ in ſaxis & aquis ſimul viuunt, vel vdis lapidibus, & fontium ſpecubus, nuſquam alioquin aptiorem locum in vniuerſa hac noſtra hiſtoria nacturi; ex vtroque enim natali miſtam habent faciem.

ASSVRGIT ergo caule lignoſo, fuſco, gracili. Fronde parua, oblonga, venata, neruoſa, glabra, tarde creſcens. Odor immanifeſtus. Plerunque ſterilis.

Rationes deſcriptionis ſunt: quia ſicut aqua lentitiam & obſequentiam viminibus dat, ſic terra fragilitatem. Succus, quem haurit è terra, frigidã teneritatem conciliat, adeo fragili caule ſunt. Steriles plerunq; quia vt Ariſtoteles, & ab eo

Theophraſtus tradidit, calida & humida animalia fœcunda ſunt, frigida & ſicca ex contrariis cauſis, ſterilia. Reliquas rationes ſuperius aſſignauimus. Frigidæ & ſiccæ temperiei sũt; ex aquis enim in quibus viuunt, frigiditatem habent; & à ſaxis quibus adhærent, ſiccitatem. Quod Galenus ſentit de lichene loquens, refrigerat ratione aquæ; deſiccat, ratione terræ; naſcitur enim ex humore in ſaxis. In humana Phyſiognomonia frigidæ & ſiccæ temperiei tales prorſus erant notæ; corpus durum, gracile, glabrum; pinguedo per corpus diſperſa, tarde creſcens, anhelitus immanifeſtus, ſterilis. Ob id, quia adſtringit, capillorum defluuiis, dyſenteriis, ſerpentum morſibus; cohibet ventrem, & roborat. Phyllitis in parietinis, vdiſque ſaxis naſcitur; caulis floris, & ſeminis expers, radix nigricans, multis capillamentis fibroſa, ſapore acerbo, exſiccante, & adſtringente. Multi ad ſplenem vſus. Lichen aſperginoſis petris adhæret. Plinius folio ſubpingui, cartilagineo, lacinio intercepto, capitulo tenui, longis foliis, caule vno paruo. Sanguineis profluuiis, inflammationibus, impetigini; oris & linguæ defluxiones cohibet. Adiantum puſilla ſtirps, ſaxis, petroſiſque riguis, rupium, fontium, & puteolorum labris adhærens; cauliculis capilloſis pluſculis nititur, puſillis foliis, caule, flore & fructu vacat. Aluum ſiſtit, vrinæ difficultati, & ſerpentum morſibus auxiliatur; ſtomachi fluxionibus, ſanguinem, & defluentes capillos cohibet. Trichomanes eiſdem natalibus & viribus, ſed felici ſimilis: exilibus, & tenuibus foliis in ramulis exilibus, roſeo colore ſplendentibus. Sedum minus parietum aſpergines, fontium ſpecus, & manantia ſequitur ſaxa. Cauliculis exilibus, tenuibus foliis; eius vis eſt refrigerare, & aſtringere. Igni ſacro, ambuſtis igni, & oculorum inflammationibus, capitis doloribus, podagris, phalangiorum ictibus, dyſenteriis, & alui profluuiis. Galenus refrigerare, & deſiccare dixit. Quinquefolium naſcitur in aquariis ductibus, & riguis; ramulos fert feſtucarum ſimilitudine. Alui profluuia, dyſenterias: igni ſacro, vulneribus, & enterocelis medetur. Galenus deſiccare vehementer, ſed minimum caliditatis habere. 64

De vi, & potestate amphibiæ stirpis maris, & terræ;

CAP. XXIV.

SVNT stirpes quæ prope mare nascuntur, vt amphibiæ sint maris & terræ, vt litorales & marinæ dici possint; in æstuariis enim viuunt, vt neque maritimas, neque terrestres dixeris, nec alibi reperiuntur, nisi iis locis, velut afflatu oræ maritimæ, vt humore subterraneo salso fruantur, & ad alimentum trahant, vnde salso fit sapore tota planta. Nos primo figuram, post naturam dicemus.

FRVTICOSA specie exsurgunt litorales plantæ; caulibus non multum proceris, quasi lanuginosis, teretibus, carnosis, albicantibus, foliis rotundis, pinguibus, teneris. Flore purpureo albicante, exoleti coloris. Semine ruffo, salsi saporis, odorato. Præpropere germinantes.

Cuius rationes assignabimus. Diximus fructicosa specie reddi, ex Theophrasto; qui dixit, ea quæ ad Meridiem spectant, minus alimenti hauriunt, meliusque quod hauserint, coquunt; efficiturq; vt non in longitudinem crescant, sed fruticosæ euadant; quippe quæ crassitudinem capiant, findanturque multipliciter, eo quod initia multa capessunt; feruore scilicet percoquente, dirigenteque quoquo versus. Et maritimæ oræ, quia omni obiectu orbatæ sunt, flatus ex mari exeuntes, contortas, & fruticosas specie reddunt. Ventosum locum & inquietum nulla arbos vrbana quærit; paruæ namque & detortæ, exiguæque proueniunt ex flatuum ictu. Caule ex foliis carnosis, albicantibus sunt, quod euenit ex afflatu maris; aëre enim salsuginoso reddito, non solum frondes & caules, sed saxa & parietes albicant, vel quod aëre ibi delato, sale in earum superficie insidente, velut exfloreſcens videtur. Tenera etiam sunt; quia sal omnia tenera reddit: vidimus enim salis beneficio duritiem tolli; brassicæ exemplo, quæ si nitrosis fuerit aquis rigata, friabilior redditur. Theophrastus sal humidum exedere dixit, & desiccando brassicæ humidum abolere, quo cohibentur adhærentes partes. Sed licet quis, cur radicula, vel alia senescentia succo amisso fiunt vieta? Dicendum quod calore, & ætate plurimum aëris

reſoluti abit in vaporem; remanet ergo lentor ille terreſtrium partium cum puſillo humido; at in recenti braſſica, nitroſis aquis rigata ineſt humiditas facta vitrea ſalis concretione; eodem modo gelu euadunt omnia teneriora. Gelati enim caules teneriores ſunt. Quod guſtu ſalſo ſint, plerique dicunt ob alimentum, quod ex ſalſis aquis exſugunt, vt vidimus ex Theophraſto. Sed apud me inueriſimile eſt poſſe aliquid ſale ali; ſed ſalſa ſunt ob aerem, qui ex ſalſa aqua ſubit, ſubtilior effectus; omnia quæ circum mare ſunt, ſalſuginoſa redduntur, per plantæ poros ſubiens, quod in eius ſuperficiem reſidet: videtur & ſaxis & petris, & arborum truncis efflorescere. Argumento ſunt etiam ſalnitrarij, qui ex pecudum fimo ſalnitrum conficiunt; quæ ſi in aeris afflatu maritimo ſtabulauerint, ſalnitrum inutile efficiunt ex multo ſale, quo redundat. Idem Theophraſtus apud Tarentum oleas aduri dixit: ſilens enim ſpiritus, ſenſu conſpicuus eſt; quippe pleraque aduruntur, & conflatus ex mari talis occurrerit, vt inuecta ſalſugine corrodantur flores, ac pereant. Succurrit ex Galeno, quod cum ipſe Marſos interrogaſſet, quo diſſideret vipera à dipſade; reſpondit Marſus, dipſades eſſe viperas in litoribus degentes; quæ quia veſcantur ſalſis, ſalſas eſſe, & ob id ſitim inducere. Loca maritima, quia calidiora ſunt, citius producunt. Narrat Theophraſtus circa Actam vocatam Peloponneſi, & in Phaleco agri Megarenſis, vt loca maritima feſtinantiora, tam ad ſegetem, quam ad reliquos fructus. Apud nos Puteolanus ager omnia præcocia affert; & Vitruuius loca Meridiana & prope mare calidiſſima dixit. Vires, quia littorales plantæ ſalſæ ſunt, ſalis quodammodo naturam ſapiant neceſſe eſt. Ariſtoteles mare ob ſal calidum, & ſiccum eſſe dixit; Aphrodiſeus ſiccum poteſtate mare eſſe, & ſi faciem humidam præ ſe ferat. Theophraſtus ſalem ad trahendum, abſumendumque humorem aptiſſimum eſſe. Salſum ſuccum aluum ſubducere dicunt Medici. Sed videamus vires ſalis. Vetus ſententia eſt, *nil eſſe vtilius ſale & ſole*. Ex Dioſcoride ſal adſtringit, expurgat, diſſipat, reprimit, extenuat, & cruſtas inducit; à putredine vindicat; pſoras, excreſcentia, &

in oculis pterygia tollit; clysteribus infunditur; hydropicis, pruritui, lichenæ, lepræ, anginæ, tonsillis vuæ, vlceribus in ore, gingiuis, phagedænis; aduersus scorpionum ictus, serpentum, ceraſtes, scolopendræ, & crocodili valet; capitis pustulis, thymis, turberculis, furunculis, & testium tumoribus medetur. Contra opium & fungos valet; podagricis, aurium doloribus, igni sacro & vlceribus serpentibus. Sed videamus si aliæ res è mari enatæ easdem vires sortiantur. Alcyonij valent ad smegmata fœminarum; ad lentigines, lichenas, lepras, vitiligines, nigrities, & maculas in facie & corpore. Ad vrinam, ad arenulas, ad renes affectos, hydropicos, lienem, alopeciem, dealbandos dentes, & psilothra. Ad arces etiam, quia tanquam concreta salsugo est, valet ad lepras, lentigines, lichenes & vitia cutis; & in summa vis aëris humorem euocat, qui in alto concreuit, & ischiadicis prodest. Crithamon in maritimis saxis nascitur; fruticosa herba est, foliis pinguibus, numerosis, albicantibus, flore candido, semine odorato, salsi gustus, radice grauis odoris. Vrinæ difficultati, mensibus, & regio morbo subuenit. Galenus exsiccare & abstergere dixit. Halimus frutex folis oleæ, sed latioribus; nascitur in maritimis. Radix conuulsa, rupta, & tormina mitigat, & lactis facit vbertatem. Galenus salsi gustus esse, & adstringentis & mistæ facultatis; maior pars substantia calida cum humiditate inconcocta, leuiter flatuosa. Kali veteribus Græcis indicta, solum recentioribus Arabibus, fruticat in maritimis, caule carnoso, rubenti, foliis semperuiui teretibus, longioribus, sapore salso, ex qua conficitur *Kali*, vel *soda* dicta, eaque ad vitrum conflandum vtuntur. Vrit non secus ac causticum; abstergendi vim obtinet, ob id smegmata, & maculas faciei delet. Est & Kali minus; & alterum genus *salicornia* dictum ad maritimas oras frequentissima. Fruticant è radice fibrosiore quamplures cauliculi bicubitales; videnturq; tenerituriones ramulorum, crassi pinguibus, teretib. geniculatis, per crebros geniculos pyxidatim insertis, quasi alabastriculi, gustu non insulso, nec temperamento, nec vsu à cęteris dispari. His accẽseri debet speciesilla crithami à mul-

tis putata in maritimis nascens, pinguib. foliis, pallidis, gustu
salso. Anthyllis foliis mollibus, radice tenui; nascitur salsis 66
terris, gustu haud insulso: videturque nomen anthyllidis,
quasi à cana lanugine pubescentibus, vel à floscellorum exili-
tate. Sunt enim multæ anthyllides, altera alterâ salsior, flos-
culis ex albo purpurascentibus, salso & acidulo gustu; vri-
næ, renibus, & vulneribus medentur. Marina atriplex atri-
plici similis, & spinachiæ, folio subalbido, sapore salso, nitro-
so; nascitur prope litora, & salinas; abstergit, & aluum cit.
Empetron in maritimis nascitur, salso gustu, sed quo propius
terræ, eo amarius. Galenus ad ea pollere dixit, ad quæ sub-
stantia salsa. Inter salsas stirpes cicer à Theophrasto recense-
tur. Dioscorides vrinam ciere, menses ac partus expellere, &
ad verrucosas formicationes, ad scabiem, capitis vlcera, im-
petigenes, carcinomata, vlcera maligna, siue cacoethes, hy-
dropicos, & arquatus valere. Nasturtium marinum forma sa-
tiui, nisi frondibus teretioribus, albicantibus, teneris, & salsi
saporis esset. Excalefacit satiuum; lieni, partui, & renibus
iuuat; lepras & impetigines abstergit; serpentum venenis,
capillorum defluuio, coxendicibus, tumoribus, & collectio-
nibus illinitur. Sed marino vegetiores vires, præcipue ad cal-
culos pellendos, vt sumus experti vsque ad admirationem.
Brassica nitrosæ facultatis est. Cit vrinam, viperarum mor-
sibus, sordidis vlceribus, & podagris vtilis: cit menses, igni
sacro, carbunculis, fluentibus capillis, & lieni confert; cutem
& lentigines abstergit, & cit aluum. Marina salsioris gustus,
folio carnoso, pingui. Vehementissime cit aluum.

De amphibiis plantis maris, & montium, & animalibus, & eorum viribus. CAP. XXV.

SVNT & amphibiæ plantæ marinarum aquarum, & mon-
tium. Theophrastus: ex his, quæ terrestres proculdubio
sunt, mari nonnunquam viuunt, vt palma, scilla, albucum.
Harum maxima ex parte formas consimiles ex marina, &
terrestri formatas habent.

ASSVRGIT ergo fronde læui, albicanti, flore albo, odora-
to, radice tenui, odorata. Vires etiam ex vtroque loco com-

mistas habet, calidas scilicet, & siccas; calidas ex terris, siccas ex sale marinis aquis immisto. Myrthus in montibus nascitur & litoribus. Virgilius;

Litora myrtetis gratissima, &c.

Et Veneream vocant, quod in mari nascatur, vbi Venus nata est. Contrariis facultatibus prædita est: vincit in ea frigidum terreum; habet & calidum terræ, & valenter desiccat. Valet sanguinis excretioni, vesicæ erosioni, vrinæ, phalangiorum, & scorpionum morsibus, inflammationibus oculorum, ægylopis, & cæteris. Tripolium in maritimis nascitur locis, quæ allidit vnda, recedensque dimittit, vt neque in mari neque in sicco sit. Folio glasti, sed crassiore; radice alba, odorata, & calidi gustus. Contra venena, aquam vrinamque discutiens. Amphibia vero animalia terræ & maris, sunt alcyonij, & vituli marini, quorum etiam vires promiscuæ.

De ætheris varietate, & de herbarum physiognomonia, & viribus sub torrida Zona degentium; CAP. XXVI.

IAM formas & vires plantarum descripsimus, quæ in quibuscunque aquis & terris nascerentur. Decet nunc cœli sectiones describere, quæ scilicet plantæ sub nimio feruore, algore, & tepore viuant, & ab iis primo, quæ sub sudo & feruido cœli tractu degunt. Sed Trogus, Aristoteles, cæterique Physiognomones ex variis cœli habitibus, hominum temperaturas, & mores concinne coniectarunt. Sed mores quippe hominum, sicuti plantas ad cœlum regionis, habitum qualitatemve habere responsum arbitror, vnde liceat nobis ex eisdem cœli cardinibus formas, & plantarum facultates vestigare; sed vt vidimus in humanæ effigiei delineationibus, eos, qui exustas cœli plagas incolunt, esse corpore breui, cruribus exiguis, vibratis capillis, exiguo sanguine, calida, siccaque temperatura; sic etiam plantæ, quæ cum humanis corporibus non parum habent symboli.

Retorrido, & macilento habitu feruidorum locorum incola virgulis fruticat gracilibus, prædensis, exsuccis, contortis, & rigidis, squarosa cute obsitis. Foliis exiguis, angu-

HAC *tabella tres plantulas tribus cœli segmentis responsum habentibus finximus; à dextra namque sub æstuante Zona degentis iunci odorati figuram exhibemus, pro hoc ipso capite; à sinistra postremo loco Septentrionis incolæ, aconiti alteram, pro duodetrigesimo capite proponimus: in quarum medio temperati climatis incolæ rosæ pro vndequadragesimo exponimus.*



ſtis, criſpis, lacinioſiſque, colore non multum viridi. Floſculis interdum croceis, odoratiſſimis; fructu paruo, odorato, ſapore acri, ſemine nigro; radice parua, lignoſa, vitæ diuturnioris.

Sed ad lineaturæ rationes accedamus. Quæ ad Meridiem, exuſtis, & exuctis locis degunt, minus alimenti hauriunt, meliuſque quod hauſerint, coquunt; itaque efficitur, vt plantæ non proceræ, ſed fruticoſæ & craſſiuſculæ euadant; ramoſiores etiam, quia ſuccus magis diffunditur, quam ſubeat, vt ex Theophraſto habetur libro De cauſis. Robuſtis virgis exſurgit, cauſa eſt ſiccitas; nam vt humida mollis imbecilla eſt, & parum efficax ex aqua; ſic ex terra ſicca validior, inque ſuo officio ſtabilior. Sic Æthiopes, vt ſicciores, & ſub torrida Zona degentes, criſpi, macilenti, muſculoſi, robuſtique conſtant, ex Aphrodiſeo. Cur foliis criſpis naſcatur, Ariſtoteles in Problematis reddens rationem, cur cucumeres in terra conditi maiores efficiantur, ait, Sol & ſpiritus exſiccando, quæ eis expoſita ſunt, incrementum impediunt, molemque tum minorem, tum criſpiorem reddunt, quemadmodum & arbores, quæ vento ſolique expoſitæ ſunt. Et Auicenna reddens rationem, cur capilli criſpentur, dicit, vt coria igne vſtulata criſpantur, ſic capilli capitis caliditate ſui, vel cœli feruore criſpari poſſunt; quod ad frondes referri haud incongrue poteſt. Poteſt etiam criſpus euadere capillus, ſi cutis denſa, & pori arcti fuerint: capillus, ferrum, vel aliud eiuſmodi, quod per arctum educitur, incuruatur. Sic ſolis feruore cortex denſus, & arcti pori poſſunt frondes criſpas reddere. Silueſtres herbæ criſpidioribus foliis ſatiuis ſunt, quibus læues, & extenſæ; quia his illæ ſicciores. Braſſica criſpifolia præſtantior eſt læui, ex Theophraſto; quia ſiccior eſt, & ob id ſapidior: diximus enim ſaporem in non abſoluta ſiccitate conſiſtere. Idem de lactucis dicendum, quibus ſapidior criſpa eſt: quia humidis ſiccior eſt; & ſoncho ſeneſcenti criſpantur folia, quia ſiccior euadit. Hedera terreſtris criſpifolia eſt, & calida, ſiccaque. Flore exili, croceo, vel rubenti, quod eſt immodicæ ſiccitatis & caliditatis argumentum. Folia minus viridia

à Meridie; nam viror caliditate diluitur, resoluto humido. Sed de odore loquamur. In totius terræ partibus, quæ ad Orientem spectant, odoratiora nasci dixit Aristoteles quam quæ ad Aquilonem; & eorum quæ ad ortum, quam quæ ad Meridiem, quod loca Syriæ, & Arabiæ pleniora sunt, atque terrenosiora; Africæ vero arenosa, siticulosaque. Nec enim humorum nimium esse oportet, (concoqui namque nimius non potest) nec nullum: sic enim nullus vapor exstingui potest. Idemque; In plantis calidis & siccis natura, humor eorum non fæculentus est, sed concoqui expeditius potest. Constat hoc etiam plagis terræ, quæ vt feruentiores, sic odoratiores sunt; vt Syria, & Arabia, & municipibus earum regionum, quæ sicca & calida nouimus, hoc idem probari potest. Theophrastus item plantas odoratas nasci in plagis ad exortum, Meridiemque vergentibus, vt in Arabia, Syria, Indiaque, vt thus, myrrha, casia, laser, cinnamomum, & alia. Loca feruida odorum fertilia sunt, & quæ alibi, carent odore, in his locis odorata sunt, vt calamus, iuncus; in Syria, & præsertim in his locis, quæ arida sunt, vt ea quæ apud Cyrenem proueniunt: nam non nisi ratione siccitatis odoratiora sunt. Ager enim tenuis, siccus, nec nimium feruidus, aer purus, serenusque ambiens, quæ omnia ad odorem creandum aptissima; & quæ in apricis posita sunt, odoratiora sunt, quam quæ in vmbrosis, & præcipue quæ ad Meridiem spectant; quod minus alimenti hauriant, meliusque quod hauserint, coquant. Siccitas odori conuenientior est, & omnia odorata eo potius vergunt. Argumento illud est, quod tractibus æstuosis, plura, melioraque odoratorum genera prodeunt. Quod acris & vehementis saporis sint, Theophrastus reddit causam de iis loco præallegato; quippe acredo, & odor maxime se consequuntur; odor enim ex tenuiori, sicciorique, quique facile difflatur, humore prouenit; acredo autem ex siccitate prouenit, & ob id odor vbi acredo, vel pinguedo, vt in serpyllo, sisymbrio, ruta, apio & mentha. Præterea quæ adustionem experiuntur, amara sunt; sub zona torrida aduruntur cuncta, ideo fere amara sunt. Experimentum lixiuiũ est, quod

ex cinere, qui ex combustis lignis efficitur, & amarum constat. Africana iris amarior est, quam Illyrica, vel Macedonica. Sic etiam arum in Cyrenaica regione minimum acrimoniæ possidet, Pergamo Galeni patria, acrior est. Sic etiam capparis in Libya ex mari rubro mirum in modum acris est, vt in ore pustulas excitet; in Apulia edulis est. Sic & reliqua. Semine instus nigro, vel croceo colore. Dum enim molitur, semen aromaticum aliquod, farina nigra, vel fusca prouenit, vt in pipere, cinnamomo, cubebe, cæterisque videre est; quæ autem nostra regione proueniunt, plerumque albam farinam reddunt. Sed priusquam de stirpium viribus loquamur, sub calida zona degentium, diluendæ sunt veterum Philosophorum opiniones. Empedocles, vt etiam diximus, & hanc opinionem sequutus est Mnestor, Theophrasto referente, ea quæ locis algentibus perdurare valent, plus caloris sortiri retulit; vt abies, pinus, cedrus, iuniperus; neque eiusmodi arbores his locis perdurare possent, nisi ratione caliditatis. Hanc opinionem videtur sequi Aristoteles in Problematis; ait enim naturam, contra quam loca se habere; quoniam si similem ager, & cito pœniteret; vt qui loca calida habitent, refrigerentur; qui frigida, calefiant. Theophrastus id putat inepte dictum, quum vnumquodque in simili perdurare possit, nec affici queant: ex aduerso vero affectibus pateant. Auerroes quinto Colliget ait; Quæ nascuntur in locis calidis, pro maiori parte calida sunt; sicut quæ ex India afferuntur, & quæ nascuntur in frigidis, vt plurimum sunt frigida. Et potest esse aliquando per accidens, vt nascantur calida in terris frigidis, sicut pinus, quæ nascitur in Illyria; & frigida in terris calidis, vt tamarindi, qui in Arabum terra nascuntur: & hoc accidit ob duas res; aut quia eorum cortex foris densus est; aut quod sub aquis submersa sint, quæ res possint & frigus, & calorem in omni regione præstare; quia calor multus existens in eis, contrahitur intus propter frigiditatem. Ego situs ratione euenire dico; possunt calida sub Septentrione ad Meridiem consita viuere; & frigida in Meridie Aquiloni opposita, vt latius dicemus:

Aphrodiſeus mirabiles virtutes poſſidere dicit loca Meridiei oppoſita. Theophraſtus multa venenata in Ægypto naſci Homeri autoritate, & hic eius venena Helenam excepiſſe dixit;

Proſpera quæ quondam Thonis dulciſſima coniux,
Ægypti Polydamna dedit, quæ plurima gignit
Noxia terra ferax, & multa probata venena.

Medentur meridionales ſtirpes veneno: nam anguium morſus per loca differunt; & genera ſerpentum, quæ æſtuoſis locis gignuntur, magis peſtifera ſunt; frigidiores regiones minus terribiles angues donant, ob id mira naturæ benignitate, vbi abundat malum, ibi remedium. Omnes fere herbæ ſub æquinoctiali naſcentes contra venenoſorum morſus valent. Ad cordis affectus etiam præſtant aromatica, quorum Græci non meminere, ſed Arabes. Et quia nimio Solis æſtu quaſi torrentur, amaricant, ob id in vtero fœtum interimunt, eiiciuntque; ſic etiam humores: ſunt etiam nonnihil acria; ideo incîdunt, vnde calculoſis congruunt, vrinam & menſes cient: & lieni etiam medentur, quum ſint tenuis eſſentiæ. Myrrha in Arabia Troglodyti naſcitur. Arbor ſpinoſa, caudice duro, & intorto, cortice ſcabro, folio oliuæ criſpiori; naſcitur in argilla & ſabuloſa terra. Calefacit, exſiccat, & aſtringit. Menſes cit, & partus velociter pellit; vermes & tineas enecat. Thus Arabiæ indigena, vt ex eo thurifera dicta ſit. Puſilla arbos, foliis lentiſcinis, calefacit & aſtringit; Galenus ſiccare dixit. Styrax in Piſidia, Sidone, Cypro, Cilicia naſcitur. Calefacit, concoquit, emollit, cit menſes, & aduerſatur venenis. Bdellium, lachryma Saracenicæ arboris; naſcitur in Arabia, Media, India, Babylone. Arbor nigra, magnitudine oleæ, folio roboris. Calefacit, & emollit, calculos comminuit, vrinam mouet, à ſerpentibus percuſſis iuuat. Cardamum e Comagene, Armenia, Arabia, & India. Guſtu acri & ſubamaro. Calefacit. Ad comitiales, iſchiadicos, menſes, rupta, tormina, latas tineas, renes, vrinæ difficultates, & cætera. Amomum in Armenia; in Media exigue fruticat, flore paruo, foliis bryoniæ, libro

ſubrufo: ſed Medum frutice venoſo, odore origani. Calefacit, ſiccat, aſtringit. Medetur morſibus ſcorpionis. Caſia fiſtula calefacit, Galenus exſiccare dixit. Vrinam cit & menſes; ſerpentum morſibus, renumque vitiis valet. Cinnamomum tenerrimis ramulis, frequentibus nodis cinctum, acre, incîdens, calefacit, coquit. Vrinam cit, menſes & partus, & latas tineas expellit. Pſeudocoſtus foliis paſtinacæ, aſperioribus; flos melini coloris. Iuncus odoratus ex Africa, Arabia, Nabathæa, vel Babylonia; igneæ caliditatis ad linguam, aſtringens & tenuium partium. Vrinam & menſes cit, miſcetur antidotis. Balſamum fert Iudæa & Ægyptus, tenui & capillacea coma. Calefacit. Menſes, vrinam & partus mouet: valet ad venena, & iſchiadicos. Nardus in Syria naſcitur; excalefacit, deſiccat. Cit vrinas, ad renum vitia, venenata, & oculorum remedia valet. Laſerpitium in Syria, Armenia, & Libya. Acer eſt, & calefacit, Galenus tenuium partium, & eſſentiæ aereæ & igneæ eſſe dixit. Iſchiadicis, venenatis, oculorum aciei, & comitialibus præſtat. Acorum in Colchide, Galatia & Creta: calefacit; & Galenus tenuiſſimæ eſſentiæ & deſiccare dixit. Cit vrinam, comitialibus, ruptis, ſerpentum ictibus, & oculorum caligini medetur. Agallochum India, & Arabia mittunt. Calidum & ſiccum. Sic cyperus Cilicia, Syria, & Cyclades inſulæ, calida eſt. Cit vrinam, calculoſis, ſerpentum veneno, & menſibus ciendis auxiliatur.

Animalium ſub calida zona degentium formæ, & qualitates;

CAP. XXVII.

EADEM de animalibus dicemus ſub calida Zona degentibus quorum forma hæc erit.

EFFERIS aſpectibus, & moribus ſunt animalia feruida loca incolentia, capillo vibrato, pedibus blæſis, & corpore nigro, vitæque diuturnioris.

Phyſiognomoniæ cauſæ hæ ſunt. Ariſtoteles in Problematis efferis aſpectibus animalia eſſe retulit, quæ ſub nimio vel æſtu, vel frigore naſcuntur: cauſamq; eſſe exceſſum frigoris, caloris, qui dimouet, & corporis temperamentum peruertit,

ex quo forma. Blæsis pedibus esse eodem loco declarat: nam vt ligna, sic eius corpora à calore deprauari solent, quod etiam pili ostendunt, quos illa crispiores, quam cætera gerunt; crispitudo namque veluti pilorum blæsitas est. Crispi capilli ratio ex calore est, vt diximus; nam arefactus capillus reflectitur & incuruatur. Colore & oculis nigris esse solent; nam calore omnia comburuntur; & quæ combusta, nigra sunt, & oculorum color reliquo corporis colori assimilatur; vnde, quia nigra sunt ipsa, & oculi nigri sunt. Sunt etiam vitæ diuturnioris, quia natura sicciori constant: nam quod siccum, firmius & diuturnius est. Vel quia frigida loca refrigerare solent, & ambiente calore magis populatur, absumiturque. Sed ad vires deueniamus. Aphrodisiensis calida esse animalia dixit, quæ sub calida Zona habitant. Empedocles, vt diximus, contrarium sentiebat. Vires quas calida & sicca habent. Leones Oppianus in Libya gigni dixit; in Africa, & Syria multi sunt, in Europa solum inter Acheloum & Nessum amnes longe potentiores, ex Aristotele: hodie in Europa non nascuntur; quia maiorem copiam caloris desiderant. Leonina caro cæteras caliditate superat, ex Isach. Camelos inter armenta pascit Oriens; quorum duo genera, Bactrianum & Arabicum. Rhases calido & sicco esse temperamento dixit. Dorcades in Libya sunt, ex Æliano; vltra Catadupa Nili Philostratus inueniri, Plinius non transire montes Syriæ dorcades, & hyænas testatur. Simeon Sethi eius carnes desiccare scripsit. Moschi capreolus Africæ regionibus, Ægypti, & Syriæ reperiri. Calidum & siccum moschum esse ex eodem, & Auicenna habetur. Pantheræ in Asia & Europa nullæ sunt, ex Aristotele; quarum carnem calidam aridamque esse retulit Rhases. Scincus ex Oriente, & Ægypto ad nos aduehitur, Dioscorides ex Lydia Mauritaniæ: calidus ex Auicenna, siccus ex Paulo est.

De forma, & vi plantarum, & animalium in Septentrione degentium;

CAP. XXVIII.

SEQVVNTVR ex aduerso, quæ ad rigentia Septentrionis loca degunt; nam contrarias formas & vires sortiuntur.

Diximus

Diximus in humana Physiognomonia sub Septentrione degentes immani esse corpore, & procero; colore & oculis albicantibus, cruribus crassescentibus, capillis mollibus, & prolixis.

VIGESIMI *sexti capitis fronti præfiximus tabellam, cuius postremo loco aconiti plantam expressimus roscidi cœli alumnam, ibi eam contemplator.*

PERAMPLO igitur & habitiori corpore, recto, procero, & enodi algentium locorum incola surgit planta, aspectu fero, & molli. Flore albo, pauci, vel tetri odoris. Sero germinat & fructificat. Fructus difficilis, vel praui nutrimenti, & plerumque virosi.

Assignatæ effigiei rationes sunt: quod procero, enodi simplici, & recto exsurgat stipite, rationem assignat Theophrastus, inquiens; Vbicumque autem vniuersæ siluæ pars ad Septentrionem spectans, ligna spissiora & pulchriora profert, & summatim meliora, atque omnino robustiora in Aquiloniis exeunt, augentur & proficiunt; densæ in longitudinem potius ideoque enodes, rectæ, proceræque sunt, remique ex his optimi fiunt. Sero fructus maturantur in frigidis: ratio apud eundem, quod calor est qui concoquit: nimia etiam frigiditas exsiccat, exacerbatque; sed media temperies commodissime alit. In cibis cruda, incoctiliaque sunt, quæ gelidis pluuiosisque locis nascuntur; quia largius, validiusque alimentum trahunt. Bœoticum frumentum graue est, cæterique fructus illius agri, quia præpinguis & aer frigidus est. Pleraque venena gignit Aquilo. Aconita dicuntur quod præruptis cautibus giguantur, & frigidissimis locis: sic & cicuta circa Susam gelidis montibus. Columella optimam hortensis soli describens qualitatem, addit, quod venena non producat, id est quod frigidum cœlum non habeat.

Sed negat elleboros, & noxia galbana succo,
Nec patitur taxos, nec strenua toxica sudat.

Quod non nisi à summa naturæ benignitate acceptum ferre debemus, quum venena tam dissitis locis amandauerit, ne iis imprudenter homines vescerentur: salutares vero herbas

nobiſcum eſſe, & innoxias voluit. Vnde credi pareſt in aere frigido, aperto ſole, atque etiam modico alimento opus eſſe: vt venena optima ſint, ob id in montibus plura naſci videntur, in iis maxime qui altiſſimi ſunt atque ampliſſimi, ex Theophraſto. Sed medicamenta quæ aquiloniis, gelidis, ficciſque locis naſcuntur, præſtantiora ſunt iis quæ in humidis; & ob id meliora, quæ ferebat Eubœa, deteriora quæ Telethrium; ibi enim ſicciora, hic humidiora naſcebantur. Inolidæ ſunt, quia mali odoris cauſa cruditas quædam eſt excrementi: quamobrem ſudores etiam aliqui, atque aliquando flatus, ructuſque crudorum fœdius olent. Sic terræ plagæ feruentiores, odoratiores, frigidiores; quia minus concoquere poſſunt, male olidæ ſunt, vt ex Ariſtotele in Problematis. Sed ſola iris apud Illyrios exit, magiſque ad Septentrionem ſpirat. Vires, ſicut forma, ad regionis habitum reſponſum habent: vnde frigidas & ſiccas eſſe aquilonares plantas nemo eſt qui dubitat. Aconita dicuntur, quod montium cacuminibus proueniant, in Ponto, & Italia Iuſtinis montibus, flore luteo, caule & folio ſubhirſuto. Venena omnia eſſe, & certiſſimæ mortis nemo ambigit. Cicuta anguſtifolia, flore albicanti, odore tetro, & frigido necat. Auicenna frigidam & ſiccam in fine tertij gradus dixit: ſed in gelidiſſimis venenoſa eſt, & ideo è Suſis petenda. Taxus abieti ſimilis, venenoſæ facultatis à Theophraſto deſcribitur; naſcique gelidiſſimis locis. Tam præſentis veneni eſt, vt ſub ea dormientes moriantur. Hedera odit calores, frigus adamat; quare in feruidis minus poteſt prouenire; ob id in Babylonia non vixit; contrariam non ferens regionis conditionem: cuius cœlum tam graue & æſtuoſum effundi tradunt, vt vtres aqua plenos, quibus indormiſcant negotiatores, exſiccans, exhauriat: cum enim Alexander Harpalum iuſſiſſet, hederam Babylonis hortis inſerere, vt locis his æſtu flagrantibus, vmbra locorum frondoſis hederæ comis incommoda caloris propulſaret, eam non comprehendiſſe trahit: quamuis Harpalus, vt in ea regione pangeretur, laborauerit: ſed intabuit, & prerſus exaruit. Eius natura in medicina anceps, mentem

turbat, & capiti & neruis nocet; corpus infirmat, torpidoſque reddit ſenſus; fœminas ſteriles facit. Tryphon delirium, quaſi hyoſcyamus facit, & mentem ad inſaniam mouet, & alia deleteriæ facultatis. Sed animalium ſub Septentrione degentium, hæc forma. Corpore amplo, aſpectu fero, villo prolixo & molli, colore albicanti, oculis glaucis, cruribus craſſis, ſapore inſipido. Quod effero aſpectu ſint, rationem proximo capite reddidimus; flaui coloris, & albicantis oculorum & pilorum rationem diximus in humana Phyſiognomonia, earundem quoque qualitatum. Vrſos regiones frigidæ gignunt; & in Africa nec vrſi, nec cerui, nec apes eſſe videntur, ex Plinio. Herodotus in Media vrſos eſſe animal frigidum, humidum, pituitoſumque. In Arabia ſuillum genus non gigni Plinius dicit. Arabes Scenitæ ſi admiſerint, moriuntur illico, ex Solino; nec ferum, nec cicurem India habet, ex Cteſia Ariſtoteles: Germania ſuibus abundat, Belgici feroces. Caro frigida, humidaque. Lupi in Ægypto minores. quam in Græcia; Ariſtoteles multo vulpibus grandiores dixit: Canes in frigida plaga, Africa & Ægyptus gignit. Caro frigida & ſicca, ex Rhaſe. Rubetæ in locis frigidis, & humidis reperiuntur, & nemoribus vmbroſis: magis ſunt venenoſæ in frigidis quam in calidis. Frigidiſſimum animal & humidum. Feles in alpinis regionibus plures reperiuntur.

De facie, & poteſtate in temperata zona naſcentium ſtirpium & animalium. CAP. XXIX.

SEQVITVR inter duo extrema loca medius, ſcilicet temperatus, quem nos incolimus; ad Auſtrum decliuis calidior eſt, ad Aquilonem frigidior; in medio igitur indulgentior ætheris temperies. In extremis venena ſunt, in medio alimenta, & homini conducibilia; & ſi quæ Septentrione, vel Auſtro noſtris regionibus deferantur, earum domita feritate cœli indulgentia miteſcunt, humanæ naturæ conuenientiora fiunt. Forma hæc erit,

In tabellæ medio vigesimosexto capite descriptæ rosam effigiauimus, temperato cœlo nascentem, ibi eam requirito.

Non squallido, retorridoque Africæ, nec turgenti ac prolixo Aquilonis habitu, quam temperati nostri tractus, quasi totius mundi horti alunt, planta se oculis offert, sed mediam inter vtramque faciem hilariorem ementitur; cui tantum succi, & saginæ affert indulgens cœlum, vt possit illa habitior, hac ieiunior videri. Folia denso pullulatu summotenus amiciunt ramos, non latiora, floridioraque Borealibus, nec angustiora Libycis. Flores versicolores, & odori culmos stipant. Multiplæ, & densæ feracitatis pomorum, è quibus non teter spiritus, nec inodorus, vt frigidi cœli alumna, nec aroma olens, vt Austrina, sed olidus opplet nares. Sapor non feruidus, acris, vel insipidus, sed pergratus, vt humanæ vitæ cibo & emolumento, non detrimento sit. Radix tumida, nec viribus indonata, & tandem à mediocris terræ amanti stirpi facie, & viribus non disparilis, sed eam maxime æmulatur, vt sæpius vnam pro altera accipias.

Huiusmodi delineationis sæpius è suis contrariis rationes adduximus. Nos ne potius fastidium, quam emolumentum 73
nuperis pariamus, omittendas duximus. Vires etiam temperamentum inter vtramque retinent, vt calidum, frigidum, humidum, & siccum leuiter attingant, vel potius ad caliditatem & humiditatem vergant, vt concoquere, remollire, vel nutrire valeant. Vitis algidioris cœli impatiens, sub eo fructum vel minimum parit; temperato autem cœlo insana lasciuia vinum fundit, quasi vinifunda; fructum facile omnium principem suauitate & valetudine donat, ex qua animalium princeps homo potum trahat. Calido & humido manat latice; humanæ naturæ perquam familiari. Triticum, ἀπὸ Græcis dictum, quod hominum vniuerso generi sit cibo, ex eoque vitam ducat; vel frumentum, quo fruamur. Indulgenti cœlo spicis prouenit seminum feracissimis: etsi omnibus regionibus seratur ob necessitatem. Italum fructu cæteris præstat; ea sententia fuit Alexandro Magno regnante, Græcia, tunc toto terrarum orbe potentissima. Sophocles Poeta;

Et fortunatam Italiam frumento canere candido.

Calefacit, & humectat impositum, nostræ naturæ familiarissimum. Parum etiam discriminis inter triticum & siliginem, & zeam: nam prioris grani carentia, vescimur eis quorum eadem laus, & commendatio: quippe tritico simillima, copiosissima, & cunctis animantibus iucunda. Medium temperamentum patitur inter hordeum & triticum. Sic olyra, auena, lolium, *sorgi* dictum, & similia. De leguminibus idem dicendum, nec multum ab eiusmodi viribus & moribus absunt. Est & glycyrrhiza nostræ naturæ familiaris. Sic rosa tepidis collibus, ac temperato cœlo lætatur, & facultate parum à medio discedit; sic quoque lilium, leucoium, & arbores ficus, punica mala, pyra, & oleæ. Sic etiam mediarum regionum animalium qualitates & formæ. Placidis in regionibus placida animalia viuunt, sic etiam formam inter illas mediam sortiuntur: vt magnitudo media, pili neque longi, neque crispi, sed plani & molles, colores medij, cuius causæ etiam ex antedictis dependent. Bobus abundant omnes hi nostri tractus. Galenus bubulas carnes non mediocre, nec dispar alimentum nobis suggerere dixit. Capræ caro nostro temperamento assimilis, multumque alit: quamobrem Clitarchus Carthaginensis nouæ academiæ sectator, Thebanum quendam athletam hac carne victitasse, reliquosque suæ ætatis adolescentulos viribus superasse scripsit: sed hœdi præferuntur capris. Agni nutrimentum nobis præbent calidum & humidum, & anniculi melioris conditionis, quam natu maiores, ex Oribasio: lac eius omnium maxime alit. Ex volucrum genere gallinæ omnibus præstant, & facile concoquuntur; sic perdices, attagenæ, columbæ laudatas carnes inter aues obtinent, neque tenuem, neque crassum succum gignentes, ob laudabile nutrimentum ab omnibus expetuntur, ex Simeone Sethi. Phœnicides apud Athenæum inquit se varias delicias degustasse, sed harum nihil conferri posse cum attagene. Attagen auis Asiatica, maxime quæ in Ionia nascitur inter cibos electiles numerata, ex Gellio, & Martiale. Turdi etiam inter cibaria laudantur, neque tenuem, neque

crassum succum gignentia, vt animalia temperati climatis, & infinita prope alia animalia sunt.

De amphibiis plantis, quæ frigido, & calido cœlo proueniunt;

CAP. XXX.

SVNT & amphibiæ plantæ, quæ vtroque cœlo feruido & algenti fruuntur; quæ vt vires, sic & formam commistam ex vtraque habent. Argumento est cupressus, quam, vt Theophrastus inquit, feruida loca magis habent, vt Creta, Lycia, & Rhodus. In Creta insula, Idæis montibus Leucisque vocatis, quibus nix nunquam deest, cupressum comperiri affirmant. In Cyrenensi etiam reperiuntur. Nostri etiam tractus copiosissime cupressum habent, vt nullus locus sit qui eis non abundet, vt vere videatur nostri cœli inquilina. Vires etiam vtriusque retinet loci; frigiditatem ex Aquilone, caliditatem ex Austro. Ideo Dioscorides refrigerare & astringere dixit; Galenus non refrigerare, sed calefacere & desiccare; & tantum ei inesse caliditatis, quantum satis sit ducendæ in altum, nec vllam caliditatem corporibus afferre. Sed mistas facultates obtinere vnusquisque iudicabit.

De situ, & de montanarum stirpium effigiatura, & viribus.

CAP. XXXI.

DIXIMVS de superûm aspectibus; nunc de situ dicemus; gerit enim situs æthereis vices: nam montes, colles, planities, & conualles cœlum commutant, & frigida loca cœlorum ratione situs obtundere, & calida efficere potest; & contra humida desiccare, & sicca humectare: quippe calidioribus in regionibus montium partes Septentrioni obiectę frigidæ sunt, & in Septentrionalibus Meridiei oppositæ calidæ, & tandem pusillo in vnius villæ ambitu, vel regionis totius mundi compendium habere poterimus, & Meridianos æstus, Septentrionales algores, & mediæ regionis tepores: id est cœlum cum terra maritare, quod tantopere desiderabant maiores nostri.

ALIQVAS *herbas situs varietates ostentantes hac tabella expressas huic capiti præfigimus, putantes ostendendis earum figuris suffecturas. A dextris prima montium inquilina hyssopus pro præsenti interuenit; secunda, plani domestica crithamus; tertia, conuallium mandragora; postrema, collium vitis, pro priuatis capitibus vigesimoquinto, sexto, & septimo describendis, ne singulas repetere coacti essemus.*



Eiusmodi ratione plantas è gelido, & Aquilonio cœlo, & ex retorrido Africæ allatas nostris regionibus inquilinas redimus, illis partes Austro obuersas, his auersas constituendo. 7
Nos vt à nuperis gratiam ineamus, neque dicendorum ordinem intercidamus, vbi de cœli segmentis loquuti sumus, de situ dicemus; & primo à montibus incipiemus, & montanæ plantæ vires & formas describemus. Sed prius animalium formas celsis montium verticibus degentium videamus. Sunt enim alpini, vel montani accolæ rudis aspectus, macilenti, & retorridi; guttura habentes strumosa, boni coloris, & diutius viuentes. Animalia aspera, efferatioraque; robustiorum virium, quam plana incolentes.

Scabra ergo strigosa, macilenta, tristiorique facie infœlicia sua testantur natalia monticolæ plantæ, breuis & desicata tota corporis forma assurgit. Caule spinoso, vel si mauis aspero, nodoso, hirsutoque, contorto, retorrido, solido, & rigenti. Folio paruo, crispo, hirsuto, neruis, vel torulis exstantibus radiatim à pediculo in ambitum proiectis. Floscello decolori, & minus odoro. Fructu sapido, interdum acri concocto, paruo, non minus odorato. Sero germinat, floret, coquitque fructus. Radice parua, paruulisque fibris innixa, sed medicis vsibus commendatiore dote. Vitæ perennis.

Sed talis effigiaturæ causas enarremus. Quod breuis & delicata sit, facit loci natura arida, exucta, & siticulosa. Aristoteles reddens rationem in Problematis, cur animalia parui corporis proueniant; dixit ratione alimenti, si exiguum fuerit, & alimenti inopia magna corpore prouenire non possunt, ob id puerilibus membris constare videntur, fitque admodum sint modici, tamen congruentes omnes sui corporis partes habent, vt Nelitenses catelli. Sunt enim crispa, nodosa, solidaque, idque etiam ex loci habitudine prouenit: nam arbores, quæ vento & Solibus expositæ sunt, eiusmodi prodeunt, & Aristoteles eodem loco rationes adducit: nam Sol, & spiritus exsiccantes, incrementum impediunt, molemq; tum minorem, tum crispiorem reddunt; sic etiam paruæ, solidæq; excrescunt, nullo obice ambiente, quod alimoniã largio-

rem faciat, vel ne pabulũ arescat, vel euanescat. Theophrast. etiam scripsit, quod locis flatibus expositis, & apricis, vel raris & solutis exeunt plantæ breues, nodosæ: nam flatus exasperant, & nodos faciunt retorsionis & consistentiæ causa. Et alibi tradit in siccis & saxosis scabra nasci, & ob id montanum scabrum, & fraxini montanæ grate coloratæ, crispe, solidæque; & iis ad lautiora opera vti; & ad summum, montanas plantas ob frigus scabriores, spinosiores, nodosiores, & magnitudine minores, quam quæ in planis nascuntur, esse. Idque in nobismetipsis experimur. Quotiescunque enim frigore, vel flatibus inhorrescimus, illico in cute inæqualitas exoritur, detruso introrsum calore, & humido: sic caro subsidet, & pili tutantur rigore suo locum, & caro exasperatur. Dixit etiam alibi montanas campestribus nodosiores. Et in apricis nodosæ & contortæ. Et mala pyraque in montibus breuia, nodosa, spinosaque proueniunt, in planis vero ampliora, pulchriora visu, meliora tam materie, quam fructibus; sed montanæ plantæ materie commodiores vsu. Spinosæ etiam sunt, quæ montibus nascuntur, idque quia siccæ, spinositas enim & horriditas à siccitate: nullibi enim opportunior locus ad spinas producendas, quam mons. Sed de spinis loquuturi, videamus causam in plantis spinarum, & primo quid Aristoteles dixerit libro De plantis. Ait enim: *In eiusmodi plantis raritatem inesse quandam, per quam ascendat humiditas frigida, quæ Solis vi concrescat.* Quod mihi falsum videtur: nam spinosæ omnes fere plantæ cæteris densiores sunt in eo genere, & minus humoris commeatus per corporis spatia. Exemplo est pyrus, quæ feris translata locis, adhibito cultu, deponit agrestem illum habitum simul cum aculeis, quos adulta tulisset; simul & laxatur illa densitas, quæ videtur in eis popularibus, vnde ad meliorem naturam transposita fuit. Nec assentiendum est ex humore frigido prouenire, nam stirpes multæ, quoad frigidiusculæ sunt, nullam spinam gerunt, vbi per ætatem prouectiorem tum anni, tum suam concaluere, ibi tandem aculeascunt. A lactuca petatur exemplum; quæ quum aculeascere incipit, amarior & calidior est; sic cinara,

eryngium, aloe, & vrtica: & opinionem hanc ſub ſenſus triumpho captiuam ducent. Albertus dicit, quod in plantis ſpinoſis eſt raritas tranſuerſorum pororum à capite plantæ ad cutem venientium; & hæc eſt via, per quam creſcit ſpina. Materies autem ſpinæ eſt ſuccus terreſtris, calidus valde; in qua propter intenſionem materiei, ſtatim ab initio formationis plantæ feſtinat decoctio, & feruens ſicca materies, & acuta educitur in raritate tranſuerſorum pororum; & dum prouenit exterius, à ſole exſiccatur, & fortiſſime dureſcit. Quod ex terreo ſicco proueniant ſpinæ, argumento ſunt oleaſter, pinaſter, malus, & Punica ſilueſtris; dum ſiluis neglectæ viuunt, ſpinis induuntur; eædem poſtea cultu hortis cicuratæ, fit cortex læuis, & euaneſcunt ſpinæ: eodem modo vrbanæ in ſiluis neglectæ mitiori habitu exuto, in ſpinas abeunt, vt diximus. Et ideo Theophraſtus: Silueſtre id peculiare habet præ cæteris, quod omne durius, ſpinoſiuſque euadit. Lactuca, vt diximus, cum ſicceſcit, ſpinas foras emittit; ſicut etiam de ſoncho videre eſt: nam vt de nodis diximus, plantæ, quæ hibernis, apricis, macris & aridis locis degunt, ſpinoſiores fiunt, quum ſpina non niſi acutior nodus ſit: & quæ dilutis, planis vmbroſiſque locis naſcuntur, enodes, & minus ſpinoſæ; vel ſi ſpinas habent, rariores, mollicellæ, & minus mucrone validæ: ob id iudicatur quod ſiccitate eueniant: nec multum à noſtro propoſito abſunt, quæ Theophraſtus dixit de vrbanis, & feris ſilueſtribus: nam terreſtres plantæ ob terreſtre alimentum lignoſiores dant fructus; contra autem vrbanæ ob humidum alimentum, minus lignoſum, & magis carnoſum, vt in amygdalo videre eſt. Succurrit nunc Ariſtotelem libro Problematum dixiſſe, roſas ſuauius olere quibus vmbilicus aſper, quam quibus læuis; inquiens, Suauius olent, quia modum conſequuta ſunt ſuæ naturæ, vt roſa ſpinoſa ſit. Et Theophraſtus roſas odoratas dixit, quibus pars ima ſcabra. Et ego dicerem ſpinas arguere ſiccitatem; & quæ ſicca ſunt, odoratiora ſunt, & odoris vis in ſiccitate conſiſtit; & ita ſunt ſpinæ in plantis, vt in animalibus pili duri, cornua, ſquamæ, ſpinæ, & eorũ complexionem aliis ſiccioremem oſten-

dunt. Athenæus inquit; *Saxatiles vocantur piſces, gobiones, ſcorpij, paſſeres, & iis ſimiles, & corporibus ſiccum miniſtrant alimentum, & faciles ſunt ad concoquendum, neque excrementa multa, neque flatus gignunt.* Et apri ſilueſtres, quia ſicciori alimento viuunt, pilos duros habent; dentes rigidiores, & magis exertos, & ſiccius præbent alimentum, vt cætera ſilueſtria animalia. Idem ſenſit Auerroes in ſuis Colliget, quod multitudo oſſium in animalibus vngues, claui, ſquamæ, & ſimilia his ſignificant, quod in eis eſt multum terreum; & laudantur in piſcibus ſquamæ & ſpinæ; quia ſignificant rem contrariam earum complexionibus. Et quod melioris alimenti, & præſtantioris ſint ſucci, prohibet Deus in ſacra pagina ne comedant piſces molles, quos Græci μαλακοσάρκους vocant; vt ſunt turdi, merulæ, & ſimiles. Sed quum ſpinæ pyramidalis figuræ ſint, id eſt, à craſſo prodeuntes atterantur in mucronem, videamus Ariſtotelem libro de Plantis quid dicat: *Aer*, inquit, *peculiaris plantæ circumfuſus, eius auget partes cum intentione materiali, id quod plantis ipſis eueni; tenuiore namque cacumine ſunt.* Albertus aliam affert rationem. Aër incluſus in materia illa, quæ ſpirituoſam eam facit, quanto magis à planta, in qua ſpirat, elongatus fuerit, tanto magis augetur, & in tenues auras abit; & ideo magis acuitur neceſſario; ſed mihi non videtur Ariſtoteles cauſam plane attigiſſe: ſed figuræ cauſa in ſpina, quod baſis alimento prope ſit, atque iccirco latior, ſic etiam racemorum facies, ſtrobilorum, & omnium fere quorumcunque. Sed ſpinis impegimus; iam exſoluamus. Solidiores ſunt. Theophraſtus ſcripſit quod locis apricis naſcantur in craſſitudinem & in profunditatem diſtendantur; & propterea obliquiores, & nodoſiores, & in totum ſolidiores, ſpiſſioreſque aſſurgunt: atque validiora, ſpiſſioraque ex natura loci reddi: ſicciora, conſtantioraque ſunt, quum montana loca ſpiratiora: ſunt etiam coloratiora. Theophraſtus de acere loquens, ait in montibus naſci flauam, grate coloratam, in planis vero cãdidam. Sic & fraxinum in montibus coloratum, in planis vero decolorem; & ad ſummum, in montibus coloratiora naſci. Ariſtoteles etiam in Problematis ait loca

commode aſpirata, coloris hilaritatem præbere, tam qui in vallibus degunt, quam montibus hilariore colore viſuntur, quam campeſtres. Odoratiora ſunt quæ in apricis quam quæ 7
in vmbroſis, & præcipue quæ ad Meridiem ſpectant; quod quidem minus alimenti hauriunt, meliuſque quod hauſerint, coquunt; locuſque efficit, quod non in longitudinem creſcant, ſed fruticoſa euadant, quippe quæ craſſitudinem capiãt, findanturque multipliciter, eo quod initia multa capeſſunt, feruore ſcilicet percoquente, dirigenteque quaquaverſus. Vina montana odorata. De roſis vero, violis, reliquiſque floribus loquens dixit; in montibus longe minus odoratiores naſcuntur. Odores fiunt non in nimia, & abſoluta concoctione, ſed in prima: in montibus etiam exſuccis, & apricis plus debito coquitur. Fructus minores & paruiores producit ex alimenti paucitate, quo veſcuntur; redditque rationem Aphrodiſeus, quod telluris loca excelſa, atque ſaxoſa parum fructificant, quod humore indigeant; ſubmiſſa vero humectiora eſſe, & ob id fertiliora experiri: ſic etiam ex humoris indigentia pars capitis ſuperior caluet; quia tenuior; infima magis piloſa, quia humidior. Acutioris ſucci Ariſtoteles rationem reddit in Problematis. Euenit enim ex tenui ſolo, exſuccoque; quia non multum humoris poſſident, quæ in eo naſcuntur. Vnde & quæ dulcia ſuopte ingenio conſiſtunt, hæc ob humoris contenti mediocritatem, vbi Sol partem cõſumpſerit maximam, facile reliqua concoquuntur; etenim multum concoqui, negotium magnum eſt, mediocre expeditius confici poteſt; vnde fructus, qui lege ſuæ naturæ dulces creantur, dulciores euadunt; qui natura ſicci, & non dulces: nam ob inopiam tantum humoris retinent, quantum ipſi conuenit generi. Sol autem dulciſſimum, & leuiſſimum eximit, itaque acerrimi relinquuntur, humore ſuperuacuo carent, quem fructus cæteri obtinent. Tenuioris etiam cibi ſunt: vt legumina, quæ in ſicco ſolo. Solique expoſito, coctiua naſcuntur; quia plus vis Solis percoquit. Serius germinant, & fructificant; idque ratione frigoris, quod arbores conſtringit. M. Varro montana loca leniora, ſalubriora, &

ſerius producere, quam campeſtria dixit: Theophraſtus in montibus nouiſſime germinare dixit. Radices minores ſunt, quam quæ in planis, ex eodem. Diutius viuunt montium indigenæ tum plantæ, tum animalia ſuo quæque in genere, quã campeſtres. Ariſtoteles in Problematis ait; *Qui loca edita, apertaque colunt, tardius ſeneſcunt; quã in campeſtribus, ocius*: nam ſenectus putredo quædam eſt; putret autem quod quieſcit; minus afficitur, quod mouetur, vt aqua profluens, locis editis afflante vndique ſpiritu aër agitatur, in cauis manet immotus. Ad hæc locis apertis purus, ac diuerſus propter agitationem aer habetur, paluſtrib. emarceſcit. Tarde creſcunt. Idem rationem reddens, cur in animantium genere alia breui tempore pariant, alia diu; dixit, *aër ſitiens haud cito ſuas ſtirpes enutrit*. Sed quas Medicis dent vires ſpeculemur. Aer in montibus tenuior, & agilior, quia mouetur, argumento, quod minus gelantur. Ex agri exilitate ſicci naſcuntur plantæ temperamenti, ex Solis apricitate calidi; nam Meridiei oppoſitæ, illico creſcentibus ſemper Solibus expoſitæ ſunt, ob tenue & exiguum alimentum, & optime confectum; tenuium ſunt partium, & eiuſdem ſpeciei. Quæ ferunt montes medicamenta, potiora campeſtribus eſſe, periclitati ſunt Medici: quia acria & amara, ideo interanea occidunt animalia; quia ſicciora calidioraque eſſe ſolent, ob id exulceratiora: ad lepras, impetigines, & pſoras valent, & ad fœtum in vtero perimendum. Ex acri odore virulentorum ictibus obluctantur, & nidore ea fugant. Quia acria & calida, digerunt, extenuant, & incîdunt humores craſſos, & faciunt ad elephanticorum remedia; quia tenuium partium, flatus extinguunt. Galenus ad venenoſorum animalium morſus aſſumi, velut cauteria quæcunque medicamenta, ait calida eſſe & acria, & tenuium partium, quæ facile ex alto ad ſe circumiacentem qualitatem attrahunt. Exempla erunt. Ruta in hortis vulgares, ſed in montibus vires vegetiores habet, & odorem vehementiorem, ex Dioſcoride; ſi copioſior edatur, interimit: anguſtifolia eſt, & rigidis cauliculis. Calefacit, & exſiccat; vrinam & menſtrua cit; partus enecat: contra ſerpentes &

venena valet; tineas pellit; vitiligines, formicationes, verrucas, & impetigines tollit; comitialibus & coxēdicis prodest. Plura tithymalorum genera sunt; characias in montibus & asperis nascitur; myrsinites etiam in asperis; dendroides in petris; omnium valentissimus characias, mox myrsinites, & inde dendroides, postremo paralios, qui in maritimis, & helioscopius qui circa oppida: hebetiores habet vires, ex Dioscoridis & Galeni censura. Tollunt impetigines, formicantes verrucas, & pensiles, pterygia, & similia. Oreoselinon, & hipposelinon valentiora cæteris; quia in petris nascuntur, ex Galeno. Elleborus authoritate Theophrasti in Oeta monte natus, oppido quam melior Parnassico est; quippe multis in locis & niger elleborus, & aliæ radices hebetiores conspiciuntur. Dioscorides menses ciere, partus necare, scabiem, vitiliginem, lepram, & impetigines sanare. Galenus tertio ordine calefacere, & desiccare dixit. Duo polij genera, montanum *Teucrium* dictum, alterum fruticosius, non vsque adeo valens odore, & viribus infirmius. Plinius fruticosum *campestre* & *maius* vocat, siluestre minus, *Teucrium* dictum. Serpentum ictibus, lienosis, aluum & menses ciere, suffitu serpentes abigere. Galenus calidum & siccum in tertio pronunciauit. Hyssopum montanum, & hortense est; sed montanum omnia efficacius præstat, ex Mesue. Vim habet extenuandi, & calefaciendi; tineas necat; lienosis & hydropicis medetur. Galenus tenuium partium esse, & desiccare & calefacere in tertio; menses & vrinam ciere, & visum acuere dixit. Calamintha triplex, montana, campestris, & aquosa, sed viribus inefficax. Menses & vrinas pellunt; venenis resistunt; interanea animalia necant; elephanticos adiuuant; partus extrahunt; accensæ, serpentes fugant; ischiadicis iuuant: sed ad omnia dicta montana efficacior: gustata impense feruet, & acris est. Nardi duo genera, Syriacum, & Gangite; Syriacum dicitur non quod in Syria nascatur, sed quod montis in quo oritur, pars ad Syros flectatur, Gangite, à Gange fluuio montem præterfluente, quod viribus infirmius montanum autem odoratius. Spica breui, & mutila. Vrinam mouet, cit aluum. Absinthij

genus præstantius quod in monte Tauro prouenit. Anchusarum non eædem vires, onoclea fronde tenuior, virtute potentior. Idemq; dicendum de Polemonia, ptarmica, thymelæa, vincetoxico, pęonia, lauro Alexandrina, daphnoide, angelica, tragio altero, & iunipero; quę omnia in montibus nascuntur, & suis campestribus vegetiores virtutes nanciscuntur.

Animalium in montibus degentium forma, & vires;

CAP. XXXII.

EADEM de animalibus dicemus, & primo de montanis, quorum forma exucta, macilenta, dura; pili duri, & colorati; oculi crocei; vngulæ duræ; carnes sapidæ, & valentiores in operando; quorum causas superiori capite descripsimus. Onagrorum in Phrygia, & Lycaonia sunt greges multi, ex Varrone. Ferorum greges fert Asia & Africa, ex Plinio: amāt loca excelsa, & rupes. Plinius quum domesticorum asinorum remedia recensuisset, omnia eadem onagris efficaciora esse subiungit. Dorcades, & capræ locis montanis potius pascuntur, quam planis, ex Varrone. Capreæ saxa & rupes altissimas habitant; ob id ex capreis remedia petenda, inquiunt Medici. Elephantes alij paluſtres, alij montani, alij campestres; qui montibus degunt, ab aliis virtute & ingenio maiore differunt. Lepores montani, campestres, & paluſtres; sed montani à campestribus differunt nigritia, magnitudine, ferocia, densiore pilo, & virtute. In excelsis montibus & solitudinibus versatur monoceros. Ad venena, pestem, & comitiales valere dicunt. Panthera in montibus præcipue; eius caro sicca. Simias in montibus habitare scripsit Herodotus. Caucasus abundat eis, ex Philostrato: Indiæ montibus tantam esse multitudinem, vt Alexandri Magni copias sæpius præterrefecerint. Oues in montibus agrestes sunt, & boues ex Æliano; quæ omnia solidioris & potentioris virtutis suis campestribus declarantur.

De campestrium plantarum Physiognomonia, & viribus;

CAP. XXXIII.

CONTRARIVS montium situs planities, & concaua sunt loca; & sicut contrarius situs, sic contraria vis & forma

contrariis ex cauſis oriuntur. Sed campeſtrium animalium videamus formas, quæ montanis molliores, vitæ breuioris, & virium ignauiores ſunt, craſſiores, & imbecilliores, ſed hilariores decore & forma. Et ſi in montibus alimenti inopia, omnia erunt puſilla, in planitie alimenti copia omnia erunt pleniora.

CAMPESTRIS *plantæ crithmi figuram in fronte vigeſimi ſecundi capitis reperies.*

PERAMPLA & viſenda magnitudine ſurgunt campeſtres plantæ, craſſo, vdo, & vberi aſpectu. Caule nitido, læuore inſigni, rotundo, crebris foliis ſtipato, in rotundum, vel latum mucronem deſinentibus, ex atro virentibus. Flore pulchello, odoro, vegetoque. Fructus inſana laſciuia profundentes; habitiores, decoros, ſed ſapore & odore dilutiores, qui celerius quam montani corrumpuntur, & minus alunt. Radice ampla, multiplici crure diuaricata, in longitudinem porrecta, & tandem haud multum diſſidet ab ea, quæ in pingui ſolo naſcitur.

Cauſæ. Quod illa hilarior coruſcet, dicit Theophraſtus, ex plantis quæ montibus & planis naſcuntur, ſemper campeſtres magnitudine maiores, rectas, ſpecie viſendas, & minus nodoſas prouenire. Sic etiam corpore laxiores, læuiores, pallidiores, decoratioreſque, fructus quoque dulciores, carnoſiores, & magnitudine peramplos. Vidimus ſupra ex Ariſtotele in Problematis ex maiori alimento animalia, & plantas maiorem capere amplitudinem: modo planities & ſubmiſſa loca copioſe ferunt; quia magis humecta ſint, vt tradit Aphrodiſeus. M. Varro omnia in planis citius fructificare, & germinare dixit quam quæ in montibus; cauſam habemus ex Ariſtotele in Problematis contrariam; quod ſerius fructificant in ſitienti agro, ergo in humido & pingui citius. Ex craſſeſcente ſucco & plena concoctione fit dulcis ſapor, ſecus autem odor, qui in prima & non abſoluta concoctione conſiſtit; proinde plantæ, quæ in planis viuunt, quum alimento & humido abundent, & calore, perfectam concoctionem nanciſci poterunt, ob id ſaporis dulcis afferre fructus: ſed ignaui odoris,

odoris,quum humidum se perniscens, eum hebetet. Sed videamus ad facultates nanciscendas, quid nobis adiumenti afferant natalia. Tria, dicit M. Varro agrorum fastigia, montanum, collinum, & campestre; montanum frigidum, collinum tepidum, & campestre calidum. Itaque vbi lati campi, ibi magis æstus; & ideo in Apulia loca calidiora, ibique pabulum multum; propterea vires mediocriter calidæ, & siccæ: proinde ad eas, quibus mediocriter calida prosunt, valent; vt serpentum morsibus, vrinis, menstruis, secundis, & similibus. Amomum, quod in Media nascitur, calefacit, exsiccat, & morsibus scorpionis valet. Eryngium nascitur in campestribus; menses & vrinas pellit; tormina & inflationes tollit, serpentum morsibus, haustis venenis, & comitialibus medetur; calidum, & siccum. Verbascum in campestribus nascitur, contra scorpionum ictus. Galenus extra calefacere, siccare, & astringere dixit. Calamentha campestris, quæ longe inferior montana: venenis, interaneis animalibus, menstruis, & vrinis iuuat. Calida & sicca. Leontopetalos in aruis & segetibus nascitur. Serpentum ictibus, & ischiadicis valet. Calida & sicca, ex Galeno. Mercurialem in campestribus nasci dixit Fuchsius, & est digerentis facultatis.

Plantæ in cauis locis nascentis vis, & forma;

CAP. XXXIV.

OPPONITVR vallium cauitas vmbrosa montibus Meridiei oppositis: sic & plantarum forma in cauis vdis degentium opponitur montanæ: concaua enim vmbrosa crassos vapores continuos habent, qui nec dissipari, nec immutari facile possunt. Sed vniuersalem plantæ formam describamus, quam retinent, aut retinere debent in vmbrosis oriundæ.

MANDRAGORAM *in vmbrosis nascentem in tertio tabellæ loco offendes, in fronte trigesimi secundi capitis.*

PALLENTI, & veluti morboso quodam aspectu tumida, luculentaq; forma, & elato supercilio visenda attollitur planta in vmbrosis, depressis, cauis oriunda. Caule tenero, glabro, enodi, excelso, vt prę sua imbecillitate vix suo oneri sufficiat, diti foliorũ fœtura in humidũ deuexa. Folio amplo, carnoso,

læui, mollicello, laciniis obtuso, colore atrouirente, vel puni-cante. Flore plerunque infœcundo. Fructu amplo, insipido, inolido, & decolori. Sero fœtat. Radice magna & fungosa, & breuis vitæ; & tandem consimilis fere facultatis, & linea-turæ plantæ aquosarum natalia sectantis, vel vdis, & subsil-liis nascenti, vt harum quaslibet qui nouerit, vtrasque mon-strabit, & vtramuis quilibet accipiet.

Sed lineaturæ rationes afferamus. Theophrastus affirmat arbores, quæ opacis locis, & ventis & Solibus auersis viuunt, proceras, læues, & excelsiores exsurgere; immo quæ sua natu-ra, neque rectæ, neque excelsæ surgere aptæ sint, quum huius-cemodi locis hospitatæ fuerint, eiusdem naturæ habitum ac-cipere, & rectas excelsasque fieri, vt quercus læues & rectas, vt pene abietum vertices æquent, apud Hæmum montem fieri dicunt. Sunt enim solutiora, humidiora, imbecillior-aque his locis; quia neque Solibus, frigoribus, neque flatibus diuersitatem accipere possunt. Fraxini enim læues excelsæ-que in locis potissimum concauis, madidisque fiunt. Sic abies in vmbrosis pulcherrima, vt in Arcadia circa Cranam voca-tam, loco quodam concauo, & silente à ventis, quam nun-quam Solem attingere aiunt, tum longitudine, tum crassitu-dine cæteris præstant; sed non materie pulchra. Quamobrem ad lautiora opera, cæteraque magnifacienda hisce minus vtuntur, sed ad nauigia, domosque & ad antemnas, & ma-los præstantissima longitudine, sed non similiter validas, at-que ex iis quæ soli oppositæ sunt. Sic taxus, padus, & traupa-lus vmbrosissimis gaudent. Ratio est, quod quæ loca vmbro-sa tenent, impetum naturalem in vnum tantummodo fa-ciunt; quoniam virgæ non in crassitudinem, sed in longitudi-nem potius adolescunt, & baculis quoque idoneæ fiunt, vt tum alibi, tum circa Cisthum patescit. Sed plantæ præhu-midæ, hisce locis sitæ, proinde distorquent se, quia propter vbertatem alimenti nequeunt proceritatis excessum sustine-re. Quemadmodum Aphrodiseus dicit spadonis pedes de-prauari solere præ nimio humore; membra admodum made-facta, & emollita, proinde debilitatem gerunt; fit enim

vt pondere superimposito corporis crura parum ad sustinendum valida, peruertantur. Folia vel puniceí coloris, vel ad punicum vergentia: nam vt habetur ex Aristotele libro De coloribus, in locis humidis, & vmbrosis mutatur color ex herbaceo in puniceum colorem, vt in pauimentis videre est humidis in locis: fit enim humiditate; quum exsiccatur, aëre, vel Sole contrahitur in puniceum. Inolida esse diximus superius ex Theophrasto libro De causis, quæ humida sunt, ac odorem in siccitate potissimum hospitari; & quæ dilutis, & opacis tractibus viuunt, inolida esse, quia humida; humor enim largius se permiscens, odorem obtundit, hebetatque. Præterea humida mollia sunt, & odor & mollities in eadem sede versari nequeunt. Flores & coronamenta in humido cœlo, & crasso, minus olere possunt; etenim in Ægypto flo-
I res & coronamenta deterrima fere omninò gignuntur; quia cœlum caliginosum & roscidum habetur, & locis eiusmodi nullus pene odor contrahi potest; quia abest facultas coquendi; sed in aridis longe melius excoquitur. Etsi plerunque videmus frigida loca, & tractus odoratos flores & fructus parere, vt in iride Illyrica videre est, vi caloris in terris occluso referre debemus; quippe frigoris vis calorem intus constipat. Sed humum neque limosam, neque pinguem glutinosamque esse oportet: humore siquidem lentoreque obsessis, calor nunquam probe suo fungi officio potest; sed cauis vmbrosisque locis terra humida, frigida, lenta, & aer caliginosus ex sola frigiditate minus odorata progignere potest. Flore plerunque infœcundo sunt; nam humidæ plantæ floriferæ plerunque sunt, sed non frugiferæ: producunt enim florem non ad fructum, sed ad cœlestem rorem, & imbrem recipiendum, asseruandumque; vt in his plantis videre poterimus, quæ flores in vasculi formam, vel alabastri effiguratos habent; receptam eius aquam diutius asseruare possunt ad sua commoda. Aristoteles percontatur in Problematis, cur aliqua fructu vacent, cum florem habeant, vt cucumer, cucurbita, & malus Punica? At his fructus non deest, sed ipsa pro fructibus habentur, quibus flos insidet; fructus enim id est quod

florem gerit; cucumeri autem florem inhærere perspicuum est. Humidi enim pepones, cucurbitæ, & cucumeres sunt. Radices & plantas fungosas & magnas fieri in locis concauis, rationem etiam reddit Aristoteles in Problematis; & è contrario: nam si quæ vento & Soli exposita sunt, minora & densiora fiunt, quæ in cauis & riguis, quum contra afficiantur, contraria euadunt. Breuis vitæ sunt, vt retulimus in aquaticis plantis. Vires igitur frigidas & humidas esse dicemus, ob soli vliginem, & Solis absentiam; medenturque iis, quibus frigida & humida prosunt, vt igni sacro, & aliis, vt diximus. Mandragoras morion nascitur in opacis, & iuxta specus, odore graui, somnifica vi; omnib. inflammationibus, igni sacro, & similibus medetur. Galenus frigida & humida, & aliquantulum calida dixit. Violas in opacis, & asperis nasci Dioscorides dixit. Mesues humectare, & refrigerare. Iuuant stomacho æstuanti, sopori, & oculorum inflammationibus.

De Physiognomonia, & viribus stirpium in collibus nascentium. CAP. XXXV.

NVNC de colliculis loquemur; vtpote medium quoddam inter montes & valles, & plana habentibus; sic facies, habitus, & medias vires mentiuntur, & est complexio, quæ magis humanæ adhæret: Auerroes in Colliget ait: Ex terræ nascentibus perfecta sunt illa, quæ nascuntur in monticulis; quia apparet ab eminentia montium, vt debeant generare plura terræ nascentia quam alia loca, dummodo sint temperati cum bona euaporatione, & cum bona mistione caloris cum humiditate; & debet esse hoc in eis; quia habent ascensum in aëre, & sunt propinquiores influentiæ corporum cœlestium, & illa terræ nascentia habent complementum foliorum, florum, & fructuum. Sed ad plantæ Physiognomoniam accedamus. Erat enim collium incolarum hominum corporis color albus, rubori commistus. Capilli decenter crassi, & decenter habitus carnosus. Pili neque molles, neque duri, neque hirsuti, neque glabri:

POSTREMO *abellæ loco vitis conspicitur in collibus enata, trigesimo secundo capiti affixa; ibi suam indolem contemplator.*

Sic peramœniorum collium amasia, vbi indulgentior cœli temperies eblanditur, omnium quæ hactenus innotuerunt ex natalibus elegantior, & hilarior est. Venustas hanc illico intuenti commendat, & notiorem facit. Forma montanis habitior, & campestribus siccior: non vt hæc florum, foliorum, & fructuum ditissima, nec vt illa inops neque hirsuta, neque glabra, neque dura, neq; mollis; sed parilis mediocris humi, & cœli inquilinæ, vt hanc non visam qui cupit nosse, intueatur eam: sed sapore, odore, & colore magis conspicuo.

Sed formæ descriptionis hæ subeunt causæ. Aristoteles in Problematis ait; Qui loca aprica, editaque colunt, tardius senescunt, contra quæ cauis & paluſtribus: nam editis locis aër vndique, efflante spiritu, agitatur; in cauis manet immotus. Ad hęc locis apertit purus propter assiduam agitationem habetur, paluſtrib. impurus, ac semper emarcescens. Et alibi, loca commode aspirata coloris hilaritatem præbere possunt; pallidos autem humor efficit, cum putrescit; Theophrastus, locis placide aspiratis, & gracilibus quæ nascuntur facillima sunt; quia minus alimenti trahit planta; secus autem in planis, & gelidis. Vires temperatæ sunt, quia media temperies est. Quæ hîc nascuntur, non in medicamenta, sed in alimenta potius veniunt. Vites in collibus nascuntur. Virgilius;

Bacchus amat colles, &c.

Vt sæpius diximus, calidæ & humidæ temperiei vinum est, & nostræ naturæ valde quam familiare. Satyriũ erythronium in montosis apricis nascitur; sapore dulci, non ingrato ori. Venerem excitat. Galenus calidum & humidum mediocriter dicit. Vulgare buglossum, & borago in campestribus & collibus nascuntur: Galenus humidæ, calidæque temperiei esse; & vinis iectæ, lætitiam & hilaritatem afferre dicit. Idem de phalangio, & de siluestri cumino dicendum.


De cultu, & neglectu stirpium, & primo quæ sit agrestium Physiognomonia, & facultas. CAP. XXXVI.

IAM stirpium facies, & medicatas vires, quæ variis interris, superûm regionibus, & eorum aspectibus nascerentur, recensuimus. Proximum hunc locum sibi vẽdicant æmulatio-

nes artis, & naturæ, scilicet cultus, & neglectus. Ars enim culturę lenociniis & illecebris plantas suorum natalium oliuiſci, & noſtris viridariis inquilinas facit, & naturam ſimul, & effigiem commutat quouis ſolo, ætheris, & regionis tractu; ob id hanc tractationem in poſtremum conſulto adſeruauimus: oportebat eorum prius meminiſſe quo lucidiori doctrinæ & ordini conſuleremus. Nos de ſilueſtrium, & cicurum plantarum Phyſiognomonia locuturi, à ſilueſtri exordiemur. Sunt enim ſilueſtria mitibus natura prius, atque ad ea primum, quæ in noſtris libris de humana Phyſiognomonia diximus, deueniemus. Vidimus enim ibi Polemonem & Adamantium inſignes Phyſiognomones, quanti feri & mitis habitus fecerint: nam cum prius de vniuerſis corporis partibus ſermonem habuiſſent, de agreſti, & cicurum forma, & moribus docuerunt, quod hæc maxime mores immutarent. Sed agreſtium indolem aggrediamur.

Referunt ſilueſtres plantæ ornamentum quoddam, omni prorſus vacans ornamento; earumque indoles neſcio quid rudis, hirſuti, horridi, ruſtici, ac veluti degeneris naturæ præ ſe ferat, ob auia, & gelida loca in quibus ſtabulantur. Facies exilis & macilenta, ſed vegeta intuenti ſe offert. Caulem attollit lignoſum, nodoſum, anguloſum, liris ſtriatum, rigidum, cute ſcabra, hiſpidaque obſitum: numeroſa foliorum ſobole; ſed foliis breuibus, multifidis, anguloſis, duris, ſurſum erectis, in ſumma ora crenatis, vel denticollis inciſis, vel laciniatis, compluribus neruis & venis per longitudinem extenſis, carinatiſque, pallido virore languentibus, ſpinis, villis, vel ſetacea lanugine hirtis. Flore puſillo, dilutioris, obſoletioris, vel remiſſioris coloris, Propere germinat, & fructificat, plus fructus præmonſtrat, minus maturat. Fructus acri, & acerbi ſaporis inguſtabiles, pulpæ inopes, ſed lignoſi nuclei locupletes. Odore non ingrato, ſed neſcio quid viroſi, vel vehementis redolente. Radice alta, exilioribus cirrhis, & puſillis capillamentis barbata, lignoſa; vſibus medicis receptiſſima, & tandem ſilueſtris plantæ forma, facultatibus, & lineamentis nulla ſui parte à montana differt, vt qui vnam viderit, vtram-

DVAS *hoc loco offerimus tibi raporum imagines; alteram vrbani, & satiui; alteram neglecti, & siluestris; satiuam pro hoc capite.*



quenouerit; nisi quod summa montium iuga exusta, perpetuo niuibus obsita, & ventis perflata sunt; ob id contorto, retorrido, scabroque sunt aspectu; vnde si his addes vel illis demas, cuncta prorsus similia erunt.

Sed de formę delineatione rationes afferamus. Quod agreſtium genera ſuis mitibus robuſtiora, & lætiora aſſurgant, cauſam perbelle reddit Aphrodiſeus in ſuis Problematis: dicens, tellurem eſſe agreſtium matrem, vrbanorum vero nouercam: quoniam ſolertia naturæ non humani ingenij creatur: caret enim humoris nimia copia, quæ ſatiuas ſtirpes elaxat, atque effœminat: ſed agreſtes, quæ ſuo ſibi loco natæ ſunt, atque educatæ, non inquilinæ, quaſi ciues proprij ſoli, quibus neceſſe eſt cœlum ipſum conſpiraſſe, & terream miſturam; ſic tot habet priuilegia natale ſolum. Virgilius; 84

nam læta & fortia ſurgunt,
Quippe ſolo naturæ ſubeſt.

De foliorum & ſtipitis breuitate & paruitate aſſignat rationem Theophraſtus, diſcrimen addens inter vrbanum & ſilueſtre. Ait enim ſilueſtre vrbano ſimile eſſe, breuioribus tum foliis, ramis, radicibus, & tota forma. Quippe ſcabriora, ſpiſſiora, duriora, contortioraque tam ipſa fieri ſolent, quam vniuerſa natura; ſicciora etiam & tenuiora, atq; etiam ſpinoſiora præter cneum, quod vrbano mollius, & læuius. Præterea Ariſtoteles in Problematis reddit rationem cur nigræ myrtus fronde ſunt frequentiori, quam albæ; aitque quod nigræ generis ſunt ſilueſtrioris; cuius indicium, quod locis ruſticis iſtæ proueniant, minimeque ex cultu notatur; humida autem omnia fronde crebriore condũtur; quod enim minus ſuos fructus decoquere poſſunt, iccirco ad frondem alimentum ſe vertit, & Theophraſtus ab eo; Genus myrti Ægyptium pluſquam cætera ſiccet, quod frondis anguſtia, & fructus exiguitate, coloreque conſtat. Hæc enim ſiccitate omnia veniunt; ſiccum parum habere humoris certum eſt. Frondes duræ ſunt: nam ſicut diximus in humana Phyſiognomonia, duri pili calidæ & ſiccæ naturæ, & terreſtres ſunt; quia terra ex elementis duritiem præſtat; ex calidis & fortibus animalibus, leo, aper, aquila, & gallus pennas duras habent, & pilos; & animalia ſilueſtria duros pilos habent, quia ſiccum eſt eorum alimentum. Quercus duriſſimas frondes habet, & terreſtrior eſt cæteris, ob id Theophraſtus roboris carbones

deterrimos dicit; sic & vetustarum arborum, quanto ficciores sunt, peiores sunt; & quæ dura fronde sunt, ficciora sunt; ob id astringentia, quia terrestria: quercus dura fronde, & astringens est; sic castanea, siliqua, cistus, ladanum, sorbus & mespila. Siluestres nodosiores vrbanis simpliciter sunt, quæ sub eodem genera constituuntur, vt oleaster, olea; caprificus, fico; pyrus, pyrastro; hæ namque nodosiores, & omnes spissæ nodosiores magna ex parte raris corpore sunt: mares enim siluestresque spissiores, præter quam si quæ ob nimiam spissitatem omnino enodis sit, aut pauciſſimis nodis, vt buxus, celtis. Siluestres natura ficciores, & spissiores consistunt. Florent, sed parum durat foliorum prouentus, hyacintho excepto, qui diutius floret. Præueniunt inculta, & agrestia sua germinatione mites, vt vitis, olea, ficus, & malus. Primo, quia non stringuntur, & confringuntur, vt mites, ob id ex vulnere non laborant, retrahunturque. Deinde, quia non pastinantur, & ablaqueantur, vt resoluatur & abeat naturalis calor, & ita refrigerentur. Præterea in agrestibus pusilli rami, quos agricolationis arte auferri deberent, remanent incolumes: in quibus propter exiguitatem facile cientur principia genitalia ab aere ambiente. Postremo, quia ficciores sunt, & vbi minus humoris, minus operæ. Et cum siluestres validiores ficcioresque sint, plus fructus præmonstrant; minus vero maturant, quod euenit ex nimia fructificatione; ex nimia hac pensi solutione impeditur operis perfectio nec fructuum maturatio absoluitur, ob id agricolationis lege cautum est, vt nimia vbertas ex arbore dematur. Altera causa est, quia siluestres plantæ densiores & ficciores sunt, & sibi ipsis alimenta vendicant, non fructibus ministrant; solutum, laxum, humidum, & permeabile oportet esse, quod fructum laturum sit non spissum, vt in animalibus etiam apparet. Omnes siluestres vrbanis, & masculæ fœminis spinosiores, ponderosiores, duriores, & in totum robustiores; quoniam & minus fœcundæ fœcundioribus, & deterius fructificantes probe fructificantibus, tota quasi ex parte firmiores. Nec explodenda est illa causa in frigiditate repo-

sita, quominus siluestres fructificent. Præterea siluestre omne, vel incultum fructus producit, quorum semen siue os, pinguius; pulpa vero macilentior: nam dum humorem 85
ad fructum impertit, subripit, præripitque pulpæ, vt vberius consultat semini; idque ex eo, quod masculum quodammodo sit crispius, & siccius natura consistat. Proferunt etiam sua semina maxima crusta munita, quemadmodum & animalium ossa: sunt enim munimenta ea ex lignoso terrenoque alimento; nucleus vero ex purissima materia. Sapore prorsus acriori, vehementiorique, vt satureia, origanum, brassica, ruta; etsi rumex siluestris gratior ori sit, sicco tamen acutior est. Acerbiori etiam sapore siluestres fructus constare nemo ibit inficias; fit enim austerus sapor ex sicco, terrenoque. Ob id in punicis, vt dulciora, & molliori intus ligno grana fiant, exhibet Theophrastus arboribus irrigationes: nam durities & acerbitas, quæ à terrea siccitate prouenit, ab humore diluitur, & emollitur. Amygdalæ putamina acerba sunt, quia omnes terræ sortes, & callum eo vis naturæ secernit. Siluestres, ferique fructus sui generis vrbanis odoratiores sunt, vt mala, pyra, sorba, & mespila; ipsorumque malorum, tam agrestium quam vrbanorum, quæ sunt acerbissima, suauissime olent; atque cum odor coctura quadam contrahatur, quæ plus cocta fuerint, melius olere putandum est. Verum odoris ratio in coctione minus absoluta, quam temporis versatur; argnmento quod sorba & pyra si ad plenum excocta non sint, plus reddunt odoris. Siluestre namque genus priore coctione contentum, vehementiorem concipit odorem. Porro non parui refert in odoribus, si siccitas, alimenti parsimonia, & difflatio commoda processerit; quandoquidem quæ siccaneis erumpunt, pauciori contenta nutrimento, itemque placido perflata spiritu, proculdubio nascuntur odoratiora. Cæterum siluestre genus aridius cernitur, ieiuniore habitu donatum, nec à flatu silens, sed magis atque magis auræ patens; hic feruentior natura quo prospirat, tenuiorque; siccus halitui facile cedens, quoniam nec succum vrbani modo carni permistum gerat: quibus in vnum

coeuntibus, non minime gliſcit intus odor. Duo ſunt quæ odorem ſtatuunt, terra & aer; ſi vtrumque ſiccum ſit, non quauis ſiccitate, ſed mediocri; quæ ergo ſiccaneis noctibus oriuntur, in quibus placidior arridet calor, odore pollent: ob id agreſtia odorata ſunt, ſed non ad plenum, quum acutiori odore conſtent. Sunt & ſilueſtria ſpinoſa, horridaque, quod eis nimia ſiccitate prouenit, vt diximus in ſpinoſis: ſane horriditas à ſiccitate. Folio diluto virore, & flores remiſſiore colore ſunt in ſilueſtribus; idque facile ex humoris inopia coniici poteſt, vtpote cœlo, & ſolo ſiccaneo nata. Folia porracei coloris ex humiditate multa; crocei vero, vel exoleti ex ſiccitate, vt in oleribus, & cerealibus aduenire autor libelli De colloribus probat. Flores qui luculento colore nitent, ex cibo pingui & humido proueniunt, vt videtur quotidie in penſilibus hortis. Leucoia, & flammulæ, quas ab odore caryophyllorum *caryophilla* dicunt, & roſæ ſatura enitent purpura, quod lætamine ſaturatis, & riguis eueniant locis; contra vero quæ in feris, neglectiſque languidi coloris eſſe ob earum inopiam. Viſuntur ſummo mane dehiſcentes flores coloratiores ob noctis humiditatem; ſero vero ob nimium Solis ardorem pallidi, exolitique. Idem etiam in recenter natis floribus videre eſt, qui ob natiuum humorem coloratiores ſunt; ætate prouecta vero pallidiores, decolorati, & deformes: nam ſicciores ætate fiunt. Ob id Theophraſtus de leucoiis roſis ſcribens ait; Violæ ſeneſcentes candidiores flores aſſidue ferunt, & roſæ deteriores fiunt. Silueſtres roſæ florem minus odoratum, nec tantidem magnitudinis ferunt. Accidit, quod foliorum & florum extremæ oræ decoloratæ ſunt; quoniam extrema ocius deſiccantur, vtpote aeri Solique magis expoſita, quam intima, quibus ſuæ cohærent origini. Et in Apulia vidimus caryophyllos flores ſanguineos in colorem album, vel vermiculatum degenerare, & bugloſſæ cyaneos flores in rubentes, ob nimium regionis calorem. Scribit Ariſtoteles in Problematis, quod tenues radiculæ acriores ſunt quam ampliores: ille namque ſpatio temporis longiori

plenius concoctæ, miteſcunt. Ruſtici ſilueſtres plantas longæuas putant, nullamque eſſe breuis vitæ volunt. Sed quoad ſimpliciter, dici poteſt vita ſilueſtribus longior, quam vrbanis; atque omnino iis, quæ in oppoſitum generatim diſtingui poſſunt, vt oleaſtro, quam oleæ; pyraſtro, quam pyro; & caprifico, quam fico: quippe robuſtiores, ſpiſſiores, fructuq; infœcundiores exiſtunt. Quod fructus ferrent lignoſis thecis, ac tegumentis indutos, & ſapore aſtringentes, exemplo erunt pinus, cedrus, cupreſſus, & coniferæ omnes, quercus, quæ glandes, gallas, & alios lignoſos fructus ferat; caſtanea, ſiliqua, amygdalæ, nux Indica, iuglans, auellana, piſtacea & ſimilia. Silueſtres alta radice eſſe quidam negant, quod ſemina ſummo proueniant, ſed non recte: nam fieri poteſt, vt quum diutius vixerint, radices procul dimittant. Et lignoſas radices Theophraſtus magna ex parte ſilueſtribus tribuit, vt erucæ, ocymo & ſimilibus. Tandem ſilueſtris à montana non differt; nam Theophraſtus ait, montana ſilueſtria ſunt, & frigoris cupida. Sed videamus quas nam medicæ rei conſultis dent qualitates ſilueſtres plantæ. Ait Theophraſtus; Incultus & neglectus ager, qualis ſilueſter eſt, frigidior eſt, tum quia caſſior aer eum ambit, tum quia minus difflabilis; cauſa prouenit ex denſis fruticibus, quibus aeris motus impeditur; tum quia Solem non admittit, vt arefaceret. Ficuum ſuccus laccontrahit, caprifici minime, ob id ſilueſtres caprifici frigidiores. Auerroes in Colliget dicebat; *Quæ in ſiluis ſunt, plus frigiditatis habent.* Sed ſilueſtria maxima conſtant ſiccitate, ſiue calida, ſiue frigida ſint, vt receptum ſit omnibus ſilueſtria ſui generis mitioribus ſicciora, aſtringentioraque eſſe. Quia plerumque odorem acriorem cæteris habent, ob id contra beſtiarum morſus valent; & Theophraſtus de conyza loquens, ait; *Fœminæ acutior odor, ideoque contra beſtiarum morſus commodior eſt.* Et decebat quippe maieſtati Naturæ, vt poſtquam ſiluas virulentorum animalium vberes feciſſet, eadem acutioris odoris herbas faceret, quo illico eorum morſibus mederi poſſet. Silueſtris braſſica ſatiua hirſutior, candidior, & amara. Galenus calidiorem & ſicciorem

86

quodammodo satiua esse dixit, ceu alia omnia agrestia sui generis domesticis, secundum vtramque facultatem valentiora. Ampelopraſon plusquam porrum calefacit. Galenus acrius, & siccius domestico, sicut omnia alia agrestia domesticis. Isatis siluestris, quam satiua valentius desiccat, valentius etiam humidis putredinibus obsistit. Lupinus agrestis amarior est, & ad omnia domestico valentior, ex Galeno. Malua satiua siluestri quanto plus habet aqueæ humiditatis, tanto facultate imbecillior est. Id namque discriminis est inter vtramque, nempe quod sicciora sint siluestria, mitia humidiora, ex Galeno. Agrestis daucus domestico minus est esui idoneus: cæterum in omnibus feruentior, & domesticus comestibilis quidem, sed imbecillior. Siluestris eruca multo satiua acrior, vrinas vehementius pellit, ex Dioscoride. Pastinaca siluestris miti efficacior, sed cibo ineptior, quod idem Galenus confirmat. Amaræ amygdalæ oleum, dulci in omnibus efficacius habetur. Origanum agreste vtroque satiuo valentius; Galenus panacem *heracleon* vocat, ramulis tenuibus, radice tenui, superuacua. Smyrnium, quasi agreste apium, satiuo valentius, & sic de cæteris.

Siluestrium animalium forma, & vires;

CAP. XXXVII.

EADEM de siluestribus animalibus dicenda; & prius de feris, quum natura sint prius. Quorum aspectus strigosus, fœdus & macilentus, duris, densis, rigidisque pilis hispidus. Caro neruosa & scabra. Ossa, vngues, spinæ magnæ, duræ. Pili colore flaui, oculi crocei, stercus minus fœtens. Paucifera sunt, & plus ossibus, cornibus, vnguibus & pilis abundant domesticis. Vires in operando strenuiores.

Sed descriptionis causas afferamus. Aphrodisiensis animalium stercus siluestrium minus fœtens domesticis esse dixit; aliquorum enim excrementa pauliſper aroma olent; quia cibo sicciori simpliciorique vescuntur, vehementiusque laborant: stercora vero domesticorum magis fœtere, quod vario, humidoque cibo vtantur, atque plus satis, quam egeant, cibo indulgeant; minus exerceantur, ac minus calore abundent;

vnde cum cibus minus concoqui, ac satis difflari per copiam non queat, putrescit aliquantulum, itaque grauius fœtet. 8
Plus ossosa, ob terrestre alimentum, quo vtantur, vt diximus in plantis. Oculis croceis sunt ob bilioſum temperamentum. Sed præcipue siluestria animalia cornibus, vnguibus, & exertis dentibus, & lichene etiam in cruribus armata sunt, vnde maxima constringendi vi prædita; nam hæc ex terrea mistura proueniunt, ex qua constant; & quanto magis iis prædita fuerint, maiorem siccitatem ostendunt, & terræ mistionem, vt diximus in plantis; & quanto magis longioribus spinis, fructibus lignosis, & corticibus cooperti sunt. Possunt idem ostendere pili densi, durissimique. Auerroes in Colliget; Vngues, claui, & spinæ simpliciter significant, quod multum est in eis terræ; & multæ squamæ laudantur in piscibus; & magis squamosi, & duriori carne intecti siluestriores sunt. Vires, vt diximus, siluestrium semper sui generis domesticorum valentiores sunt in operando. Amplior potentia feris eiusdem generis animalibus, dixit Plinius. Sed hisce exemplis manifestus fiet. Onager, ferus asinus, durioribus pedibus, strigoso corpore, & velocissimus est, ex Oppiano; capite valens, corpore indomitus. Plinius quum ex asinino lacte, & ossibus remedium contra venena quædam recensuisset, omnia eadem onagris efficaciora esse subiungit. Bubali ex genere siluestrium boum sunt, robustiores, cute durissima, membris macilentis, pilis nigris fronte aspera, & crispa; cornua intorta nigra, carne dura, caseus solidus, & terrestris. Capreis, siue dorcadibus rubet corpus, pedes longi, caput ornatum cornibus, aures altæ, pilosæque. Plinius calculos expellere caprarum fimum dixit, & efficacius siluestrium, cuius carnes frigidæ & siccæ. Catus siluestris densiore, & oblongiore pilo, colore fusco, scilicet subflauo; cuius pinguedo, sicut cætera membra, omnia sunt efficaciora domesticis, ex Rhasi. Apri sunt sues siluestres, colore, spadiceo, nigricanti, pilo durissimo, brutum & terribile animal, iratum, dentibus pilos canum adurit: cuius caro callosa siccat, & corroborat, autoribus Hippocrate, & Cel-

so: effectus in remediis vtrorumque similes, solum tantum differentes, quod animantium ferarum partes minus humidæ, minusque frigidæ iisdem ex mansuetis animalibus. Nullus animalium magis cornutus quam ceruus, pulchritudine, & magnitudine cornuum ramosorum omnibus feris antecellit, ex Oppiano. Vstus ad dysenterias valet. Arietes cornuti sunt, ad sistendos menses valent. Cornutus & taurus, & sanguinem cohibet, ex Galeno. Elephanto dentes exerti, cuius vsus ad sanguinis sputum, ex Dioscoride. Sus exertis dentibus, & duris setis riget: cinis ad sanguinem inhibendum fluentem valet, ex Sexto; & ad procidentem sedem, ex Aëtio. Meles dentibus armatus, ad sanguinis deiectionem præstat. Testudo maxime crustata est, cuius ambusta testa sanat fistulas, & defluentes capillos. Accipiter vnguibus & rostro armatus; triti vngues ad dysenteriam valent. Gallus vnguibus, rostro, & calcaribus valet; ad sanguinis, & vulnerum fluxiones valet. Anser nostro maxime lato; eius sanguis sanguinem sistit, ex Plinio. Anas ad eadem. Cycnus eius loco supponitur. Hystrix aculeis horret, quos habet pilorum vice; stomachum roborat, hydropem mitigat sua siccitate. Idem de aliis suspicandum.

De physiognomonia, & viribus domesticarum plantarum, & animalium; CAP. XXXVIII.

CICVRVM formæ & vires contrariæ sunt feris, etsi ex oppositis facile sua opposita cognosci possit forma, vberioris doctrinæ gratia eam delineare non pigebit, vt mutua inter se collatione, facilius cognoscatur, perdiscaturque. Vrbanæ sunt, quæ industriæ & artis mangonio iutæ, quod indulgentiori cœlo, quod lautiori, habitiorique cibo fruantur, alantur, maiestatem quandam præferentes, peramœno aspectu lasciuiunt, hilari coruscant colore, & fructus sapidiores largiuntur, eædem postea si artis præsidio destituantur, prioribus opibus exutæ, ad pristinam sortem desciscunt.
38 Ob id Hipponi optime videbatur vrbanum, & siluestre non esse in plantarum familia, sed feras esse, quæ feris, neglectisque locis nascerentur; cicures vero, quę ab olitoribus in hortis

alerentur : sed de his fusius in nostris libris de Agricultura pertractauimus.

A DEXTRIS *tabellæ trigesimoseptimo capite affixæ, satiui rapi iconem Spectabis; nam si singulis capitibus easdem appinxissemus, negotium operosius redderetur.*

Visenda specie, & peramœna elegantia plausibilior spectantibus se offert vrbanæ plantis hilaris aspectus, ac velut fœminea mollitie lasciuiens. Assurgit enim caule habitiori, rotundiori, læuiore, & crassitie insigni, ac summotenus multo foliorum stipatu. Folia exerit mollicella, deorsum repanda, deuexaque, & quasi suo oneri deficientia, latiora, crassiora, rotunda, vel si mauis, obtuso mucrone in latius se pandentia. Luculenta in ambitu foliorum cæsarie, saturate virentia, multiflora. Flore hilari, speciosо, vel lacteo candente vel suaui rubore, vel sanguinea purpura maxima venustate micanti, qui hebetiorem halitum eructat. Fructus, quos ostendit, maturat; & sæpius verna & autumnali fœtura biferos, nullo, vel tenello intus ligno, dulces & sapidos: tota planta dulcis & vesca. Radicibus prolixis, longe lateque reptantibus, sed medicæ rei consultis ignauioribus. Et tandem vrbanæ plantæ forma planorum accolæ adeo similis, vt nisi propinquius spectes, eandem putes. Solum quod hæc viridariis multis blanditiis, artis mangonio conquisitis, delicatius quid, & habitius præmonstrat.

Sed vrbanæ effigiaturæ rationes afferamus. Quod teneriores, mollioresve vrbanæ sint, diximus superius ex Aphrodiseo, vrbanis tellurem nouercam esse, & culturæ blanditiis, & humidiori cibo plantæ elaxantur, effœminanturque. Ex contrariis etiam causis Theophrastus maiora folia, ramos, cortices, totamque formam vrbanis tribuit; quippe laxiora, molliora, rectioraque afferunt in læuiori caule. Multifloræ sunt, & artis cultura adiutius flore dixit. Vt etiam accidit pensilibus hortis excultis, qui multis foliis, & floribus cumulantur. Mollibus foliis sunt, quod indicat Aristoteles Problematum libro, loquens de lanis ouium. Concocta enim quæcunque molliora inconcoctis sunt, & copia excrementi

mollitiem

mollitiem pili gignit; vrbana ex lætamine concoctiora, & ex rigatione vberius miniſtratur alimentum. Solanum hortenſe ſilueſtri molliore folio, ſic helxine, & ocymum: platanus humida eſt, & lato folio inſignitur, ſic & ficus. Præueniuntur à ſilueſtribus vrbanæ germinatione, & fructificatione; quia ex paſtione, & ablaqueatione, vt diximus, abit ex arboribus genitalis calor, reſoluitur, & frigeſcit: calor enim eſt qui ad germinandum arbores mouet, dein ex amputatione vulneribus ſauciæ conſtringuntur, & infirmæ laborant: ramuli enim ex quibus primitus germinationes erumpunt, abſcinduntur ab arte, demum quum humidiora ſint culta, vt abſoluatur ſuccus, diutius immorari neceſſe eſt. Sed quando exculta arbor germinandi & fructificandi celeritate incultæ arbori cedit, tanto etiam fructus ſpecie, & bonitate, & copiarum collectione illam vincit. Agreſtes enim feſtinant; haud perinde habent in penu materiæ apparatum; in cultis vero cunctatio ſuſtinet fructificationem: nam vbi vis illa ſe colliget, expeditam & expromptam operam habet, & fructificationem; facitque ſuccus in iis, quod in aquis fit, quæ obice aliquo impeditæ, impetu demum erumpunt magno, deinde iniqua penſi ſolutione, ex robuſtitate maturitas impeditur: in mitibus vero, quia minor copia, exactius opus expeditur. Præterea agricolationis ars ſuperuacua tollit omnia; ſic arbores fiunt ſpiratiores, & rariores, faciliuſque admittitur aer; & ſtercore adhibito fiunt laxiores, & humidiores; ob id ſuccos ſuos non ad compactam eorum denſitatem abſorbent, vt feræ, ſed amotis interceptoribus ad exactam fructificationem impertiunt. Hæc Theophraſtus. Sed ego adderem, quod in agreſtium partu eſt etiamnum tempeſtas acerbiuſcula; mites vero clementiori tempore aerem habent fautorem, & coadminiſtrum. In feris arboribus ſemen & lignum exactum erat ad ſpeciei propagationem, in mitibus vero Agriculturæ opera: ſcilicet foſſione, ſtercoratione, & irrigatione pulpa ad hominum eſum fit eſculentior. Vindicatur ſuccus ab arbore ob proprium alimentum, & à pulpa & ſemine intus, ſed pri-

mum ab arbore exugitur, & ob id vbi arbor succulenta, fructus pauciores sunt; tantum subtrahitur, subripiturque fructibus, quantum accedit arbori: duo reliqua, scilicet semen & fructus, aduersantur inter se: si luxuriat nucleus, pulpa fit macilentior; vbere pulpa, semen fit strigosius, & castigatur excrescentis ossis magnitudo. Mutuus est responsus damni & accessionis. Alia ratio est: Arbores cultu effœminari, & fœmellas fœcundiores esse: fiunt enim cultura laxiores, per quarum meatus succus vberius hauritur, modificaturque eiusmodi succus ab ipso plantæ calore, ab arte aucto, ne luxuriet. *Culturæ officij est*, inquit Aristoteles Problematum libro, *vt concoquat, reddatque efficax alimentum, quo genus mite, vrbanumque fructuum consistit.* Quæ igitur mitigatione, informationeque huiusmodi creantur, hæc *vrbani* vocabulo significamus, eo quod quasi solertia hominis educata, eruditaque meliora euadunt. Constant & vrbana succo minus acri, & vehementi. Fructus molliores, dulciores, & sapidiores cultura fiunt, & mutantur sapore, odore, colore, & magnitudine; idque ex alimento, abeuntque cultu ex silue-stribus in vrbana. Lignum acinorum punicæ adimitur fimo suillo, & aquatio eas dulcorat. Sic vrina, pellium strigmentis, & sordibus myrto congestis, quum germina prosiliunt, fructus sine interiori nucleo redditur. Demitur & amygdalæ amaror fimi acrimonia. Sal excîtur, & educiturplantæ asperitas. Et feruentis aquæ aspersu melioresc unt malus verna, & myrtus. Cucumerum semina lacte, vel melicrato macerata, succi dulcedinem conciliant. Olera detonsis superuacuis melioresc unt, dulcesc unt, & tenueresc unt: quia radices robustiores haustu alimenti vegetantur, & tollitur acredo. Calida aqua si rigetur ocymum, lætius prosilit; salsis quoque aquis exhibitis brassicæ & palmę, tollitur innata brassicæ amaritudo & asperitas palmæ, & pro vtraque dulcedo subit. Conciliatur ex fossione fructus magnitudo, sapor & suauitas; nam iuglandi & amygdalo cortices, coria, & testæ, quæ sunt extima munimenta, minora & faciliora fiunt, & nu-

clei maiores ; quippe alimenti copia humeſcunt arbores, & pulpam augent fructus, & acquirit arbor robur, & fructus bonitatem. Sed fructus ignauius halant, & dulcibus nulli odores, & eo minus, quo dulciores ſentiuntur. Mala dulcia odorem minime remittunt : nam ſuccus dulcis craſſior, & terreſtrior eſt, cum fructibus fuerit admiſtus ; odor autem humore tenuiori, ſicciori, proſpiratuque facili conflatur : ſic dulce pertinacius eſſe cenſetur, quam vt tenuem poſſit auram in nares exſpirare. Saporis dulcedo ex craſſeſcente fit ſucco : nam ſoneſcente fructu, & Sole feruefaciente dulcior efficitur ; craſſantur fructus exempta aquoſa parte, & ſaporis excoctio non conſummatur, niſi ad plenum excoctum ſit. Sed odor, vt diximus, non niſi prima coctione fit, vt ad plenum coctum non ſit : ob id excoctus iam ſuccus pauciorem halitum, & auram poteſt eructare ; tunc enim minus odoris eiectabitur, quumque coctu craſſior exſultat, dulcedinem ſenſui gratam vſurpabit ; vrbanum, quod perfectiorem adipiſcatur concoctionem, alimentoque ſaturetur, ſuccos ad dulcedinem vertit, ſed odoris ignauiam & hebetudinem colligit : etenim humor ſe largius admittens, odorem obtundit, & eius hebetat acrimoniam, quum ſiccum carni permiſtum gerat. Præterea quæ largum exhibent odorem, mollitiem nullam guſtui repræſentant ; vrbana omnia quum mollia ſint, validius odorare non poſſunt. Sed vires videamus. Excultus ager ſiccior & tenuior redditur ; quia deletis arboribus Solis ardorem excipit, & flatibus vndique perflatur. Sunt etiam calidiora mitia feris ; ex ficus ſucco lac contrahitur ; caprifici vero minime, aut praue ; maiorem ergo vim habent mitia. Auerroes etiam in ſuis Colliget ait ; *Quæ naſcuntur in viridariis plus habent humiditatis, vt ſiclæ naſcentes in hortis.* Vnde vt ſilueſtria erant mitibus ſui generis frigidiora, ſiccioraque ; ſic erunt mitia feris calidiora, humidioraque ſui generis. Hebetioris virtutis ſunt, quia maiora ſunt, bliteum virum vocabat coniux ſuum, quum magni corporis, & imbecillis foret,

Diximus in Physiognomonicis, magnos viros minus robustos esse; & contrariam causam in præcedenti habuimus. 90
Rapum lætum agrum, & crassum optare scribit Cato; Columella putre, solutum, pluribus à rationibus subactum, & riguum: & si tali solo non seratur, mutari in brassicam, ex Galeno calidum & humidum est. Napus pingui & soluto, nec duro nascitur; alio loco degenerat in rapum, vnde pluribus à rationibus subactum, & largiore stercore satiatum desiderat, ex Columella. Galenus caliditate, & multa excrementitia humiditate pollere dixit. Buglossum pingui, soluto, humido, & subacto solo nascitur; ex Galeno calidum & humidum. Asparagum locum subactum, crassum & humidum expostulare Cato scripsit & Palladius: Auicenna calidum, & humidum dicit. Malua pingui solo, & humido gaudet lætamine, ex Palladio: solum, in quo seritur, pingue facit, ex Plinio: calidam, aqueamque esse scribunt. Cepa terram pinguem, vehementer subactam, irriguam, & stercoratam quærit, ex Columella; Auicenna calidam cum superficiaria humiditate dixit. Carduus eandem terram ex Palladio postulat: calidus inclinans, ad humiditatem est, ex Auicenna. Sequuntur animalia domestica, quorum formam, & vires ex contrariis iudicamus, vt de plantis fecimus. Vrbanorum animalium aspectus nobilior, hilariorque, mollibus pilis, extensis, sericeis, veluti lanugineis. Caro pinguis, mollis & delicata, vbi nec nerui, vel venæ appareant. Vngues & ossa parua, color rubeus, hilaris, oculi charopi. Multipara sunt. Caro dulcis & sapida. Vis in operando effœta. Sui generis calidiora, humidioraque. Sus domesticum animal, carnes optimas omnium carnium habet, præstant quæ non multum pingues sunt, facillimæ concoctu, & suauissimæ. Calidæ sunt, humidæ, excrementitiæque. Capræ carnes solidæ sunt, dulces, & temperaturæ æstatis tempore, ex Hippocrate. De reliquis eadem, quæ clarissima sunt.

Plantas, quæ aliarum plantarum similitudines frondium retinent, similes virtutes possidere; CAP. XXXIX.

EX plantarum partium facie vires nanciſci docuimus; ſequitur ergo ex his, vt quæ alterius effigiei ſimilis fuerit, & viribus quoque par, vt altera alterius loco cedat, quas Medici *vicarias*, vel *ſuccedaneas* vocant. Ex his magis veritas eluceſcit eorum, quæ diximus. Nec ſolum ex partium ſimilitudine compares virtutes cognoſcuntur, ſed odoris, coloris, fructificandi modi, floreſcendi, creſcendique. Sapores omittimus, quum ſatis ſuperque de his ab aliis tractatum ſit. Diximus in humana Phyſiognomonia, qui alteri ſimilis erit, & in moribus ſimilem eſſe: idem de herbis pronuntiamus, quod in eiuſdem generis herbis facile eſt videre, quod eiuſdem ſunt virtutis; & quanto magis inter ſe aſſimilantur, tanto plus virtutes conſimiles; & quanto minus, plus longe diſtabunt. A foliis incipiemus. Rubia aſperos habet caules, per interualla orbiculato foliorum ambitu, aſperitate veſtium tenaci; aperinæ in totum ſimilis. Aduerſus ſerpentum morſus foliorum ſuccus auxiliatur. Hypericum, aſcyrum, androſæmum, & coris, ideo inter ſe ſimiles ſunt, vt diſcriminis parum aut nil interſit, vt vna nota, cæteræ latere nequeant; digitis contrectatæ ſanguineum ſuccum fundunt. Ad eadem fere præſtant, ad iſchiadicos, ambuſtos, vulnera, & bilioſa excrementa pellendo. Meo, & anetho neutiquam diſpar facies, vt ex frequenti in eas intuendi conſuetudine vix internoſcas. Vrinæ difficultati, & torminibus medentur, & inflationes diſcutiunt. Anethum adeo fœniculum æmulatur, vt ſæpius colligentes fallat, niſi guſtum, & odoratum conſulant. Lacte replent vbera, menſes ſedant, & vrinam cient. Acoro, & iridi eadem facies; ambo excalefaciunt; torminibus, conuulſis, lienoſis medentur; ſerpentum ictibus, & muliebribus affectibus inuicem apponuntur. Odoratus iuncus inodoro perſimilis. Vim ciundæ vrinæ vterque retinet; menſes pellit, caput aggrauat, antidotis admiſcetur, & ſanguinem reijcientibus ſubuenit. Dictamno tanta pulegij effigies eſt, vt aliquibus *ſilueſtre pulegium* dicatur. Præſtat

ad omnia, ad quæ ſatiuum pulegium. Satureia thymo ſimilis; vtilitate, & facultate non diuerſa, ſi conſimili modo ſumptitentur. Abunde exprimit folium, flores, & faciem 91
teucrium triſſaginis, vt qui minus eas norint, vernacule omnes vno nomine *chamædrys* vocent: lienoſis & aduerſus venena valent. Naſturtium ſinapi, & erucæ facie & viribus affine; alopeciis medentur, lieni, lepræ, impetigini & aliis. Inter filicem, filiculam, & dryopterim multiplex & concors parilitas, quaſi ex eadem familia: latas tineas excutit foliis, & recentia folia in oleribus cocta manduntur, vt ventrem emolliant: mulomedici equis dryopterim deuorandam dant aduerſus inteſtinorum vermes, & præcipue filiculæ vis ad ſoluendam aluum. Abrotoni fœminæ facies omnino ſeriphio quadrare videtur, mutua collatione Dioſcoridis: iiſdem fere pollent viribus: ſeriphium interaneorum animalia, tineaſque enecat, & Galenus eadem præſtare poſſe abrotonum ſcribit, quum ſua amaritudine lumbricos interimat. Sycomorus ancipitis naturæ & formæ, ex ficu & moro miſta arbor, vtriuſque retinens arboris facultates. Sycomori fructus ſtomacho aduerſantur; ſuccus illinitur contra ſerpentum morſus, diſcutit collectiones coctioni repugnantes. Morus ſtomacho inutilis; valet ad phalangiorum morſus, tubercula diſcutit. Sycomori ſuccus vulnera conglutinat, & emollit. Ficus ſtomachum lædunt; lac illitum duritias diſcutit; parotidas & furunculos emollit; venenatorum ictibus medetur; conglutinat vulnera & carne replet, oras committit non ſecus atque emplaſtra, quæ vulneribus cruentis inijciuntur: ſic de ſcorodropaſo, zeopyro, & aliis dicendum. Et ex confuſis quercus & ilicis naturis Theophraſtus φυμοδρῦν quaſi *ſuberiquercum* dixit; pino, pinaſtro, piceæ, larici, abieti, non alia facies & natura, tam ipſi, quam earum reſinæ. Inter lentiſcos & terebinthos arcta ſimilitudo: vt non facie abſimiles plantæ, ſic ſimilibus pollent viribus, ex Dioſcoride; idemque earum reſinæ eodem paratæ modo, & ſumptæ operantur. Sabinia multam cum cupreſſo ſimilitudinem ſortita eſt; carbunculis & vrinis medetur. Iuniperi, & cedri non diſpar forma, & præcipue in

baccis : ad amolienda venenatorum animalium nocumenta, tussi, leprosis, ruptis, & conuulsis auxiliantur. Fraxinus & dictamnum album folia similia ferunt; pollent aduersus serpentum ictus, & lethalia venena. Quercus, Græcorum fagus, esculus & ilex non solum consimiles, sed cognatos fructus proferunt, & consimile munus obeunt. Ledum & cistus similes, & iisdem effectibus pollentes. Siliqua, & casia cognatæ : aluum soluunt, & vrinam mouent. Smilax aspera valde quam imitatur aspectu & loris longius subter humum excurrentib. falsa parillam, vt fere a multis eadem opinata, & vires neutiquam dispares. Aronis nil omnino reclamant à dracontij foliis; radix, semen, & folia eiusdem commodi comperta. Philyrea foliis oleæ; ad ea vtilis, ad quæ oleaster, vt altera alterius vicaria succedat, cum adustione est opus. Idem de aliis dicendum, ne longius sermo protrahatur.

Plantæ similiter odoratæ earundem virium compotes sunt.

CAP. XL.

SIc etiam si eundem odorem referunt, & easdem vires retinebunt. Vnde si qui sunt, qui ex odoribus vires nanciscinegent, aperte mentiantur. Exempla aliqua afferemus, vt iis edoctus phytopta, ex se alia conijciat. Zedoaria citri odorem refert, eiusdem fructus facultatum compos, subuenit cordi, & contra venena valet, ex Auicenna. Melissa, *citrago* dicta ex citrij odore : serpentum & scorpionum venenis resistit, pestilentes febres, bilim sanat, & confert cordi. Ocymum citratum dictum, quod corticem citrij mali redoleat, ab eo nullatenus distat, & odore eximiæ fragrantiæ, & cordi amabiliore, vnde datur vtiliter deuorandum, vt languidos spiritus reuocent animo lapsis. Caryophylli flores omnium speciosissimi, sic vocati, quod cum caryophyllis exoticis habeant odoris cognationem, ac nonnullam calyculorum cum antophyllis similitudinem; aduersus pestiferos affectus eos miscent in antidotis; mirifice etiam commendatur comitialibus & aliis, quibus antophylli valent. Ocymi genus est, quod caryophylli fragrantiam halat, *caryophyllatum ocymum* vocant. Est & aliud apud nos, cuius folia, plantaque

odore caryophylli cum citrio confusa iucunditate; olfactu cor, & caput roborat; cardiacis affectibus succurrit, animiq; mœrorem in hilaritatem conuertit. Est herba, cuius radix eximij caryophyllorum odoris neminem latet; quippe caryophylli suauitatem halat, vulgo *caryophyllata* dicta: eiusdem facultates assecutas nulli dubium est; sic & alia eius genera. Scœnanthos manibus confricatus rosea prærogatiua, fragrantiaque cuique notus; sanguinem reijcientibus prodest. Caia quoque, quæ *Zizi* vocatur, rosæ odorem refert: ad eadem, quæ iuncus præstat, ob id ex hoc pectines depurgando capiti, ob odoris gratiam non insalubres fabricant, alabastros, pixides, & cætera id genus. Santalum album rosarum odore fragrat; ad capitis dolorem, cordis lætitiam & palpitationem valet. Bacchari eximia fragrantiæ gratia cinnamomeæ radicis; vrinam cit, menstrua pellit; contra serpentum morsus vtilissime datur; partus extrahit; vnguentis precioſis inseritur; oculorum vitiis præstat. Cypèrus nardum odore æmulatur; vrinam cit, & calculis medetur, antidotis miscetur, vuluæ vitiis & aquæ intercuti valet. Asarum nardi odore, quod & alij *silueſtre nardum* appellant, vrinæ & hydropicis auxiliatur. A Mesue ad iocinoris infartus; subeuntibus cutem aquis, & felleis suffusionibus exhibetur. Phu, aliqui *silueſtre nardum* vocarunt, quod cum quadam grauitate nardeæ suauitatis spiret, antidotis admiscetur, & vrinam mouet. Lauendulæ nostræ aromaticæ gratiæ, & spissæ fragrantiæ pluſculum ineſt; à nardi viribus non longe recedit; ventriculum roborat, & iecur ab infartu liberat. Myrrhis dicta propter suaueolentiam quandam myrrhæ resipientem; cit menstrua, & partus. Ab equapio fluit lachryma myrrhæ similis, Theophrastus in totum myrrham esse existimauit, Dioscorides *smyrnion* vocat; odore medicato cum quadam suauitate iucundo, acri, myrrhæ sapore, vt alterum alterius loco cedat; tussi, orthopnoicis medetur; partus extrahit; vulnera glutinat, menses & secundas pellit, & contra febres valet. Onotheræ radix, cum siccata est, vinum olet; in potu data, feras mitigat, & cicures reddit; illitu quoque tetra vlcera mulcet.

Ambrosia racemũculos profert, odore vinoso, suaui: illitu humores reprimit qui in aliqua parte incubuerint, & astringit, vt vinũ. Botrys suauem odorem spirat, Cappadoces *ambrosiam* vocant, etiam ab odore vini; orthopnœas mulcet. Amomum odore origani est; à venenosis animalibus demorsis conuenit. Dictamnum olet pulegium; quare ab aliquibus *siluestre pulegium* dicitur, pulegio simile: præstat omnia quæ satiuum pulegium, sed efficacius multo. Alterum est dictamnum foliis sisymbrij, odor foliorum inter sisymbrium & saluiam iucundissimus; defunctos partus ejicit; venenatorum ictibus auxiliatur, vt saluia. Scordion foliis pullulat, tetrum allij odorem subolentibus; vrinas cit; contra viperarum ictus, ad veterem tussim & ad menses valet. Alliaria tædioso odore & sapore allium refert, vnde indeptum nomen; vires vt allio, sed non adeo vehementes. Nasturtium sinapi, & erucæ assimile, alopeciis medetur, lieni, lepræ, & impetigini, & aliis medetur. Iberis folia, & radices nasturtio similes, & odore; coxendicibus vtilissime illinuntur. Xanthium odore nasturtium imitatur; aptissime tumoribus imponitur: nam nasturtium tumores & collectiones discutit. Chamæpitys odore pinum imitatur: vrinæ difficultati, iocinoris, renum vitiis, stomachi, & serpentibus vlceribus auxiliatur. Hypericum semine resinæ odorem imitatur, ob id aliqui, *chamepityn* appellarunt: vrinam mouet, ambusta sanat. Ascyron fructu resinosum, hyperico non absimili; ischiadibus & ambustis medetur. Androsæmi comæ tritæ resinosum odorem reddunt; ambustis etiam, & ischiadicis prosunt. Trifolium asphaltion folia recentia habet; quorum odor rutæ, adulta bituminis; comitialibus, pleuriticis, vuluæ vitiis, & serpentum morsibus fert opem, & purgationes cit, vt ruta; vrinam mouet, lethalium medicamentorum antidotum, laterum doloribus, vuluæ strangulatui, comitialibus prodest; menstrua
93 mouet, inefficax serpentum virus reddit. Pimpinella commẽdatur melonis & cucumeris odore, reuocat olfactus, quem animus deliquerit. Alsine cum teritur odorem cucumeris reddit; vim refrigerandi habet; oculorum inflammationibus

subuenit. Sic nepeta gratum pulegij odorem æmulatur. Dictamni tertij generis foliis ineſt odor inter ſiſymbrium & ſaluiam iucundiſſimus; thymum, ſerpyllon, thymbra, & longe ſuauiſſimum ſampſuchus odorem expirant eundem; artemiſia minor odorem ſampſuchi refert; trifolium erucam ſubolet, aliaque quæ piget referre.

Quomodo vera plantarum natalia veſtiganda, perdiſcendaque fuerint; CAP. XXXXI.

IAM affatim demonſtraſſe opinamur, quomodo plantæ ex natalibus locis manifeſtas qualitates hauriãt & animalia; & quomodo itidem ex earum effigiatura pernoſci poſſent. Idemque in humana Phyſiognomonia dicebamus, homines ex regionibus mores ſortiri. Sed difficultas quæ in homine exoriebatur, eadem plantis contingere videtur: nam ſi homo vbi naſcitur, ibi ſemper permaneret, facile mores & qualitates illius illico pernoſcerentur; ſed quia nunc huc, nunc illuc peruagatur, & per varias regiones, cum aliis gentibus permiſcetur, ex corrupto & permiſto ſemine, variæ & miſtæ hominum qualitates variantur, & adulterantur. Idem & de plantis dicendum: nam ſi plantæ, vbi à cœli & terræ miſtura oriuntur, ibi ſemper permanerent, nec ab earum locis dimouerentur; facile manifeſtæ earum proprietates dignoſcerentur: ſed quia diuerſis in locis & plantæ & ſemina deferuntur, ex his figurarum & qualitatum confuſio, & adulteratio naſcitur. Hæc equidem clariſſime declarat Theophraſtus. Loca ſibi quæque accommoda vendicant arbores, non ſolum illæ quas operoſo, & peculiari habitu natura creauit; ſed quæ communi, vulgarique diſcrimine habentur; quippe quum aliæ ſitientes adament tractus, aliæ humidos, aliæ hibernos cupiant, aliæ Soli expoſitos, & aliæ opacis, à vento ocioſis, aliæ apertis gaudeant, & aliæ paluſtribus, aliæ montoſis lætentur, vt diuidere auctores conſueuerunt. Sed forte non ſemper eadem appetunt loca; nec vna de cauſa; ſed varia quadam ratione, quamquam naturæ cognatione quoque ad locum proprium ducuntur, quemadmodum ea, quæ ſua ſponte proueniunt. Spontaneus autem exortus expreſſius naturam

ostendit: siquidem ex eisdem generationes,& nutritiones,& singulorum diuisiones agantur, necesse sit; videlicet caliditate,frigiditate, siccitate, humiditate. Quærunt etenim omnia, quæ sibi pro suo temperamento commoda forent. Addo quod & similes locum exigant similem, & dissimiles dissimilem; quum scilicet naturæ aliqua diuersitas adest, & cætera, Harum optime plantarum phytoptam consultum esse debere, vera plantarum natalia callere iubemus: nam non illico, quum intuebitur plantam secus aquam, aut fluenta natam, aquæ alumnam, aut palustrem plantam illam iudicare debet, & exinde humidam esse; nec quascunque super montis vertices viderit, siccas dicat; nam facile montana planta casu, vel arte iuxta aquas sita & concipere, & viuere, & fructificare poterit,& sic palustres in montibus. Plantam enim ex calida zona delatam, blanditiis, aliisque illecebris etiam apud nos viuere posse cogimus. Multæ sunt Romæ sata, & delata peregrina, sed semper paulatim defecerunt, & ad sua loca reuersa sunt. Sed frequenti inspectione attendere debet, obseruareque quasi solo, cœlo, situ, & cultu nasci solita sit, & viuere; & cum id diutius obseruauerit, tunc sine dubio pronuntiare poterit qualis loci sit inquilina. Multum ad id conferre possunt historiæ Theophrasti principis in describenda plantarum historia; deinde Dioscoridis, qui fere omnia ab eo transcripsit, & quæ nouerit, & quæ ignorauerit; inde alij Agriculturæ, & plantarum scriptores: idque potius in siluestribus herbis, & sponte nascentib. attendendum, quam domesticis: nam illæ minus fallunt, & simpliciores. Vrbanæ sæpe habitum, & formam mentiuntur; vbi hæc omnia considerauerit tunc poterit sententiam proferre.

IO. BAPTISTÆ PORTÆ NEAPOLITANI PHYTOGNOMONICORVM LIBER III.

PROOEMIVM.

IAM plantarum formas, earumque manifestas qualitates, quas è natalibus hauriebant, explanauimus. Nunc se ingerunt similitudines, quas rerum parens Natura edit, vt nobis argumento, & emolumento esse possint ad intimos eius recessus penetrandos, & secretiores vires dignoscendas. Modus nulli dum cognitus, respondetque illi, quo in humana Physiognomonia ex apparentibus in facie moribus internos perscrutabamur. Exempla, quæ prius sponderamus, in peculiaribus eorum memorationibus asseremus multa; quibus admonitus, edoctusque phytopta, ex se multa & mirabilia poterit coniectari. Sed vt negotium auspicemur, operæ precium erit, quæ scripturi sumus summatim ordine diuidamus; diuisa ordine, dilucidioris doctrinæ gratia, complectamur. Nos plantarum similitudines hoc libro attentius expendemus, quæ nostri corporis partes facie, & figura mentiuntur, satagens Natura eas illis membris 95
posse mederi, vel morbis illis opem ferre, qui eisdem membris accidere solent. Sed quia vniuersæ corporis partes, vel dissimilares sunt: similares vocamus humores, neruos, carnem, ossa, & similia: dissimilares os, oculos, nasum, manus, & eiusmodi; & has in externas, internasque subdiuidimus; externæ, quæ oculis subijciuntur, testiculi, dentes, manus; internæ, epar, cor, lien, & pulmo. His veluti summis dicendorum fastigiis constitutis; ab humoribus incipiemus.

Plantas humoribus, vt homines constare, eosque nostri corporis humores augere & purgare posse; CAP. I.

DIXIMVS in huius operis vestibulo, vt hominum reliquorumque animalium, ita in arborum corporibus ossa insunt, medullæ, venæ, & sanguis. Humor enim qui corpori subest, earum sanguis intelligi debet; qui atra, fuluaque bile, vel pituita redundat, & quibus illorum aliquis superabundat, ex illius humoris prædominio sortietur nomen; nam & plantas bilioſas, cholericas, pituitoſas & ſanguineas vocare ſolemus. Et quemadmodum in humana Phyſiognomonia varios mores perſcrutabamur ex humorum coloribus, qui ſcilicet ſanguinei, bilioſi, cholerici, vel pituitoſi fuerint; ita liceat ex plantarum humorum coloribus, quis humorum eis prædominetur cognoſcere, & quibus morbis mederi poſſit. Abundat enim aliquibus plantis luteus, aliis ater, aliis ſanguineus, candidus, lacteus, ſeroſus, aut viridis; & aliis in radicibus, aliis in fructibus, aliis frondibus, ſed cunctis præcipue in floribus conſpiciuntur. Sed quum perpaucæ ſint plantæ, quæ peculiarem ſibi colorem vſurpent, alius in radicibus, alius in fructu, fronde, & flore inſit, ita vt ſimplex prædominatio, ita miſta iudicabitur. Nos plantis & animalibus vtimur pro alimento, vel medicamento, vel vtroque. Si aliquæ continuo nobis vſu, & eſu fuerint, quum earum ſubſtantia in noſtram naturam conuertatur, noſtris corporibus eas qualitates imprimunt, quas poſſident; vt ſi ſupra modum bilioſæ fuerint, noſtra corpora bilioſa reddunt: ſi eædem cholericæ, cholerica reddunt; nobiſque morbos inducunt atræ bilis alumnos: vt pſoras, ſcabies, impetigines, elephantiaſes, & atrore ſuo oculorum obſcuritates. Mithridates hauſtis quotidie venenis; illi ex conſuetudine innoxia fuerunt, vt captus à Pompeio, ſe in carceribus interimere veneno non potuerit. Sic de puella Alexandro Magno miſſa diximus, cuius corpus in venenum conuerſum erat. Contra vero ſi eiſdem raro, vel pro medicamento vtemur, noſtris morbis medentur; vt quæ bilioſæ fuerint, modo, quo à rei medicæ conſultis propinantur, eoſdem humores purgabunt, morbiſque illis medentur

eisdem famulantibus. Humores enim in corpus assumpti, sympathia illice, humores illos consimiles trahent, ac secum foras ducent. Hinc quæstio dirimitur à medicis exagitata, quanam ratione simplicia medicamenta nostri corporis humores purgent, quod non nisi similitudine & agnatione euenire videmus. Nec alio quouis simpliciore modo ingenua obsequiosæ Naturæ sedulitas, nullis similitudinibus parsura, mortalibus plantæ dotes poterat demonstrare, purgandi, clarificandique nostri corporis humores, & morbos quam suis florum & aliarum partium coloribus; in quibus tanta varietas, vt iis depingendis in tam magno suæ fertilitatis gaudio lasciuiat, vt ne vis humana quidem tam diuersis concipiendis sufficiat. Sed quia raro simplices colores sunt, vt diximus, ideo raro humor simplex curatur; sed bini, terniue sæpius simul: ob id flaua bilis sæpius cum pituita eiicitur, plerumque & cum phlegmate sanguis. Nos primo de simplicibus, mox de mistis loquemur; qui simplices adeo facile cognitu, vt ne mulierculæ quidem in iis dignoscendis, & ignauiores errare possint. Sed hoc opus, vt magnum & vtilissimum, ita difficultate plenum; tum quia non stabiles in floribus colores sunt; nam aliquæ sunt quæ per ætatum curricula varios habent: num initio ob imbecillitatem vnum ostendunt; adultiores vero vendicato sibi robore, alium, tum ætheris; situs, cultus, & soli diffidiis variantur plantæ colores. Agrestior enim facta planta, bilioſa redditur ob siccitatem; cultu blandior facta, humidior, vt in animalibus videmus; & affatim de his in nostris Physiognomonicis loquuti sumus. Præterea antiquiores, qui de plantis scripserunt earum colores describendo, tam varie & perplexe loquuti sunt, vt non solum inter eos, sed nec idem auctor satis sibi constet. Rubrum enim colorem, ruffum, sanguineum, puniceum, & phœniceum vocare solent, & cæruleum, purpureum, rubrum, flauum, nigrumque: sic croceum flauum, rubrum, & hyacinthinum. Expedit igitur phytoptæ, vt diligenti examine, & αὐτοψία expendat colores ipsos, & præsertim vernaculi loci; ac pro confesso habeat nullo decentius modo quouis cœlo,

terra, & ſitu naturam herbarum colores demonſtrare, quam optaremus, quibus illius loci morbis opem ferre poſſimus. Mundi enim tractus, qui longiori diuortio ſeiuncti ſunt, alios morbos, & alios plantarum colores pariunt. Plinius hanc noſtram Phytognomonicam augurando, dixit: Pinxerat Natura ipſa remedia in floribus, viſuq; ipſo animos inuitauerat, etiam deliciis auxilia permiſcens. Inde excogitauit aliquas aſpectu hiſpidas, tactu truces, vt tantum non vocem ipſius fingentis illas, rationemque reddentis exaudire videamur, ne ſe depaſcat auida quadrupes, ne procaces manus rapiant, ne neglectu veſtigia obterant, ne inſidens ales infringat; his muniendo aculeis, teliſque armando, remediis, vt tuta & ſalua ſint. Ita hoc quoque quod in his odimus, hominum cauſa excogitatum eſt.

Herbas & animalia, quæ damna, eadem remedia præſtare;

CAP. II.

SED quia pleroſque video anxios torqueri, nec admittere poſſe, vt eadem quæ ſint alimenta, poſſint quoque eadem eſſe medicamenta; & quæ damna, eadem remedia afferre, etſi de his alibi longius diſputauimus, lubet nunc aliquibus exemplis comprobare in omnibus maximi Dei operibus, *vbi malum, ibi remedium*. Vinum largius ingeſtum, inebriat, arcemque mentis turbat: Democritus vini deſideria ſanie tradit aboleri, quæ putatis vitibus emanat, inſcio temulento potui oblata; & ſic quam vitis attulit noxam, ſua ſanie luat. Beritius ebrios ad ſanitatem producere promittit, aceto abunde epoto. Vitem laurus offendit odore ſuo, & corrumpere vinum facit; ſed lauri ramuli à corruptionis labe vinum vendicant, dum cœlum tonitru concutitur. Beta & braſſica ſimul naſcuntur; ſi à braſſica vini ſapor in dolio corrumpitur; odore betæ, vel demerſis foliis reparatur, ex Plinio. Si radicis betæ caſu vinum in acetum conuerſum fuerit, braſſicæ radice indita, in priſtinum ſtatum redibit. Mira differentia candidis betis aluum ſolui, nigris reſtitui. Braſſica aluum non percocta emollit; eadem bis cocta, cohibet. Lens aluum adſtringit; in cibo eadē minus percocta ſubducit. Pruna

aluum fluidam reddunt; è radice cortex in vino auſtero decoctus, fluores reprimit. Ceraſa aluum citant; eadem ſiccata ſiſtunt, ex Plinio. Ficus recentes eduntur alui ciendæ gratia, quibus facile tamen iuuatur. Lapathi radix cum vino compeſcit aluum: folia adiecto ſale, fluxam reddunt; herba etiam cit; ſemen conſtipat. Vuæ ſuccus aluum laxat, acerbæ conſtringit. Morus matura mouet aluum, immatura ſiſtit. Tingunt manus ſucci maturæ, eluunt acerba. Maculas veſtium menſtruatæ mulieris non niſi eiuſdem vrina elui Plinius dixit. Vua paſſa ſtomachum & interanea tentat; nuclei, qui in ipſis acinis ſunt, remedium afferunt. Menthæ & rutæ viridis vſus Venerem concitat; mulieribus ſiccæ ante coitum vuluis inditæ, conceptui reſiſtũt, ex Dioſcoride. Melonum crebrior vſus genitale ſemen minuit, & in Venerem impetum aufert: ſemen autem deſiccatum, contrariam his actionem efficit, ex Simeone. Teſticuli duplici ordine, inferiore & ſuperiore, alterũ alterius potu reſolui: nam ſuperior ad ſtimulandos coitus, inferior ad inhibẽdos valet, Xiphium geminis radicibus naſcitur, vna ſuper alteram inſidente; ſuperior ex vino pota, Veneris concitatrix: inferior, reſiſtit. Aſparagus proniorem ad Venerem facit, ex Plinio; data maribus, genituram abſumit, & adligata fœminæ abortitur, ex Dioſcoride. Veratrum terribiliter vomitiones mouet: medulla in nimia purgatione data, vomitiones compeſcit, ex Plinio. Siccæ ficus ſitim ſtimulant, recedentes ſedant. Sal in cibis editus, ſitim proritat; ſub ſingula detentus & volutatus, ſitim & famem propulſat, vt per biduum non fameſcat. Napelli vis adeo fera & immanis, vt in perimendis hominibus nullis fere remediis occurri poſſit; cum eo, vel prope naſcitur antitora, aduerſus eiuſdem pernecabile venenum antidotum, ex Auicenna. Alter napellus, *murinus* vulgo dictus priori peſſimus; in floribus fert muſcas, vel ei perpetuo inſident, eius veneni antipharmacum. Eaſdem fert oleander, quæ ſuo veneno reſiſtũt, ex recentiorum inuentu. Cantharides tritico & frugibus naſcuntur; halicæ, tragi, aut oryzæ cremor ad epotas valet, ex Dioſcoride. Legumenta ſæpiſſime incoctilia naſcuntur;

prope

prope ea nascitur orobanche, quibus addita, coctu ram accelerat, ex Dioscoride. Iuniperi, & fraxini scobs pota, necat; valent tamen ipsæ contra venena. Ferulæ ictus liuorem inducit; ex Aristotele in Problematum libro, cuius succus sigillata delet. Idem thapsia efficit, ex Plinio. Baculum ex aquifolio immissum in quoduis animal, etiam si citra decideri defectu mittentis, ipsum per sese recubitu propius adlabi, ex Pythagora; ex sua natura ossa fracta ferruminat. Spinosæ plantæ, quia sæpius incautos sauciant, remanentque in vulnere aculei, spinas è corpore extrahunt, & vulneribus, quæ fecerint, medentur. Oxycantha, quasi acutam spinam dicas, tacta manus rigidioribus aculeis ferit; radix illita, aculeos & spinas extrahit. Paliurus spinæ genus, atrociter manus transfigit; illius decocta radix, & illita trahit infixa corpori, ex Plinio. Idem de eryngio dicendum. Ex harundine fiunt sagittæ: sagittaria dicta *naston*, quasi farcta; sua radice contrita & imposita stirpem è corpore extrahit, ex Dioscoride. Holcus in saxis nascitur, & siccis; aristas habet in cacumine tenues: hæc circa caput adalligata, vel circa lacertum, adimit aristas è corpore; quare nonnulli *aristidam* vocant, ex Plinio. Cepa incisa lachrymas mouet, olfactu ipso delachrymationi, & caligini medetur, ex Plinio. Nasturtium ignei effectus, ob id caput tentat, ex Nicandri interprete; sed ex aceto sumptum, commotas mentes sedat. Mandragoras *morion* dicta, deuorata, vsum rationis intercipit, sensusque inopem reddit; ea vtuntur Medici, quum scindendi, aut incidendi necessitas adest: eius radix cum manico solano pota antidotum est, ex Dioscoride. Anacardia noxia sunt, & deleteria non vacant facultate: quibus remedium est oleum ex eorum nucleis expressum, ex Serapione. E cucumere siluestri succus, nisi maturius incidatur, exsilit cum oculorum periculo, ipse tamen oculorum vitia, & obscuritates sanat, ex Plinio. Anagallis, quæ phœniceum florem edit, sedem euocat, quæ cæruleum procidentem reprimit, ex Dioscoride. Lac ficus lac contrahit coaguli modo, coactum idem de suo resoluit, ex Dioscoride. Vrtica extima superficie prurit, vrit, &

calefacit: internus succus febriles cordis æstus mulcet; ipsaque leui tactu pruritum, pustulasque confestim adusto similes gignit, remedium in suo oleo. Rosarum virtus, & violarum purgatrix in supernis partibus consistit; astrictoria vero, & roboris altrix in internis delitescit. Lupini crudi coctioni non recte parent: madefacti auiditatem cibi moliuntur, & stomacho fastidium detrahunt. Mnesitheus Athenienſis Euboicas nuces coctu difficiles tradit; sed torrefactæ stomacho negotium non facessunt. Mala, pyraque dorsuariis iumentis gestatu tam mire grauia sunt, vel pauca, vt operi quoque viribus alioqui non impari, succumbant; remedio sunt, si prius edenda dentur eis aliqua, aut vtique ostendantur, ex Plutarcho, & Luciano in Asino aureo. Eadem in animalibus eueniunt, quæ in plantis euenire diximus. Nullum venenatum est animal, quod veneni sui antipharmacum in se non contineat. Canis morsus rabiem & hydrophobiam inducit; ad arcendos aquæ pauores eo dente canis vtuntur, qui caninus dicitur; hunc à cane, qui momorderit exemptum, & folliculo inditum, pro amuleto brachio adnectunt, ex Dioscoride. Pili impositi inflictum morsum canis sanant, ex Galeno. Vermes è canino cadauere alligati, & sanguis eius contra pauores, ex Auicenna; saliua in cibo data, vel canini capitis cinis, aut vermis, qui sub lingua rabidi canis inuenitur, ex Plinio, vel hepar tostum, ex Galeno & Paulo. Inter omnes conuenit, si aqua potusque formidetur à morsu canis, suppositа tantum calici lacinia tali, statim metum eum discuti: videlicet prævalente statim sympathia illa, cum rabiem canum eius sanguis menstruus gustatum incipere dixerimus, ex Plinio. Capræ caro graueolentiam sudoris inducit, quod objiciebatur Thebano athletæ: hirci maturioris cornu raso, vel exuctum cum felle hirci fricantur alæ, & graue virus aboletur, ex Marcello. Caro & iecur hircorum epilepsiam inducunt continuo esu; cuius caro in hominis rogo tosta, comitialib. prodest, ex Plinio. Qui carnes alcis ederit, eodem morbo corripietur; sed dextri pedis posterioris vngula, amuletum est; quam cum auriculæ sinistræ immiserit, sanatur. Ceruorum caudæ

extremo venenum continetur, quod potum in syncopem, & mortem adducit, ex Auicenna : cuius antidotū est ipsius oculus, ex Ponzetto. Chalces suo morsu aut mortem, aut vehementem dolorem infert : in vino pota, suos morsus sanat, ex Dioscoride, Plinio, & Galeno. Ictus marini scorpionis, eiusdem scorpionis impositio hepate curatur. Marinus draco venenosa spina pungit, cuius ictui ipse dissectus, atque impositus medetur, ex Dioscoride, Plinio, & Galeno. Scorpius terrestris ipse, qui ictum vibrauit, tritus percusso loco impositus, suæ plagæ remedio est. Mus ipse araneus qui morsum intulit dissectus si imponatur ictui, sui veneficium luit, ex Stratone apud Aëtium. Viperæ caput, vel ipsa tota contusa, & vulneri imposita, medetur, ex Dioscoride, & sic omnium serpentum. Cantharides proprio sunt veneno antidotum, si earum pedes & alæ cum melle asseruentur, ex Galeno Asclepiadis auctoritate. Rubetæ iecur duplex, alterum exitiale, alterum antipharmacum : lien contra venena, quæ fiunt ex ipsis, auxiliatur, ex Nicandro. Apibus cuspides venenatæ, remedio aduersus eas non differt, percussos, eas bibere : mirum tamen est, venena portantes ore, figentesque ipsas non mori; vel propolis alueorum aculeos infixa corpori omnia extrahit. Inter omnia venenata salamandræ scelus maximum est; cætera singulos feriunt, nec plures interimunt; salamandra sola populos necare improuidos potest; carnes earum superimponi conuenit. Vermis exsiccatus, & in puluerem redactus, propinatus ei qui vermes patitur, omnes interficit, eiicitque è corpore. Lapillus eiectus è calculoso, alligatus super pubem, leuare cæteros dicitur. Nidor combustorum animalium sui generis animalia fugat. Cremati scorpionis nidore, reliquos omnes protinus fugari, Diophane auctore. Formicæ vnius crematæ nidore, cæteræ in fugam vertuntur. Si locustas capias, & aliquas combusseris, offensæ nidore reliquæ, obducta caligine cæcutiunt. Erucas comburunt aliquas agricolæ, vt erucas ex hortis fugent, & sic de cæteris. Hebetata aspectu menstruatæ mulieris specula nitorem recipere tradit Bythus Dyrrachius, iisdem auer-

sa rursus contuentibus. Stellio sinistra manu detentus Venerem concitat, si transferatur in dextram, inhibet. Apocino è sinistro rubetæ latere osse proniores ad Venerem fieri, è latere dextro inhiberi. Squamæ è summa parte testudinis derasæ in potu datæ coitum cohibent; eo magis hoc mirum, quando totius tegumenti farina accendere traditur libidinem. Hinc & animalia, quæ cornua, enses, feros dentes, & exerto ferunt, & ampla eis vulnera inferre solent, secum & vulnerum medelam afferunt. Taurus animal robustissimum, capitis & colli robore valet; frontem validam, & pugnæ idoneam habet; cornua infesta ei Natura dedit; vnde & maxima vulnera infligit. Præstantissimum fit glutinum ex armis & genitalibus taurorum, vt recentes plagas sanet liquefactum, & tertio die solutum, ex Plinio. Hirci cornibus impetunt, & deturbant homines; hircini cornu incensi cinis vulnera glutinat, & sanguinem sistit, ex Plinio. Aper dentes magnos & exertos habet; à venatoribus venatione commotus, dens illius inflammato anhelitu tantopere ignitur, vt si eo dente canes insectantes attigerit, statim ignita vestigia pelli ipsorum imprimantur, ex Oppiano, Xenophonte & Polluce. Apri fimus ad rupta & conuulsa bibitur, ex aceto, à Dioscoride. Canis dentibus acerbos infert ictus; cerebrum canis fractis ossib. medetur, linteolo illis superposito, quæ subinde assidue fere quindecim diebus solidat, ex Plinio. Equus dentibus & calcibus ferit, cuius sanguis aliis medicamentis admiscetur, & illinitur ad fracta & luxata, ex Theomnesto. Alia exempla addere poteramus, ni tædiosos esse vereremur, putantes hæc suffectura omnino refragantibus, à maioribus descripta; his maiora omittentes à nobis & recentioribus reperta, fide apud ardeliones caritura, quasi à nobis conficta. 99

Quod naturaliter interni aliquid ex coloribus venari possimus;

CAP. III.

SED num ex coloribus interni aliquid, vel manifestarum qualitatum venari possimus ex naturalibus causis demonstremus, & quid de eis senserint maiores nostri Galenus, &

ab eo Auerroes in suis Colliget, dixerunt colorum signa futilia esse, propterea quod colores non nisi in colorati superficie insideant; & sæpissime fieri, vt partis qualitas, in qua est color, diuersa admodum sit à totius qualitate colorati; quapropter in calidis, frigidisque rebus eundem colorem conspici. Albedo inquiunt in niue, calce, caphura, & sale videtur; secus in saporibus contingere, qui internarum rerum qualitates ostendunt. Sed isti neutiquam videntur seueriores veri exactores; quia id non iusta lance trutinant, vel ad examen reuocant. Quid enim commune habet nix cum calce? quid sal cum caphura? quum nos non de omni albo loquamur, sed vnius generis, vel speciei florum, & in animalibus albus, aterue color ex substantiæ diuersitate proficiscitur, vt de plantarum coloribus iudicandum censemus. Nec nos de colore in superficie sparso loquimur, sed qui in toto: nam foliorum, vel florum simul interni, externique colores digitorum pressu, attrituue permisceri debent; discernereque ex miscella prædominantem colorem, vt in saporibus accidit; qui dum res dentibus atterimus, sapores in superficie, & in profundo misti sentiuntur. Est & in lilij floris cuticula immaculata candiditas, si illam digitis presseris, miscella fit crocea, idemque accidit in moschatulis rosis. Hyperici flores aurei sunt; folia virida crocea, si manibus triueris, atri cruoris manus inficiuntur; idem & saporibus accidere posse, nemo ibit inficias. Et vt omnis ambiguitatis faceſſat suspicio, mutantur sapores, vt colores ex alimenti mutatione, cœli, situs & cultus, vt superioribus libris disputatum est, mutaturque qualitas cum sapore, & colore. Chamæleon herba, ex soli mutatione variatur, auctore Dioscoride, vt hic viridis, alibi crocei, nigri, vel cærulei coloris oriatur. Per ætatum curricula mutantur colores cum qualitate aliquibus herbis. Leucoion senectam sentiens, degenerat; etsi in principio purpurei erat, incanos senio profert flores. Caryophylli, & rosæ dum iuueneſcunt, ardenti flagrant colore; quum seneſcunt, albeſcunt, & priorem gratiam exuunt; sic os leonis, centaurium minus, violæ Martianæ, & cæteræ. Idem in animalibus

experiri licet. Ex vernaculi loci mutatione viperarum color variatur. Clitumni amnis aqua potata, candidi boues procreantur. Virgilius;

— & patulis Clitumnus in aruis
Candentes gelido profundit flumine tauros

Congruit ergo calor cum sapore, & æque vtrique qualitatesi demonstrant; aliter harmonica, & consona mundi ratio, quæ sibi ipsi omnia congruere cogit, non constaret.

Plantæ biliosæ in alimentum assumptæ bilem augent;

CAP. IV.

NVNC ad humores accedamus. Humorum massa, quæ sanguis dicitur, vel superabundat, vel putrefit humores in sanguine qui superabundant & putrefiunt, sunt pituita, flaua, vel atra bilis; vel superabundant & non putrefiunt, vt lac, sperma, menstruum. Si non superabundant, sed excernuntur, & sunt superflua, in excrementum abeunt, vt ex sanguine fit ichor, siue serum, vrina & sudor: ex pituita mucus, sputus, & lachryma. Nunc plantarum varij colores considerandi quales humores generent, excernantque. Inter Philosophiæ proceres sunt, qui sanciant aquæ colorem esse album, & saporem esse dulcem, ego malim insipidum dixisse: terræ fuscum colorem, & saporem amarum; ego fuscum interpretor cæruleum, viridem, atrumque, sed saporem non amarum, sed stipticum: nam si terræ sapor amarus esset, ex ea nil germinaturum sperarem; ignis rubrum colorem, & nullum colorem; ego stipticum, amarumque; aëris vero croceum: sed suo loco de plantarum coloribus quid sentiam, dicam. Flaui igitur coloris plantas in alimentum assumptas, flauam bilem augere, & in medicamentum eam excernere pluribus exemplis demonstrabo. Hæ enim continuo esu, & vsu flauam bilem augent, icterum morbum inducunt, membra decolorant, & deformia reddunt; vnde qui formæ studeant, hæc omnia vitare debent. Atriplicium genera ex flauo plumbeo colore nigricant, vel xerampelino coruscant, vel ex croco purpurascunt: accusatum à Pythagora, quod morbos regios faceret, & pallorem, ac ne in hortis quidem iuxta se nasci

quicquam nisi languidum culpauit. Addidere Dionysius, & Diocles plurimos gigni ex eis morbos, videlicet bilioſos, ex Plinio. Nec ingenij segnitie inobscurum olus spinaceum, par atriplici ingenio, quod neglectum in hoc olus degenerauit, prioris naturæ non oblitum. Flauo, obsoletoque colore cuminum liuescit, pallorem bibentibus gignit. Ita certe ferunt Portij Latronis clari inter magistros dicendi adsectatores, similitudinem coloris studiis contracti imitatos: & paulo ante Iulium Vindicem adsertorem illum à Nerone libertatis, captatione testamenti sic lenocinatum. Eadem quoque facies, & pallor ammi, & colorem quoque bibentium mutat in pallorem, ex eodem Plinio. Croco flammeus croci color, & plus aureo est, immoderato eius florum vsu, & pallor & fastidium contrahitur. Moschus colore subflauido est, membra vtentium pallore decolorat, ex Aetio. Quia Ceres non nimium flaua, ideo minimum flauæ bilis panis generat. Napi, & rapi radices croceo madent succo, ob id bilem augent, Betæ folia, & flores ex viridi langueſcunt in luteolum: Galenus bilem eius cibum generare dixit. Melopepones flaui sunt, ex Galeno; choleram gignunt, flauamque bilem: is enim cibus perquam facile in flauam bilem degenerat; qua de re bilioſos offendit, & magis offensæ patent, qui vinum post ebibunt. Indica nux ex rubro flaueſcit, sic & eius succus, cuius esus bilioſis interdicitur. Ficus matureſcentes siccæ & flauæ sunt, Nicophron ait. Si quis comesis ficubus meridietur, statim accelerans inuadit febris, quæ vomitum flauæ bilis eliciat. Verna mala crocei coloris matureſcentia fiunt; bilem pariunt, ex Dioscoride. Eiusdem conditionis pyra. Nuces frondes ex viridi croceas habent, & crocei in fructu intus nuclei; bilioſæ sunt. Mel coloris flaui, cuius vsus bilem auget. Eiusmodi generis saccharum, quod in bilem transire compertum est. Vinum flauum bilioſum est, præsertim dulce: nam rubrum plerumque austerum, vt dicemus. Ranæ crocei, vel plumbei coloris, qui eis frequenter
101 veſcuntur, colore plumbeo inficiuntur; quamobrem non cibi, sed medicamenti ratione sumi debere iubent Medici, quum

corpus putrefactioni idoneum reddant. Galli, quia plerunq; flaui sunt; Galenus ictericis eos vetat, in libello De cura icteri. Phasiani, eiusdem coloris & qualitatis. Nec solum esus, sed intuitus etiam humores commutat. Rubeta crocea deformis, & decolorata est, ait Philes. Si quis eam diutius aspexerit, quanquam optime coloratus, pallidus, & lentiginosus tanquam ictericus efficitur. Stellio subluteus, & lentiginosus, si quis cum mortuus fuerit, in vino illud biberit, eius faciem crocea lentigine obducet. Arnabo, siue zedoaria, arbor in Oriente nascens, cuius folia ex viridi in luteum languescunt, crebro sui vsu flauam in calidis corporibus bilem creat.

Crocei plantarum colores bilem expurgant; CAP. V.

IDEM plantarum, radicum, & florum flaui succi in medicamenta assumpti, flauam bilem expurgant; flauos enim nostri corporis humores alliciunt, allectos per inferna deturbant. Exempla hæc erunt; Aloe succo, & flore croceis: Mesues bilem expurgare dixit. Idem nil sena laudatius & probatius ad bilem expurgandam dixit, cuius flores ex pallido lutei sunt. Absinthium bilem, quæ stomacho, aut ventri cohæserit, abducit, aureo comatum flore. Centaurij minoris species altera, quæ folium, & luteum florem producit, idem operatur. Tithymalorum omnium flores crocei, vomitionem & alui deiectionem cient, bilemque trahunt. Ascyron, & androsæmon floribus luteis bilem dejiciunt. Colocynthis, cucumis siluestris, & melopepones flore, & fructu omnes lutei coloris, quum maturari cœperint, bilem educunt. Thapsia vmbellas affert, & super eas luteos flores; vsus eius in medicina vtrinq; bilem purgandi. Ricinus flauescenti flore; semine bilis per aluum dejicitur. Chamælææ foliis potis, bilis per aluum exigitur, cui flos croceus. Thlaspis altera flore croceo, bilem vtrinque trahit. Cassuta cirrhis, capillamentisque lyrarum fidibus crassitudine paribus, flauescẽtibus, se vicinis aduoluitur arboribus; ventrem & venas bilios is exonerat humorib. Myrobalanorum fructus quidam lutei, vel herbaceo colore flauescentes, accensam bilem è corpore dejiciunt; sic

qui atri sunt, ad atram bilem deturbandam efficaciſſimi. Genus empelicum albicans, pituitam trahit, chebula vero ex fuſco rufeſcentia, ſanguinem ex melancholia repurgant. Videntur hæc genera colore differentia à ſumma Dei prouidentia homini donata, ac coloribus indicata ad omnes corporis humores purgandos, vt ex Meſue habemus. Empetron Græcorum, ſiue calcifraga Latinorum floſculo gaudet luteolo; pota bilem trahit. Caſia ſyringodes prælongis fiſtulis, colore rubro, vel atro flaueſcentibus, incandeſcentem bilem aluo exigit, præcipue quæ in atram degenerauit, ex Actuario; quod flauum ſuccum in atrum degenerare videatur. Flaui corticis & ſucci citria, & arancia ſunt, flauam bilem reſtringuunt. Melaureum diximus; apomeli bilioſum humorem excernit. Roſcidum mel, ſiue manna Arabum, quod herbis, arboribus, & lapidibus in mellitos grumos coit mellis coloris, flauam bilem ex ſimplici ratione pellit. Iunipero flaua bacca eſt, lignum, & humor, qui ex eius trunco ad lachrymæ modum deſudat, caloriſque officio coit in gummi lutei coloris, quod vernaculo vocabulo *vernix* dicitur, ſtomachum in bilioſos vomitus effuſum, ſanat. Rhaponticum rubri & flaui coloris eſt, commanducatum crocei; ex Meſue, bilem expurgat. Fragula ligno eſt adeo flaueſcenti, vt commanducatum croceo colore inficiat, inſtar rhabarbari; cortex niger, glaucis maculis aſperſus: eodem modo aluum deijcit, & bilem expurgat. Ariſtolochiæ radix glauca, & eadem operatur. Sic lapathi, & filicis radices, & mercurialis. Eadem præſtant flaui coloris animalia.

Iidem plantarum colores ad icterum valent;

CAP. VI.

ICTERITIÆ morbus totum corpus infeſto bilis pallore decolorat, cuius incommodo nunquam ſatis laudata Natura apertiſſimo documento mortales docet occurri poſſe croceis plantis, animalibus, lapidibus, & omnibus denique terra naſcentibus; quæ non ſolum hauſta humorem illum cauſantem purgant; ſed ſuſpenſa, & conſpecta etiam eiuſmodi morbum profligant, excutiunt, obſeſſumque corpus

liberant. Rerum lutearum conſpectu bilem flauam regij morbi parentem, cieri docemus, & ad ſummam cutem elici; euocatam exterius facile diſcuti, quare ſuffuſis bile, lutea intueri præcipimus; ſic rubra ad ſanguinem, atra ad melancholiam. Sed omnium exempla inductione afferamus, ne me ſomniaſſe aliquis, aut ſine auctoritate loqui cauilletur. Atriplici luteoli flоſculi, numeroſique; cui quum folia marceſcunt, ex luteo, vel flauo in aureum vergunt: ob id tum Dioſcorides, tum antiquiores *chryſolachanon* vocarunt: herba hæc adalligata morbum regium habentibus, ita vt ſpectari ab his poſſit, ſanari id malum, ex Plinio. Erythrodano minori flores ex luteo pallent, radix è rubello in luteum langueſcit, ex aqua mulſa potum, regium morbum ſanat. Dioſcorides etiam ſanari tradit, ſi alligatus frutex ſpectetur tantum, ob id *aureum poculum* antiquis dictum. Abſinthij genera, Ponticum, Santonicum, Seriphium, omnia aureo flore donata; in regio morbo eius dilutum, vel decoctem per ſingulos dies cyathis tribus ſalubriter bibitur. Pecora in Ponto pingueſcunt illis, ob id ſine felle inueniuntur, ex Plinio. Chelidonio maiori flos luteus, vulneratum etiam croceum ſuccum remittit. Radix cum albo vino pota, regio morbo medetur. Buphthalmon aureos flores producit, vt Alcman Poeta aurium torquem ex eius floribus conſtare demonſtret: arquatis, qui ſubinde biberint, bonum colorem ad tempus reddi prædicant. Chryſanthemon dictum, quod aureo quodam ſplendore collucere cernatur, arquatis coloris hilaritatem reddit; vtique ad tempus, ſi à balnearum egreſſu poſt longiorem moram ebibatur. E ſilueſtri cucumere fit elaterium, quod eiuſmodi morbo prodeſt. Anthemis intus flores aureos, foris melinos affert; bilem ſuffuſam tollit; ſic Celtica nardus, & Syriaca. Inter oſyridis genera eſt, quod luteos flores promat; decoctum potum arquatos iuuat, conyza, hippomarathum, & ſenecio, ex Plinio; lactuca, pentaphyllon, aſparagus, aloe, roſmarinus, cachrys, chamæpitys, ruſcus, eryſimum, ambubeia, folia tuſſilaginis, ex Plinio; braſſica, mercurialis foliis & floribus flaueſcentibus, & verbena, ex Plinio; fragaria,

illecebra fuluis cauliculis, inter aquilinæ genera floribus aureis; caltha, herba vulgo dicta *turcha*, sena, cuminum, asarina quorundam recentiorum experimento; eruca siluestris, lupulus, laserpitium. Sic & quorundam folia, vt licheni ex luteo virent; sunt & flosculi stellati luteoli, asplenium folio subflaueſcenti, tamaricis folia, & rami, sic & sabina. Sunt & flaueſcentes radices; lapathi radix lutea, icterico valet; sic etiam rhabarbari, centaurij maioris radix ex rubro flaueſcit, & regio morbo medetur, ex Mesue. Pastinaca lutea etiam ictericis datur, asphodeli, ex Galeno; curcuma seplasiariis croceum succum commanducata reddit, & ad idem valet. Sic fructus & semina quarundam arborum citrij ex Auicenna ictericis subueniunt; solani, heliacacabi, tamarindi qui fului sunt, ad idem præstant. Sic & legumina quædam, vt pisum, cicer, cicercula, & lupini commanducati frequentiores hominis colorem emendant, ex Plinio. Casiæ solutiuæ arbor cortice tenus buxeo colore est, & ex Mesue ictericis confert. Cuscuta subflaueſcentibus cirrhis, & eandem fert opem. Illud etiam in animalibus videre licet, immo & sensibilius quum viua sint, & facilius bilem cieant, & attrahant; argumentum quod ipsa protinus moriantur. Galgulus, siue icterus auis colorem pallidum & luridum refert, ex Plinio: & de icteria gemma loquens ait; *Icterias gemma aliti lurido similis, ideo existimatur salutaris contra regios morbos*. Grammatici luridum dicunt, quasi *loridum*, & loro percussum, quod supra modum est palli-
103 dum. Lucretius;

Lurida præterea fiunt quæcunque tuentur
Arquati.

Auis icterus vocatur à colore, quæ si spectetur, idem malum sanari tradunt, & auem mori; hanc puto Latine vocari *galgulum*, ex Plinio. Icterus auis quædam à colore nominatur, quam si quis huius nominis morbo detentus inspexerit, mox integre à morbo liberabitur, ex Oppiano. Charadrium auem Gerardus Cremonensis ex Kirannide *regiam auem* vocat, nimirum quod à regibus ad icteri morbi curationem requiratur. Aristoteles eam nominat; & videtur sane morbus

arquatus ei conuenire, quum crura, roſtrum, & iris oculorum flauo, luteoue colore ſplendeſcant: ſola pars corporis ſupina ruſſo colore palleſcit. Sulphure hanc auem interimi memorat Ælianus. (fortaſſe quod ſulphur regium morbum propulſet) Charadrius auis regio morbo medetur; ſi ab ægro duntaxat reſpiciatur; quocirca qui auem vendunt, abſcondunt eam, ne ab ægro prius videatur, quam eam vendiderint, & ille gratis curetur, autore Euphronio. Sed Andreas non viſu, ſed cibo eum curare dicit. Charadrius regio morbo laborantem nec cernit, nec tolerat, ſed oculos concludens, genaſque committens, auerſatur; non inuidens, (vt nonnulli credunt) hominum ſaluti, ſed perinde quaſi ictum accipiens, vulneratur, & contagione ſe affici ſentit, transferentem in ſe ipſum per obtutum alterius affectionem, ceu fluxu quodam, vt Heliodorus tertio ſuæ hiſtoriæ Æthiopicæ memorat, & Ælianus. Sed Philes addit; Rubetam ſi quis aſpexerit, vtcunque optime coloratus, pallore, tanquam ictericus afficietur, & rurſus charadrium intuens, liberabitur. Idemque refert Suidas ex Hipponacte: Eſt pici genus, quod nidum è ramis ſuſpendit, dicit Plinius, cyathi modo, vt nulla auis poſſit accedere; *chlorionem* aliqui vocant, à flauo colore, vel aureo, quo coruſcat, præter alas, quas magis ſubuiridis habet, à noſtris *boriolo* dici audio, ab aureo colore. Recentiores icterum curare dicunt, niſi cum ſuperioribus confundant. Paro aui pectus luteum eſt, rufeſcens inferius; ſunt qui ei eandem facultatem tribuant, quam galgulo; eandemque videtur hæc ales ſortita naturam, vt alliciat ad ſe vitium, atque rapiat, ipſumque oculis effuſum, tanquam effluuium adſciſcat. Pſittaco viredo in toto corpore lutea, præter collum miniato diſtinctum torque: in cibo quoſuis ictericos iuuare memorant. Perdix teſtacei coloris, in dorſo, & cauda ex nigro, ruſſo, & flauo videtur ornata: cuius cerebrum cum vini cyathis tribus potum, morbo regio reſiſtit, ex Plinio. Aquila flaua tota eſt, oculi non glauci, ſed charopi, vt leoni: eadem poteſt, quæ perdicis cerebrum. Lacerti virides toti ſunt, cum quodam pallore, ideo Græcis χλωροσαῦρα dicitur. Hippocrates, re-

gius morbus, ait, *cum virore pallidus est, quales lacerti virore pallentes*: tertio de morbis vulgaribus. Si lacertus viuus capiatur, in sacculum indatur, ac ligetur super ictericum, quousque moriatur lacertus, contrahit ad se icterici colorem, certissimo nostro experimento. Varij coloris gallinæ sunt, & præsertim totæ croceæ, vel subflauæ, sed genera earum permulta sunt, quæ croceos pedes habent, vt icterici, de quibus Plinius. Morbo regio resistit gallina, si luteis pedibus, prius aqua purificans, dein collutis vino, quod bibatur. Sic de leone, vrso, cæterisque animalibus croceis, ne longius peruagemur. Hæc eadem oculorum icteritiam sanant, & glaucomata. Plinius: Viridem lacertum longo collo in sabuletis nascentem comburunt, & glaucomata tollunt. Accipiter potest quæ aquila, etsi infirmius: accipitris fimus cum Attico melle ad eadem valet, quibus etiam croceati pedes sunt, ex Plinio. Charadrius aufert etiam ab oculis caliginem, & nebulam, & claritatem inducit. Perdicis oua decocta cum melle in vase æreo, glaucomata tollunt, ex Plinio: sic eius fel ad glaucedinem, ex Galeno. Milui oculi pallidi, siue crocei sunt, sicut ictericorum oculi, ex Suida: ex genere accipitrum est, magnitudine sola differens, potest quæ accipiter, qui arquatis subuenit. Sunt & aliæ res croceæ, vt resinæ pinus, & laricis, sulphur, & oui vitellum, ex Dioscoride; vrina & mel ex Varrone, & Plinio. Nec melius regio morbo, quam succino occurri posse, habemus ex Diocle & Theophrasto, si ex vino bibatur, aut exportetur. Et lapidem icterum à croceo colore sic dictum, ad idem valere, referunt lapidarij. Quæ suffectura putamus, ne per omnia rerum genera, quæ crocea sunt, ad eadem valere insolenter euagemur.

Posse oculorum intuitu etiam humorem purgari;

CAP. VII.

POSTQVAM in colorum narrationem incidimus, alia obiter aperiemus, fortasse naturæ miracula scrupulosius perueſtigantibus non iniucunda futura, neque ad medicam rem inutilia: nam plures morbi etiam coloribus persanantur; etsi vsus recentioribus medicis exoleuit, apud me inoleuit. Mul-

ta experti sumus, multa coniecimus, rerumque euentus coniecturæ, & spei nostræ sæpissime fauit, suffragatusque est: nam à reliquis coloribus, reliqui humores solo intuitu persanati sunt, purgatique; vt rubearum rerum obiectu, vt ruborum, & mororum sanguineo succo sæpius sanguinem purgauimus, elicimus, sistimus: sic melancholiæ & pituitæ subuenimus floribus, gemmis, & lapidibus, ad id conuocatis: nam dum eos colores diutius intuemur, visumque nostrum vellicant, & lacessunt, sensusq; occursantibus coloribus afficiũtur, & spiritus à colore excitati conturbatique vel digerentur, vel per inania pororũ ora eructantur, quod ex adductis vtique, adducendisq; exemplis magis explebimus ex animalibus. Constat rubrũ colorẽ boues, tauros, & bubalos efferare, vt qui rubra veste induti sunt, ad eos nõ accedãt: nam cordibus impetũt, & dilacerãt, vnde multi summo suorũ malo causa colorati habitus pleraq; damna perpessi sunt. Causa est eorum sanguis qui fibris refertior est cæteris animalibus; & ob id celerrime coit, & durescit, vt ex Aristotele habetur, obiectuque sanguinei coloris excitantur. In quorundam animalium sanguine obseruatum est videri quædam corpuscula, pilorum imagine, oblonga. Quæ res terrestris exuberantiæ vim indicat: inde incalescens sanguis eiusmodi perseuerat diu, atque ita effectum animal iracundum euadit, ac indignationis retinentissimum, audacissimumque. Fila namq; id genus veluti prunæ inardescunt, quod & in sue agnoscitur. Sic accipitres abundant sanguine, argumento quod animosi sunt, & animo magis quam viribus armati in sublimi euolant; longe, lateque aere prædam inuadere non dubitant, neque id tam cibi auiditate, quam gloriæ testantur; est enim auis maxime iracunda ex sanguine, ob id solitaria volat. Miluus ex accipitrum genere est, & maxime rubrum colorem horret: nam punico malo non insidet, neque eius aspectum sufferre potest. Hinc fabulæ aditus ex Oppiano. Vir amissa vxore, ex qua Siden filiam suspexerat, (*side* enim malum punicum significat) libidinis affectu in filiam arsisse; Side ne à parente contaminetur, super materno sepulchro se iugulat. Diis hunc casum miseratis, de sanguine punicum

produxerunt, & patrem mutatum in miluum, calamitatis suæ monimenta refugere. Sus animal maxime pituitosum, & humidum omnium fere terrestrium animalium, quæ in hominum cibum veniunt, humidissima est carne, conspecto colore albo efferatur. Fœminas subantes in tantum efferari aiunt, vt hominem lacerent, candida maxime veste indutum, ex Plinio: quæ rabies mitigatur aceto naturæ aspersо. Vrsi maxime pituitosi sunt, humidique, eos maxime candida mappa excitat, proritatque, ex Seneca. Puniceus, ater, vel varius color ceruos exagitat, qui melancholici sunt. Ausonius rubræ pennæ conspectu terreri dixit, his versibus;

An cum fratre vagos dumeta per auia ceruos
Circundas maculis, & multa indagine pinnæ.

Virgilius eiusdem rei commeminit in Georgicis, vbi de ceruis agit;

Puniceæue agitant pauidos formidine pennæ.

Xenophon in Geoponicis ait; Maxime timent cerui funem aliquem, ex quo pennæ suspensæ sint; imaginantes nimirum ipsam pennæ agitationem. Leo calidissimus est animalium, & maxime ignitus, ob id ignem exhorret. Homerus;

Ardentesque faces, quas, quamuis sæuiat, horret.

Aristoteles & Ælianus id euenire referunt ex nimio calore, quo constat; continua æstuat febre, ac percussis eius ossibus, excutitur ignis: ob id cum eius natura ignita sit, ab Ægyptiis Vulcano sacer censetur. Ob copiam interioris ignis, ægerrime exteriorem intuetur, Ælianus & ab eo Philes. Leo natura metuit ignem, vtpote feruidum animal; terrent leones rotarum orbes circumacti, & gallinaceorum cristæ, cantusque etiam magis, sed magis ignes. Igne etiam in retia adiguntur à venatoribus in eorum aucupio: nec per Solem ambulare acriorem patiuntur, quum sint oculorum acie acuta; & ignem interdiu iidem ob eandem causam fugiunt, ex Aphrodiseo. Lupi etiam calidi, oculis igneis præditi, vt noctu instar flammæ reluceant; ignibus exterrentur, præsertim silicibus excussis. Sic elephantes splendido colore afficiuntur, & de reliquis animalibus dicendū, quorum suis locis assidue meminerimus.

Quo croceus color naturaliter significet;

CAP. VIII.

DIXIMVS in humana Physiognomonia quod citrinus color in capillis significabat temperamentum inter caliditatem & frigiditatem; & Auicenna dicebat diminutam frigiditatem, in qua plus caloris quam frigiditatis esset. Sed si citrinitas declinat ad rubeum colorem, significare intentionem caloris, vt qui tali corpore præditi essent, vt Aristoteles dicebat, maniaci essent, ob multam caliditatem. At in libello De coloribus dicit fieri croceum colorem ex deficienti nutrimento: nam fructus caduci, flaui fiunt, & si eorum postremus color non sit flauus. Frondes autumno caducæ, flauæ fiunt; quia nutrimentum omne deficit concoctione. Præterea flauus color Solis, vel flammæ aliquantulum repræsentat. Nos aliquas adducemus herbas flaui florum coloris, vel succi; & calidas esse, vt raræ, vel nullæ sint, sine aliqua causa potissima frigidæ. Anagyris croceo flore est, & ex Galeno calida, siccaque est; sic stœchas citrina, hypericum, androsæmon, ascyrum, cori, aiuga, thapsia, tithymalorum omnes species, cucumis agrestis, helenium, fœniculum satiuum, siluestre, & cachrys, artemisia, abies, absinthium, abrotonum, ranunculi, colocynthis, nardus Celtica, asarina, costus, balsamum, aspalathus croceus, crocum, resinæ omnes flauæ, iuniperus, polium, fœnumgræcum, lupinus, & cicer ex Auicenna, panax Heraclium, seseli, smyrnium, anethum, crithamum, cuminum, eruca siluestris, ammi, asphodelus luteus, pyrethrum, chelidonium maius & minus, ferula, ononis, peucedanum, genista, mentha Græca, anthemis, ruta, conyza, verbascum, chrysocome, heliochrysos, ageraton, mel ex Auicenna, & alia quæ omittimus, quæ ex te exquirere poteris, quum in præsens alia non succurrant.

Quod herbacei coloris flores praßinam bilem purgent, & pallidi pallidam; & quid eiusmodi color naturaliter significet;

CAP. IX.

BILIS species est prassina, æruginosa, pallida, & citrina. Dicemus de prassina, quam expellunt plantæ viridis, vel herbacei

herbacei coloris; & quia hæc bilis ſpecies plerumque per vomitum euacuatur, liquidoque cernitur, ob id plantæ eiuſmodi per vomitum plerumque talem purgant. Narciſſi flos à Plinio herbaceus deſcribitur; Dioſcorides eum vomitorium dicit eſſe, vt hanc bilis ſpeciem euacuet. Blitum herbaceo eſt flore, & ſi à Dioſcoride deſcribatur nullius in me-
6 dicina vſus; Plinius adeo mentem turbare dixit, vt choleram faceret aliquibus. Eſt huius ſpecies, quæ flores & frondes affert, quæ omnes bilis ſpecies repræſentat, flauam, praſſinam, æruginoſam, rubram, & vitulinam; vomitiones mouet, & omnes bilis ſpecies euacuat. Atriplex herbaceo flore eſt, cuius ſemen prouocat vomitus. Galenus thlaſpi ſpeciem è Creta aduectam dicit, colore inter luteum, & flauum; Dioſcorides è Cappadocia, & bilem vomitu, & ex inferiore parte extrahere dixit vſque ad ſanguinem. Sed vere vomitione rubeam, & vitulinam bilem extrahit. Eſt & geniſtæ ſpecies ſenticoſa, rutæ foliis viridibus, croceiſque: flore ad viridem icterum vtuntur aliqui magno ſucceſſu. Sed color viridis naturaliter ex Alberto non reperitur in floribus, quod cenſetur naſci ex craſſo illo aqueo humore, indigeſto, ſupernatanti, terreſtri, fæculento; qui humor florum materia eſſe non poteſt, quum flos è tenuioribus, & ſimplicioribus plantæ partibus proueniat; & ſi vere is color in floribus non reperiatur, tamen herbaceis, vel viridibus lineis diſtincti videntur; ex quibus etiam præſagire poterimus ex humiditate & frigiditate conſtare. Inter gemmas ſmaragdus viridis coloris eſt, & frigidæ qualitatis, quum autores ad venereos incentiuos, ardores ſedandos valere teſtentur. Et iaſpis ex glauco viridi conſtat, tantæque frigiditatis perhibetur, vt in feruentes cortinas iniectus, illico tepefacere, & cordis excandeſcentias refrigerare poſſe dicatur. Sic atriplex, & blitum, ex Galeno frigidæ & humidæ qualitatis ſunt. Eſt & altera bilis ſpecies pallida, quam pallidi flores trahunt, vt diximus ex ſimilitudine. Bryoniæ flores pallidi ſunt, & pituitam trahere dixit Dioſcorides. Mandragora fœmina fructu pallido inſignita, ac vomitione bilem & pituitam trahit: quæ pituita pallida ſemper

est, ex atræ bilis commistione. Hemerocallis flos quum dehiscere cœperit, colore perquam pallido est; pota aquam educit à sanguine. Sed videamus quid calidi, frigidive significare poterit. Ad huiusmodi causam indagandam multi, multa dicunt. Aristoteles libro Problematum ait, quod commoda spiratio colorem iucundum facit; sic strangulationem, & constipationem contra efficere necesse est. Ob id cursores, qui nudo corpore currunt, hilariore sunt colore quam qui veste induti, ac sub vestem oleo peruncti, pallidi. Delibamenta quippe excrementitia, quæ subsistunt, aer refrigerat, corpusque ita difflat, euaporaturque commodius. Sed qui oleo peruncti sunt, oleum, quia tenue, & humidum subter perunctum, meatusque corporis intersepiens, neque humorem ac spiritum à corpore profluere sinit, neque spiritum exteriorem admitti patitur: quapropter materia vacans in corpore, humida putrescens, pallorem inducere potest. Et alibi, eos qui in montibus stant, coloratiores esse quam qui in palustribus; quia loca aspirata colorem præbent amœniorem. Pallorem humor efficit, quum putrefit, qui euenire imbecillitatis causa solet; & ob id qui palustria colunt, sunt pallidi. Et libello de coloribus ait; Flores illos colorem nanciscì idoneum, qui calorem & concoctionem acquirunt idoneam: flores qui æstate apparent, coloratiores sunt iis, qui hieme; quod ab æstu meatus aperiuntur, & humor euaporat; sed qui hieme apparent, quia à frigore constringuntur, & condensantur pallidiores fiunt. Sed Auerroes causari dixit ex admistione partium aquearum cum terrestribus; quando est in rebus humidis, significat complexionem frigidam, & humidam; & alius est ab illo candore pulchro, qui fit ex admistione partium terrestrium cum aereis, qui calorem aut temperaturam significat. Nos vero in humana Physiognomonia probauimus eiusmodi colorem improbandum, nihilque boni significare; & pallidos homines proditores & reprobos diximus: ob id plantis illis minime fidendum duximus, quæ pallido flores, fructus, radices, & semina ferant. Exempla erunt: Napellus colore subpallido est, & Galenus putrefacientem facultatem

habere dixit, & lethalem. Stramonium colore herbaceo pallido est, & flore circa calycem pallide albo; lethargiam, & mortem inducit. Cituta albicanti flore est, vi refrigeratoria, & pernecabili, vt dixit Dioscorides; & ad mille talia malefica valet, vt experti sumus. Mandragora pallida mala producit; cuius succum qui biberint, veterno quidem pressi
7 torpescunt, vt combusti, dissecatique, nec dolore afficiantur, nec sentiant; cuius largiore potu vita adimitur. Eius species *molengiana* est vulgo dicta, flore subcandido, vel subpallido; cuius frequens vsus lienis, & vesicæ obstructus, elephantiases, capitis dolores, tristitiam, diuturnas febres, malos habitus introducit. Hyoscyamus subpallido flore est, à quo insania, & sopor infertur ex refrigeratione. Fungi pallidi coloris sunt, & pallidiores pessimi, & tabifici sunt, albidi innocentiores.

Atros plantarum colores, & nigra animalia atram bilem generare, pessimos morbos, & mortem denunciare;

CAP. X.

NVNC de nigris plantarum coloribus loquemur, qui scilicet atram bilem augent, vnde pessimos morbos, cæcitates, furores, deliramenta, & dira portenta denunciant. Nigros in floribus colores Theophrastus reperiri negat; sunt tamen purpurei obsoleti, ferruginei, atris maculis, punctisque interstincti, qui idem ostendunt. Antiqui Magi naturales hunc colorem mortem admonere dicebant, quod obscuris notis significari digna esset. Niger color, ex Pythagoræ opinione, infamis est, qui dicere solitus erat, *quæ atri coloris essent, ad mortem pertinere.* Macrobius Veranij testimonium afferens libro De verbis pontificialibus, dixit; *nigras arbores infelices, felices vero esse albos fructus ferentes.* Tarquinius Priscus in ostentario arboreo dicit; quæ inferiorum Deorum, auertendorumque in tutela sunt, *infelices arbores* nominat; vt sanguinem felicem, ficum atram, quæ baccam nigram, nigrosque fructus ferunt: vnde fructus nigri coloris, vel flores atram bilem indicare, visus tenebras, orbitates oculorum, aut mortem diram portendere. Natura ipsa

atra somnia ostendendo, mortem nunciat microcosmo, vt Hippocrates habet libro De somnio. Exempla adsunt: Faba flore est versicolore, partim purpureo, partim atris quibusdam maculis notato, quas M. Varro *lugubres literas* appellat. Festus Pompeius mortuorum animas in illis habitare testatur. Hebetare comedentium sensus existimata, terribilia somnia facere. Ob id à fabis abstinendum Amphiaraus præcepit primus, quod vaticinationibus, quæ somno colliguntur, obesse non parum crediderit, quum suo flatu placidam quietem interpellarent, & mentem in somnis commouerent. Orpheus fabarum cibum interdixit;

A fabulo miseri, miseri subducite dextras;
Par fuit hoc fabulum, caput ac exesse parentis.

Quoniam, vt Magi tradidere, mortuorum animæ essent in eis. Callimachus Poeta eiusdem opinionis fuit, vt scriptum reliquit;

Acyamo dextram tristantem mouit edentes,
Hoc, vt Pythagoras iusserat, ipse loquar.

Cicero in ea opinione est, interdixisse Pythagoreis ne fabis vescerentur, quod errorem animis, perturbationemque, tranquillitatem mentis quærentibus adferat, cui is cibus, quum maximam habeat inflationem contrarius esse constaret. Præterea efflorescentes fabæ, etsi suauem exhalant odorem, per nares haustus etiam satis longe ita cerebrum perturbat, præcipue si melancholicus is fuerit, vt etiam à sana mente diuertat, & fere insanum reddat; ita spiritum pessimum halant, vt in prouerbium abierit in eos, qui non satis sana mente constarēt, *Hic inter efflorescentes fabas ambulauit.* Fabas, vt refert Theon 108
Grammaticus, Ægyptij, & Flamines Diales apud Romanos inter funesta habebant, neque comedebant, neque aspiciebāt. His vtebatur gentilitas in parentalibus, & laruis proiiciebāt; iccirco non tutum esse inter illas versari, quiescere, dormire, noctuque, quam interdiu periculosius id fieri veteres putabant. Eius generis Ægyptia faba: vesparia fert in scapo, in quibus fabæ atræ, odore, & sapore amaræ, operculo suo exsertæ extuberant: Galeno non longe dissimilis naturæ à prima.

Atram bilem parit, & morbos quos eadem solet excitare; continuo vsu pallore corpus decolorat. Eiusdem sunt facultatis & multa leguminum genera, quæ proferunt florem purpureum obscurum, vt lens; cuius cibus, si modus abest, cancros mouet, elephantiasim creat, quod facile in atram bilem, horum vitiorum parentem, degenerat; aciem visus hebetat; sanguinem parit hærentem & tardifluum; iocinoris obstructiones gignit, & lienis inflationes excitat, & tumultuosa somnia, capitis dolorem, & neruis omnibus noxam. Hortensis similax, siue hortensis phaselus florem creat ex purpureo versicolorem, fructum nigerrimum, & rubrum; statuosam habet naturam, ægre perficitur, brutaque insomnia parit. Vicia florem purpureum obscurum parit; legumen concoctu contumax, infestum stomacho, noxium, crassumque succum creans, atræ bili generandæ satis idoneum. Apij plura genera, nigris foliis, nigriori semine. Nullum admittebant in cibis maiores, nefastum existimantes; quoniam defunctorum epulis feralibus dicatum, vt Plinius refert ex Chrysippo. Coronabantur apio sepulchra: vnde natum adagium; *Indiget apio*; de iis qui profligata valetudine vtebantur, ex Plutarcho. Vermiculos in eorum caulibus nasci dicunt, eosque sterilescere qui ederint in vtroque sexu: in perpetuo ab eo comitiales fieri, qui vbera infantes hauserint: innocentius esse album, eaque de causa inter nefastos frutices non damnatum. ὑοσκύαμος dictus Græcis, quasi *suilla faba*, quod, vt Ælianus dixit, huius fabæ hausta conuellantur apri. Genus est vnum nigrum à nigro flore, purpureoque, atro semine, & tristi aspectu. Xenophon stuporem insaniamque ex eo gigni prodidit, capitisque vertigines. Scribonius *altercum* nominari dicit; quod qui eo vescantur, mente alienentur, cum quadam verborum altercatione; delirium quoque fieri affirmant, si colis intestinum vlcus sentiens, eodem subter proluatur. Genus papaueris, nigri seminis *phthisin* vocant, lethargum facit, & iugulat. Diagoras, vt Erasistratus memoriæ prodidit,

vsum eius damnauit ; oculorum lippitudinibus infundi vetans , quod visui noceret , oculorum aciem hebetans, & soporem creans. Addit Andreas , illitos eo prorsus excæcari , si non adulteretur. Mnesidemus olfactu tenus vsum concessit , ad somnum odore quærendum , cætero velut noxio nobis interdixit. Mortiferum per somnium est , plerique cum valetudo impatibilis odium feciſſet vitæ , hoc succo sibi mortem consciuerunt. Sic scribit Plinius interemptum Licinij Cecinnæ prætorij viri patrem. Multa & nobis vtiliſſima de albo soncho recensentur, secus autem de nigro , quo, vt morbos faciente Cleomporus vesci prohibet, de albo consentiens. Duo thymi genera, candidum vnum, alterum nigriore folio , nedum flore ; de albo multa præclara in medicina proferuntur ; nigrum Aetius nobis damnauit, quod intus receptum facile computreat, & bilioſos humores creet. Castor marrubij duo genera tradit , nigrum, & candidum , quod magis probat. Cardui florem purpureum obscurum proferunt , eorumque succus ater manus & dentes inficit. Galenus atram bilem creare dixit , vt ex eius dura parte bilis atra , ex succo bilioſus humor enascatur. Blitum nigro folio est , ventrem adeo turbat , vt choleram faciat. Album semine nigro oculos hebetat ; sic & porrum stomachum male habet ; ægre à ventriculo conficitur , ob fibroſum nescio quid , quod in illo est ; crudorum succus largius sumptus inter deleteria recensetur : nam fama est Melam equestris ordinis , reum ex procuratione à Tiberio principe accersitum , in summa desperatione succo porri ad trium denariorum argenteorum pondus hausto, confestim expiraſſe absque cruciatu , ex Plinio. Cepam Hippocrates aspectu magis quam esu commendauit , visu bonam , esu malam ; dicens , lucubrationibus & literarum studiis addictis summe cauendam ; nam oculos vitiat, & visum obtenebrat, bilemque exacuit, ex Plinio. Diocles bulbos omnes oculos hebetare dixit. Taxus lethifera suis baccis gallinas nigras reddit. Brassica semine, caule, & folio nigro, cæsiove : crimina sunt apud Erasistratum, Galenum & alios, animæ grauita-

tem facere, dentibus & gingiuis nocere; visus aciem obtundere, & melancholicum succum gignere. Tubera foris nigra sunt, crassos humores gignunt, ex Auicenna; vsu frequenti epilepsiam, & apoplexiam gigni autor est Simeon Sethi. *Molengianæ* vulgo dictæ, poma ex purpureo cærulea, vel ex fusco violacea, vulgus esu lethalia, & noxia expertus, *mala insana* vocauit; bilioſos humores generat, iocinoris & lienis infarctus, ex quib. diuturnæ febres, ex Auicenna. Demonstrabimus nigri coloris animalia etiam oculis tenebras offundere. Idemque in lapidibus, aliisque reb. obseruatum, & largo esu melancholiam inducere, quartanas, carcinomata, & alia eiusdem familiæ vlcera, & morbos. Almansor de animalium carnibus loquens ait, rubeam vel nigram carnem melancholicam gignere. Bubalus nigra cute & pilo est; eius carnes vt nimium melancholicæ, respuuntur à Medicis. Cati versicolores, & maxime nigerrimi; cerebrum esum dementat, meatus cerebri obstruens, vt impediat spiritus animales. Pili eius venenosi, & eius anhelitus, vt hecticam febrem inducant, ex Ponzetto. Petrus Apponensis stolidos homines reddere, & quasi præstigiis obnoxios. Sunt quos fixo oculorum obtutu lædant, alios sola præsentia. Asini atræ bili obnoxij; cameli, equive, omnes colore fusci; eorum carnes pessimi succi, concoctu difficillimæ, melancholiam gignunt, & stomachum lædunt, quibus asinini, & camelini vescentes fiunt, ex Galeno. Ferinæ carnes, quia nigriores, siccioresque vt diximus, ferinum sanguinem, & melancholicum procreare scribunt Medici. Ceruina caro fusca, bubalæ assimilis, bilem atram auget, ex Simeone Sethi; febres quartanas huius carnis esu immodico induci dixit Auicenna. Caro leonina, lupina, cæterorumque rapacium facile in corporibus bilem atram generat, ex Rhase. Leporina caro sanguinem gignit melancholicum, ex eodem. Vulpinas carnes pessimi alimenti esse tradit Aetius. Bœotus quidam apud Aristophanem in Acharnensibus videtur irridere Bœotos, tanquam admodum rudes homines, qui vulpes non minus quam lepores in deliciis haberent. Hirundo nigræ carnis, & nigerrimæ pennæ, Simonidi apud Athe-

næum cyana, Aristophani varia, quod dorso & alis nigra, ventre alba, gutture rubra. Medici noxij, & feruidi alimenti esse dicunt: cuius stercus calidum oculos excæcat, ex Alberto, vt contigit fatigato Tobiæ à sepultura domum venienti, & obdormienti iuxta parietem, quum ex nido hirundinis stercus calidum in oculos incideret, vnde excæcatus est. Vespertilio cuteis alis; nigris, & toto corpore, vt nocturnum animal decet. Arnaldus de Villanoua eius stercus obcæcare dixit; & aliquando eius cor, & linguam hydrophobiam inducere. Apud veteres ob nigredinem infausti erat augurij, ob id contra ea domibus suspendebatur. Columella;

Hinc Amythaonius docuit quæ plurima Chiron,
Nocturnas crucibus volucres suspendit, & albis
Culminibus vetuit feralia carmina flere.

Vpupa versicolor, albis & pennis nigris distincta; alæ alternis maculis variæ. Tereum in vpupam mutatum antiqui finxere, vt nigra & turpi sua facie calamitatem suam inspiceret, semper in sepulchris, & humano stercore commorans, deserta quærit nemorum, & inuias plagas, lugubris & nocturna auis. Cuius sanguis illitus adeo humorem melancholicum mouet, vt dæmoniaca gignat phantasmata. Pauones nigri sunt; mali succi esse dixit Simeon Sethi, atram bilem generare; hepaticis & spleneticis nocere. Testudines terrestres tergore nigro ex luteo colore distinctis spatiis inter se variant, instar pellis salamandræ. Puluis testudinis in collyriis adhibitus, cæcitatem inducit. Quod si in lebetem balnei proiiciatur, quotquot illic balneantur occæcabuntur, ex Rhasi.

Atras plantas, & animalia atræ bili, & eius morbis mederi;

CAP. XI. 110

IIDEM colores, scilicet niger, cæruleus, purpureus, & fuscus in medicamentum adhibiti, contrariam vim operantur, melancholiam ipsam, & eiusdem morbos alumnos curantes. Diximus nigrum colorem in floribus non reperiri, sed eius vice cæruleum, purpureum, halurgumve. Id quoque præmonendum duximus, eiusmodi colores splendentes, hilares, amœnos, iucundosque medicam vim retinere, ac animum

exhilarare, ſic pallidos, exoletoſq; inducere. Exempla erunt. Violæ flos ſaturatiore purpura relucet: Meſues bilem expurgare dicit; ego atram expellere vidi. Bugloſſi flores, ſiue vulgaris *boraginis* eximia purpura, cæruleoue renitent omnes; eis ad cordis affectus, & ad melancholicos morbos vtuntur, tertianas, quartanaſque. Animi voluptates auget, ex quo Græci εὐφροσύνην dicunt, & etiam ἱππιατρῶν, id eſt triſtitiam diſcutientem. Vulgaris verſiculus eſt;

Dicit borrago gaudia ſemper ago.

Altera eſt ſpecies ſemper virentis, ad cordis, & melancholicos affectus præſtans. Sena cæruleo flore eſt, retorridam, atramque bilem, earumque ſuffuſiones ex gallinaceo iure depellit. Cicer, & cicercula purpureo flore, emendant lichenes, formicas, & pſoras; illinuntur gangrænis, & iis, quæ cacoethes nominantur; horrores quartanæ febris minuunt. Origanum atros humores per aluum excernit; ſic heraclion, & onitis, quæ floribus ſunt purpuraſcentibus. Pulegium atram bilem per aluum exigit. Dictamnum alterum Dioſcoridis florem fert atriorem, ad eadem valet. Thymum capitulos purpuraſcentes affert; Dioſcorides humores euacuare ſcripſit, & melancholicis dari. Epithymum per inferna atram bilem excernit. Palmæ Chriſti vocatæ flore purpuraſcente ſunt; Auicenna melancholicis dari iuſſit. Alypum qui depingunt, purpureo flore teſtantur: ſemen ex Dioſcoride atram bilem dejicit. Mentha choleras, in aceto pota ſupprimit. Calamintha cognatum genus, eſtur ad elephantiaſim. Galeopſis ad carcinomata valet. Capnos Meſues dixit ſanguinem expurgare ab exuſtis humoribus, carcinomatibus, & elephantiaſi prodeſſe. Ocymum, vt Martialis affirmat, modo roſeos, modo purpureos fert flores; valet contra quartanas. Betonica quartanas, tertianaſque. Aron flore conſtat purpureo atro: vlcera omnium generum, ſiue phagedænas, ſiue carcinomata, ſiue herpetem, ſiue polypos in naribus ſuccus mire ſanat. Satureia floſculos ex purpura candicantes habet; eadem quæ thymum præſtat, hebeteſque oculos exacuit. Saluia flore cæſio, purpureoque; terra vlcera purgat. Subpur-

purpureo floſculo ſerpillum eſt; phreneticis datur. Veratrum nigrum folio & radice nigris; melancholicis & inſanientibus prodeſſe dixit Dioſcorides, ſed atram bilem expellere Actuarius dixit. Peucedanum radice foris nigra; phreneticis iuuat. Braſſica cæruleo folio, nigreſcenti; ad gangrænas, phagedænica vlcera, atræ bili famulantia valet. Mandragora fœmina radice atra, per vomitionem atram bilem expurgat. Vrtica ſilueſtris folio & ſemine nigris; ad gangrænas & carcinomata valet. *Scorzonera* vulgaris, radice foris nigra, cardiacis datur, cordis pulſui, & tremori obnoxiis; triſtitiam diſcutit, hilaritatemque conciliat. Meliſſophyllon miris laudibus ad cordis effectus prædicant, propriumq; eius eſt hominem exhilarare, animi ſollicitudines fugare, & ſollicitas imaginationes tollere ab atra bile obortas: folio eſt nigro. Myrobalani nigri, nigram bilem trahunt, & mœrorem auferunt. Nigra etiam animalia pro remediis melancholiam purgant, & ex conſequenti comitiali morbo proſunt: nam qui melancholia laborant, comitiali morbo ſæpius corripiuntur, & epileptici fiunt melancholici. Coruus nigerrimi coloris; ad lepras & alphos Alchindus valere dixit. Hirundo nigra eſt; confortat cor, & expellit quartanas, ex Plinio. Pica nigri coloris; contra melancholiam valet. Pauo ad nigredinem vergit; oſſa adu ſta lepram emendant. Accipitris dorſum nigricat; animum corroborat, & melancholiæ medetur: alij ad quartanas laudant. Miluo pennæ nigreſcunt; ad elephantiaſim, & carcinomata propinatur. Aquila eiuſdem coloris, & virtutis. Grus cinerei coloris, & ſenecta nigreſcit; ad cancros valet, ex Arnaldo. Merula nigra eſt: Rhaſes pro cibo eis commendat, quibus melancholia generari incipit. Turdi ad lymphaticos, & hæmorrhoidas. Mus nigri coloris; Rhaſes virtutem habere dicit expellendi melancholiam, & iecur quartanam. Bubo fuſci coloris, ad quartanas. Lepus fuſci coloris: aduerſus quartanam datur. Leo fuliginoſi coloris; ſanguis contra phantaſmata valet, ex Æſculapio, Sexto, & Sereno; cor quartanas ſanat, ex Plinio. Ceruus fuſcus; contra febres, & carcinomata, ex Hermete, & Plinio. Elephantes murini

coloris: ad elephantiasin valent. Hyæna fusci coloris maculis, nigris varia; remedium ex ea ad quartanas. Simia eiusdem coloris, roborat cor, tollit quartanas, ob quam causam à leone voratur. Stibium atri coloris; purgatum vero purpurei, halurgi obscuri, morbis omnibus in vniuersum opitulatur, quos atra bilis excitat, dementias, fascinationes, epilepsias, & infinita alia, copioseque per aluum, & per os, & per poros etiam expurgat per insensibilem transpirationem, multiplici experimento à nobis facto. Sed purgandi modus, & propinandi, & experientiæ iam tibi sæpius manifestæ fuere Ill. Marine Bobali, vsq; ad admirationem, vt hæc, & alia, quæ reticemus hac methodo inuenta clare non celauimus. Gagates niger est lapis, cardiacis propinatur, ex Aetio, admirandamque is vim testatur. Sapphirus cærulei coloris; atram bilem expurgat, ob id nullo terrore terrentur, qui eum gestant: contritus cum lacte, tetra vlcera sanat, anthraces solo tactu fugat, & iucundum colorem largitur. Hyacinthi species altera est cærulea, ex similitudine floris sui nominis sic vocata. Martialis in secundo;

Coccina famosæ donas, & hyanthina mœchæ.

Id est vestimenta purpurea, violacea, tristitiam fugat, & vanas suspiciones si collo suspendas, aut digitis gestes, & securitatem præstat. Auicenna maxime omnes cordi imbecillitates ex melancholia obortas pellere dixit. Excitant & iidem flores oculorum acies: nam melancholiam purgando ventris deiectione, visus caligines amoliuntur; vt Hippocrates de porro dixit. Allium nigro semine est, esu continuo oculos hebetat: at pro medicamento allium oculis commodum; nam cum abũde alui deiectionem moueat, visum caligine liberat. Brassica nigro folio, crudæ succo angulis vel tantũ tactis, claritati oculorum confert, ex Plinio. Lactuca flore cæruleo, lac claritati eorundem vtilissimũ, dum capiti inungitur, ex Dioscoride. Anagallis flore purpureo; succus oculorum caligines discutit. Myosotis cęruleo itidẽ flore: tradunt Ægyptij siquis in Augusto mense iucurrente, huius herbæ succo nungatur,

mane priusquam loquatur, eo anno non lippiturum : radix ægylopas sanat, succus exprimitur ad cohibendos quartanæ febris horrores.

Atri coloris flores hilarem cutis colorem conciliare ;

CAP. XII.

CÆRVLEI florum colores, purpureique iidem hilares, amœnos, & pulchros humanæ cutis colores reddunt, tum iis, qui à longa valetudine decolorantur, tum quibus facies mangonizantur : quod idem de animalibus conjiciendum : hæ namque plantæ sollicitata ventris deiectione, ac melancholicos humores dejiciendo, corpus in meliorem colorem demutant, vitiaque cutis occulunt, vel summam corporis cutem iucundo colore exornant. Hilaris, & supra omnes venusti coloris vinum est : vino alitur sanguis & color hominis, ideo minus ruboris est in corporibus illis, & plus palloris; minus roboris, & contra labores patientiæ, qui aquam bibunt, ex Plinio. Cicer cæruleo est flore, cuti coloris hilaritatem præstat. Vetonica cæruleo, vel purpureo est flore prædita, pota plumbeum corporis colorem priuatim emendat, gratioremque reddit. Sena melancholicum succum purgando, corpus floridioris coloris relinquit, vt etiam borago. Allium semine nigro, rubicundiora facit corpora, ex Plinio. Crithmon, siue batis folio est obscuro cæruleo; colorem corporis gratiorem facit. Casia nigra vt diximus, retorridam bilem purgando, maxime prodest iis, qui naturaliter pallore dehonestantur. Sonchi genus est nigrum, quod horridioribus etiam spinarum aculeis riget; cuius si caulis nutricibus detur, meliorem colorem infantibus dabunt. Eruum si quis ieiunus quotidie biberit, vniuerso corpori meliorem fieri colorem tradunt; flore leguminum, semine nigro rufescenti. Lupini eodem flore, frequentiores in cibo discolores homines exhilarant. Croci immoderatus vsus pallorem, & fastidium inducit; sed moderatus elegantiore colore corpus exhilarat. Ficus, & præsertim caricæ bilis colorem habent, immoderato vsu bilem augent; esitatæ autem pro medicamento prosunt iis, quos longa valetudo decolorauit. Agaricum palli-

dum est; drachma vna propinata iis, quibus pallor membra decolorat, amœniorem colorem conciliat. Cerasus atro cruore madet, sanguinem ab atra bile expurgat, gratioremque cutis nitorem reddit.

In atrum colorem vergentes flores, vel simplicia etiam contra dæmoniacos valere; CAP. XIII.

NVNC de melancholicis loquemur, quos *dæmoniacos* vocant, quibus cærulei, halurgi, nigrescentes flores, vel lapides, aut animalia facile medentur. Primo dicemus duo esse dæmoniacorum genera; vnum quod vere dæmoniacum dici potest, quum dæmones in humana corpora introducti sunt ad impia eorum opera punienda, Deo permittente; & ij sanctæ Romanæ Ecclesia exorcismis, orationibus, & ieiuniis ejiciuntur, de quibus non loquemur. Alterum genus est atræ bilis, quod in humanis corporibus mirabilia efficit. Est & melancholia strenuus, & atrox humor, qui in corpore vehementer exagitatus, adeo mentem commouet, vt ex eo mirabiles conspiciantur effectus; vt enim ex colisu silicis, & chalybis excitantur scintillæ, ita ex acutorum humorum collisu, vt in ardentissimis febribus videtur, excutitur, vt variis linguis loquantur, & de iis rebus disputent, quæ nunquam audierint. Est humanus intellectus maximarum disciplinarum capax, vel, vt Platoni placet, prius quam corpori iungatur, omnium scientiarum plenus; qui corpore oppressus, latet, vt ignis sub cinere sopitus; sed ab humoribus iam dictis excitatus, & commotus splendet, & quæ suis thesauris delituerant, ostendit opes. Multa sunt, quæ non nisi excitata & commota suam virtutem ostendant. Succinum nisi fricatum quisquilias non attrahit; neque pyrites ignem elicit, nisi concussus, & quamplures herbæ nisi manibus attritæ, odorem suum non iaculantur. Qui morti proximior est anima iam corpori separata, de excelsis loquitur, vaticinatur, & quasi diuinitatis particeps, de cœlestibus loquitur admirandis. Sed vt de eiusmodi speciebus loquamur, Est Melancholiæ species, quam ab effectu, quo homines afficit, *lycanthropiam* & *cynanthropiam* vocant, ex Aetio, & Paulo. Mense Februario

noctu exeunt, in cunctis imitati lupos, aut canes, & vsque ad diluculum circa sepulchra præcipue versantur. Affectos his notis dignoscunt. Pallidi sunt, ignaue aspiciunt, oculi eorum spectantur caui, & aridi; scabra lingua, neque expuunt, neque lachrymantur, semperque siticulosi. Malum hoc *Lycaona* vocant Græci, ab Arcadiæ rege Lycaone, quem à Ioue in Lupum mutatum ob sua scelera dicunt, celantes hoc fabulæ inuolucro, humanæ mentis alienationem, fingentes in eo omnia, quæ ex hoc atræ bilis vitio eueniunt. Ouidius;

Territus ipse fugit, nactúsque silentia ruris,
Exululat; frustráque loqui conatur, &c.

Est & aliud morbi genus ex eadem atræ bilis specie, quem *dæmonium leoninum* vocant, à leone dictum; quod eo morbo detenti, in alios homines instar leonum sæuiant. Lycanthropiam etiam nominauit Auicenna de cutabuto loquens; hanc *diuinam passionem* Græci dicunt, eaque detenti, maioribus quibusdam potestatibus detenti videntur, ac propterea *enthusiastici* vocantur, quasi Deo pleni. His morbis medentur herbæ illæ, animalia illa, gemmæ, & lapides, qui atri, cærulei, purpureique sunt coloris, & atram bilem exhilarant, claram reddunt, & expurgant. Herbam paridem recentiores ad id præferunt, mirisque laudibus extollunt. Constat enim folio nigro, & virgæ sanguineæ simili, flore ex luteo herbaceo; in cuius medio purpureus, venosusque exstat globulus, acino vuæ similis, & radice pallida: cuius semen si ad vigesimum vsque diem in puluerem drachmæ pondere hauriatur, pristinæ sanitati restituitur, hoc præstantissimum medicamentum ex Pandectario desumptum est. Betonica folio nigro, semine & flore purpureis. Tantum gloriæ habet, vt domus in qua sata sit, tuta existimetur à piaculis omnibus: betonicæ semen omnia mala medicamenta per aluum exigit, in mulso; aut passo, vel farina in vini veteris cyathis quatuor; sed ad vomitum cogendi, vel ad iterum bibendum his qui quotidie gustent, nulla nocitura mala medicamenta putant. Verbena flosculis ex purpura pallentibus. Nulla plus Romanæ nobilitatis habet, quam *hierobotane*, quasi sacra & lustralis herba di-

cta, à verrendis Iouis aris, & ad domorum purgationes & lustrationes commendabatur, ac ad dæmonum explosiones. Immo si aqua conspergatur triclinium, in qua ipsa maduerit, lætiores conuictus fieri, quod non nisi melancholiam atram illam expurgando hæc assequebatur. Orchidis species, *palma christi* vocata, flore speciosо purpureo, datur maniacis magno iuuamento, eiusque radicem gestatam amuletum esse aiunt. Et Plinius, satyrios fœmina, *orchis* cognominata, distinguitur internodiis, & ramosiore frutice, radice fascinis vtili. Alyssū flore purpureo; in domo suspensum salutare habetur, amuletumque contra fascinantium maleficia creditur hominum, & quadrupedum generi. Ruta, quod flauos à melancholia exortos humores excutiat, suo cæsio, atroque frondium virore contra fascinationes valere, & melancholiæ suspiciones, tradidit Aristoteles in Problematis. Præstant idem & animalia, quæ fusca, sicca, & melancholica sunt. Rostrum lupi inueteratum veneficiis resistere dicunt, ob idque villarum portis prę-figunt: hoc idem præstare pellis è ceruice solida existimatur. Massurius palmam lupino adipi antiquos dedisse tradit; ideo nouas nuptas illo perungere postes solitas, ne quid mali medicamentum inferretur. Lupi carnem decoctam qui ederit, à dæmonibus & vmbris, & phantasmatib. non inquietabitur, ex Sexto. Lupi caro cocta in cibo sumpta, phantasticos curat, ex Æscul. De cane eadem, quę de lupo, dicenda, quum eiusdem generis sint & qualitatis. Genitale canis sub limine ianuæ defossum, amuletum dicunt totius domus, contraque mala medicamenta. Sanguis canis nigri respersus omnibus parietibus domus, in qua est maleficium, tollit: fel canis nigri maris amuletum esse, totius domus suffitum, purificareque eam contra mala medicamenta; & fortasse ad hanc domus expiationem alludentes antiqui, laribus, quos præsides domus vocabant, caninum caput donabant, aut è canum pellibus indumenta. Ad lapides transeamus. Gapates lapis nigerrimus est; contra dæmona valere dixit Marbodæus, & per dæmones phantasmata melancholica intelligit, quę ab Euace *dæmones* vocantur. Tradit etiam Mesues oleū gagatis valere cōtra dæmoniacos,

& Proclus aqua & aſpalatho ſuffumigato fugari dæmones dixit. Non eſt igitur à ratione alienum, quod in numerandis ſacris precibus vtantur gagatis bacculis. Lapis etiam in Nilo niger fabæ ſimilis reperitur, quo viſo canes non latrant, & abigit idem dæmonia, Thraſillus in Ægyptiacis, vt Stobeus citat. Antiphanes corallium eſt, ab eo colore nigra diſtans; & Marbodæus contra dæmoniacas vmbras valere dixit. Lapis Armenus ad atrabilares morbos valet colore cæruleo, ſic 1
lapis Lazuli atram bilem dejicit, & ad eadem valet ex Dioſcoride. Iaſpidis plures ſpecies, in India ſmaragdo ſimilis, in Phrygia purpureus, in Cappadocia ex purpura cæruleus, ob id Marbodæus contra melancholicas illuſiones, & ad noxia phantaſmata valere dixit. Nigra chalcedonij ſpecies collo appenſa, valet contra illuſiones & phantaſmata ex melancholia genitas. Tradit Pomponatius vir doctiſſimus priſcos exorciſtas, antequam exorciſmos eccleſiæ adorirentur, corpora obſeſſorum ad atra bile expurgaſſe; quum plerumque geminis morbis obſiderentur, animi & corpori. Sed vere dæmoniaci quomodo liberentur, non tractamus, quum ſacris exorciſmis liberentur. Sunt tamen naturalia quædam, quæ eos fugant, infeſtant, & excruciant, & etiam antiquitus celebrata. Scilla in ianuæ limine ſuſpenſa, mali medicamenti noxam aufert, quod Pythagoræ acceptum ferunt. Cauſam auguror, quod ſola inter plantas ter floreat, ſanctiſſimum trinitatis myſterium oſtentans. Prima rhamni ſpecies, quam *ſpinam cerualem* dicunt, rectis circa ramos aculeis, rigidiſſimis, & omnium acutiſſimis, robuſtiſſimiſque, diroque mucrone ſæuientibus horret; fama eſt apud antiquos ramos huius valuis, feneſtriſque impoſitos, veneficia depellere, auguror ex hac concinnatam coronam Ieſu Chriſto domino noſtro in crudeliſſima ſua paſſione, & ob id vulgo *ſpina ſanta* vocata. Ruta vt diximus contra maleficiatos valet, fortaſſe à crucis ſigno ſemini impreſſo; hypericon vehementiſſime dæmonas ejicit, ob id vulgo *fuga dæmonum* nuncupata, vt obſeſſi nec odorare, nec ſupra ferre valeant; auguror à thuris odore, quo redolet manibus confricata, quum ſoli Deo thus donaretur.

tur. His in balneis, aut suffitibus, aut gestationibus vsi sumus sæpissime ad dæmonibus obsessos liberandos.

Atri coloris flores, & animalia contra Veneris impotentiam valere;

CAP. XIV.

IDEM melancholiæ morbus ex vehementi imaginatione coitum impedit, vnde sæpissime melancholici se maleficiatos putant, & ligatos dicunt; constat enim coitus motu & imaginatione, vt qui se malificiatum imaginatus fuerit, illico vim amittat coitus; cum præsertim hac imaginatione melancholici laborent, & quum earum complexio frigida & sicca sit, Veneri inimica est. Eadem igitur quæ diximus animalia nigra, viridia, fusca, vel purpurea, lapides, herbæque vim eandem habent ad huiusmodi infirmitatem auerruncandam. Picus Martius, vel ex eius generis auis nobis dictus vulgo *turzolopico*, quamque depingit Ouidius Metamorphoseos quartodecimo;

— duro fera robora rostro
Figit, & iratus longis dat vulnera ramis.
Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem:
Fibula quod fuerat, vestemque momorderat aurum,
Pluma fit, & fuluo ceruix præcingitur auro.

Pollet vi maxima aduersus ligationes coitus, & clausuras. Adacto enim à pastoribus cuneo, admota quadam herba, ab his elabitur, Plinius ex Trebio. Herba enim contraria lapidi est, eamque contra lapidem ponit, lapis velut offensus, & non ferens vim herbæ, exilit, atque rursus foramen resoluit, Ælianus & Oppianus. Auis hæc assata, vel elixa comesta, sanitatem ægris celeriter reddit, & incantatione ligatos soluit, ex Kirannide. Pica etiam vulgaris nigri capitis, & colli ad eadem valet, ex Gilberto apud Arnoldum. Coruus niger est, & cõtra melancholiam valet. Fel mistum oleo corpori illitum, hominem ne coeat, soluit, Rhases ex Cleopatra. Pæonia grana fert ex nigro rufescentia, aliis nigris medio, & purpureis: fatiscentibus enim folliculis semina alterno coloris contextu mirabili naturæ decreto visuntur. magna cum hac pico sympathia. nam fructum radicemue legi noctib. præcipiunt; quia

picus Martius interdiu facere impetum in oculos dicatur, alioqui effodiẽtibus radicem pæoniæ ſedes procidit, ſi Theophraſto credimus. Medetur pæonia Faunorum in quiete ludibriis; eſtur contra malum mentis: hanc & *ephialtion* vocabant antiqui, vtpote cum aduerſus ſuppreſſiones incuborum nocturnas valeret. Abrotoni ramus ſi ſubjiciatur puluinari, Venerem ſtimulare dixit Plinius, habebaturque eſſe efficaciſſimum contra omnia veneficia, quibus coitus inhibetur.

Quid cæruleus, nigerue color naturaliter ſignificare poterit;

CAP. XV.

NIGREDINEM, & viriditatem Auerroes in ſuis Colliget ex neceſſitate fieri ex ſiccis partibus & terreſtribus, & quandoque fieri ex multo calore, ſicut nigredo in Æthiopibus: quandoque per frigiditatem, ſicut vinum nigrum, & hęc differentia indicatur ex eo, quod proceſſit. Albertus cæruleum, nigrum, aut purpureum colorem cauſari ex terreſtri, fumoſo, aduſto, obſcuro fumo Auicenna fuſcum dominium choleræ nigræ in corpore ſignificare, & ex aduſtis humoribus nigricantem vaporem conſurgere, Ariſtoteles libro De coloribus dicebat. Calor agens in humidum, colorem nigrum cauſat, & in Problematis; Omne quod vritur nigrum effici ſolitum eſt. Ego dicerem colorem nigrum aduſta indicare, & aduſta priuata caliditate, & humiditate: nam calor humiditatem conſumit; quæ remanent ergo, ſicca ſunt. Exemplum erit hyacinthus coloris purpurei, qui ex Galeno frigidus & ſiccus eſt. Cyanus flos refrigerat, & aſtringit: Viola purpurea, & huiuſmodi.

Albiflorę plantæ, & animalia pituitam augent;

CAP. XVI.

PLANTAE vero, & animalia albicolora, quæ adeo mitis acrimoniæ & ſaporis ſunt, vt in alimentum veniant, hæc ipſa pituitam augent. Ocymum albo flore eſt: Galenus, Pauluſque ob humorem excrementitium internis partibus vt officientem, cibis abdicarunt, ob id eſu immodico nobis interdixit: nam ſi quis proinde ac cæteris oleribus eo affatim vteretur, læderet interanea excremẽtitio humore, quo imbuitur;

male concoctus, calore natiuo herbæ, quasi superuacuus, citam noscit putrilaginem. Cucurbitæ candicant flores, & caro interna refrigerat, & corporis humorem alit fatuo esu, & vt insanum & concoctu contumacem à cibis prohibet Galenus; nauseabunda & molesto pondere ventriculum aggrauat. Cepa rufa acrior, quam candida. Fungi albi sunt, ex terra, vel radicum arborum pituita nascuntur : Galenus quibus cibo fuerint, pituitam gelidam, noxio succu inuictam parere dixit; argumento eorum, qui vomitu reiiciunt non nisi concretam, algentemq; cum inconfectis emittunt. Lactuca alba est; & pituitosis cauendam monent Medici. Et ad animalia transeundo: Omnium terrestrium animalium sus carne albissima est, & humidissima, & præsertim nuper in lucem edita, plurimamq; pituitam gignit, & superfluitates. Succedit in albedine agni caro, quę plus humiditatis & lentoris habet & mucoris, & maxime est pituitosa. Anseres & struthio cameli albi, carne alba : ex omnib. volucrib. caro excrementitia, & humidissima, & ob id ex ea putridæ febres gignuntur, ex Galeno libro De alimentorum facultatibus. Sunt & ranæ subliuidæ atque subcinereæ, caro albida decorticata : eius substantia adeo laxa est, & humida, quod citæ putredini parata est; vnde qui ranis frequenter vtuntur, colore plumbeo efficiuntur, corpusque putrefactioni aptum redditur.

6 *Albifloræ plantæ ad pituitam valent*; CAP. XVII.

ALBICANTES fructu, flore, vel radice plantæ in medicamenta assumptæ, pituitam, vel phlegma expurgãt. Exẽpla hæc erunt : Daphnoidi flos albet, pituitosa folio recenti, vel sicco exigit per aluum. Chamelæa, & Thymelæa cognatæ naturæ, & figuræ; nam & chamelææ alterius speciei pallent flores è lagenulis argenteis; phlegma vim deiiciendi retinẽt. Marrubium in canis florib. & foliis crassam pectoris pituitã eiicit. Hippophaes candidis foliis, & florib. radice lacte madente, pituitas per inferna trahit. Caucalidi in summo vmbella candida, renum pituitas extenuat, ex Plinio. Veratrũ album humores omnes maxima vi deturbat, & præcipue pituitam. Heliotropion maius albicantib. florib. in summo capite

pituitam per aluum deturbat. Sambuco & ebulo floſculi in vmbellis elegantib. candicant congeſti; quarum folia molliſſima eduntur ad pituitam detrahendam. Pyrethri cacumen opacat anethi muſcarium, Romani *ſaliuarem* vocāt, quod ad ſaliuam, pituitamque oris ſiccandam commanducatum ore teneatur. Sphondylion flore candicante pallido; pituitas aluo deiicit. Emicat è cappari flos candidus; capitis pituitas elicit, & quæ in ventre coierint. Anemonis genus vnum eſt, in cuius cacumine flores exeunt albi, nonnunquam tenui quadam purpura reſperſi: omnium commanducata radix pituitam trahit. Angelicæ flores albi in vmbella cohærentes, per ſe pituitoſos, lentoſque humores digerit; ex his albiflora eſt, craſſam pituitam potu detrahi, lentitiamque humorum digerit. Vitis alba, ſiue *vitabula* vulgo, quam ſecundam clematidem putant, bibitur ad exigendam per aluum pituitam. Ricinus ex luteo albeſcentes flores affert; grana cuius pituitam per aluum dejiciunt. Liguſtrum gallinaceorum pituitas. Lauri flos albus, pituitam excoquit, extrahitque. Beta & candida eſt, *Sicula* cognominata Theophraſto; caput purgat indita naribus. Braſſicæ ſpecies etiam flore albo; ſuccus narib. inditus pituitam elicit, cæteriſque humorib. exonerat. Sinapi flore albicante, contra pituitam in ore tenetur, donec liqueſcat, cōmanducaturque. Porrum extenuat craſſos humores, lentoſq; digerit, ob id Aetius Amidenus iis non interdixit, qui lentam craſſamq; colligerunt pituitam. Idemque de ampelopraſo dicendum. Eſt & genus candidæ lactucæ, criſpiſſimi folij, quæ pituitæ lentitiam digerit. Sunt quæ carne quidem modica, ſed multa ſanie conſtant, quib. ſemina videntur innatare, vt baccis ſolani, veſicariæ, bryoniæ, & cyclamino ſecundæ: nam ſi digitis maturæ premantur, copioſa profluit pituita, quæ lenta, tenaxque ſentitur, vt alteri cyclamino, cæteris dilutior. Cyclamini radix pituitas cum melle emendat. Bryonia ex pallido albeſcentes flores habet, ad idem valens. Iaſminon flore albo, lentitiam pituitæ digerit frigidis ſenibus. Naſturtium abſiſtit candicantem pituitam, capitiſque vita euacuat. Iſos albus eſt ex Theophraſto vnus, Aetio Iſion (ſi idem

sit) in cibo pituitam detrahit. Lamium flore albo, medetur strumis ex pituita generatis. Oxys flore albo. Lupulus cinereo albo, pituitæ lentitiam per aluum expellunt. Cepa corpore albissima; lentitiam pituitæ item digerit. Mastiche alba est; auxiliatur iis, quibus lenta coit pituita, pituitosumque exigit humorem.

Quid albus color in plantis & animalibus naturaliter significare poterit; CAP. XVIII.

DIXIMVS album plantarum colorem ex similitudine pituitæ mederi posse, nunc videamus ecquid aliorum philosophorum causis euariet. Aristoteles libro De generatione quinto ait, albedinem ex imbecillitate prouenire, & ideo in puerorum oculis conspicitur; partes enim nuper natæ imbecilles sunt, postea vero in suos colores, in quos futuræ sunt, mutantur: & nos in nostris Physiognomonicis probauimus albos oculos imbecillitatem, & humiditatem notare. Idemque ait; Animantes cunctæ, quæ siue imbecillitatis causa, siue cæco naturæ vitio præcoci, paruoq; victu sustentãtur, candidæ proueniunt; sic lepus candidus inuenitur, ceruus, & vrsus; & in auibus coturnix, hirundo, & perdix, præsertim quum statim à primis vitæ rudimentis imbecillitatem retulerint. Theophrastus in libro Causarum ait, infirmiora, fragilioraque alba sunt omnia, quam nigra, tum in animalibus, tum in plantis. Aristoteles etiam libello De coloribus ex humiditate albedinem prouenire dixit; argumento quod rosæ folia, & fructus punicæ initio alba sunt, postremo ex succi concoctione mutantur in puniceum, & halurgum colorem. Frondium vngues semper albescunt, vbi suæ cohærent origini; quia ibi humiditas ex alimenti suggestione abundat, minusque ibi sol concoquit; sed extrema foliorum coloratiora, quia ibi & minus humoris, & plus concoctionis; quia magis Soli, ambientique aëri exposita sunt. Debilis calor albam reddit vrinam, & indigestam. Auerroes in Colliget albedinem fieri dicit ex admistione aquearum partium cum terrestribus; quando est in rebus humidis, significat complexionem humidam, & frigidam: sed albedo pulchra in

hominibus prouenit ex admistione terrestrium partium cum aëre, & significat coloris temperantiam, vt diximus. Albertus addit, quando cum albedine perspicuitas adest in aqueo humido, parum terræ est; nisi quantum ad terminationem humidi perspicui sufficiat; vbi vero diuersitas, plus terrę. Exempla in plantis afferamus aliqua. Cucurbita flore albo est, frigida & humida ex Galeno est. Alsines essentiæ aqueæ refrigerans, humectansque. Fungi albi toti: maxima frigiditate, humiditateque deleteriæ facultatis. In polygono aquea frigiditas: nymphæam humectare, & refrigerare diximus. Cerasa flore albo frigida, humidaque; sic pyra, malaque. Rosæ albæ minus quam rubeæ calidæ, ob id eis ad oculorum inflammationes vtimur. Ocymum & coriandrum frigida dixit Dioscorides. Gramen, ex Simeone Sethi humectans, refrigeransque, & similia. Animalia alba diximus humida, frigidaque, excrementisq; plena: vt de ansere, cygno, struthiocamelo, & similibus.

Quæ rubri coloris sunt, continuo esu sanguinem augent;

CAP. XIX.

SVCCEDVNT rubra, & quæ de aliis diximus, de iis dicemus: continuo esu augent sanguinem. Exempla: Rubescit aliquantulum foris lactuca communis, dum adolescit; sed Cyprij generis ex albo rubicunda est: vidimus quæ tota sanguineo succo madebat, Cæciliana fusci, veluti purpurei coloris, ex Columella. Clamant Medicorum scholæ continuo vsu, esuue hoc olus copiosum gignere sanguinem, quod nulli olerum naturâ comparatum est: & sunt qui vitio vertant eius vsum, eoq; nomine damnent; contra quos Galenus inuehitur, quod à veritate plane deficiant; nam aliqua olera pauciſſimum sanguinem, & eum quidem vitiosum parere; lactucam solam multum, & non improbum, & omni ex parte laudabilem progignere. Vinum sanguinei coloris est, merum ac sincerum moderate potum sanguinem gignit, vires alit, venas replet, facileq; in membra distribuitur: alia exempla non suppetunt,

Quæ sanguineo succo madent, ad sanguinis purgationem valere;

CAP. XX.

ET si sanguis non purgetur, quum ipse sit, qui ab aliis humoribus expurgetur; quæ tamen sanguineo succo prædita sunt, ad quasdam purgationes valere, multis experimentis comprobabimus, & ad alia quoque sanguinis medicamenta: qui color tum in florib. tum radicib. succo, vel aliis partibus Rosæ flos flagrantissimi & fragrantissimi coloris, odorisue à se initium sumi poscit; eius succus adeo vere, & mere sanguinem ementitur. vt Græci finxerint ante candidam fuisse, & ex vulnerato Veneris pede, nullo munito sandalio, dum per rosæ frutices præpropere ferretur, ex profuso cruore adrubuisse: sanguinem à bili expurgare Mesues dixit, quod eius stamina sint crocea. Color eius chymistico magisterio elicitur, qui vere sanguinem repræsentat, mire ad eundem effectum efficax. In Rhabarbari radicibus subrubentes partes conspiciuntur: Mesues etiam sanguinem clarificare, atque omni ex parte cohibere occulta ratione dixit. Vinum rubrum putridum sanguinem expurgat potum, exhilaratoque sanguine rubrum faciei colorem conciliat. Inest & cerasis sanguineus succus; sanguinem is expurgat, ob id qui eis vescuntur, cutis colore nitent. Allium in aruis sponte nascens in summo proceri caulis purpureos flores ostētat, colore & forma conspicuos, ac membrana ambiens spicas rubescit: corpus in meliorem colorem mutat sanguinem emaculando. Tilia fructu lentisci sanguineo. Folia pota sanguinem detrahunt. Centaurium minus flore purpureo, cruentato; infuso eius decocto trahit sanguinem. Crocodilion sanguineo scapo, feruefacto & poto sanguinem copiosum per nares pellit. Sunt & rubra lilia, quorum radices cum mulso potæ, inutilem sanguinem ex aluo trahunt.

Rubras plantarum partes, & lapidum esse etiam vulnerarias;

CAP. XXI.

EADEM rubra, vel sanguinei coloris, ad compescendum sanguinem valent, & ob id à chirurgis *vulnerariæ* dictæ, quod vulneribus adhibeantur. Quorum exempla erunt hæc:

Mori fructus sanguineus est, vescentium labra & manus cruentant, & veluti sanguinea tabe polluunt: immaturus rufescit, & tunc præcipue sanguinem astringit, maturus nigrescit, & tunc soluit aluum: tunc præcipue sanguinem reprimit, quum illius præcipue similitudinem gerat. Mira produnt de eo; si priusquam in folia exeat, sinistra decerpi iubentur futura poma, (*ricinos* Græci vocant) hi terram si non attigere, sanguinem sistunt adalligati, siue ex vulnere fluat, siue ore, siue naribus, hæmorrhoidis: ad hoc seruantur repositi. Idem præstare & ramus dicitur, Luna plena defractus, incipiens fructum habere. Si terram non attigerit, priuatim mulieribus adalligatus lacerto contra abundantium mensium, ex Plinio. Rubus fructu morum imitatur, fœminarum profluuia cohibet. Galenus vulnera glutinare, dysenterias, ventris profluuia, sanguinis expuitiones sanare dixit. Sic & rubus Idæus. Malum granatum punicei coloris est, fructus & flos sanguinem excreantibus, fœmineis vuluæ fluxionibus laborantibus subuenire. Cytini sanguinolenta glutinant, ex Dioscoride. Flores, qui Creta & Cypro aduehuntur, quiue rubicundiore colore flagrant, cæteris ad eadem præstantiores sunt. Cistus flore rosaceo, colore mali punici; sic & hippocistus subruffa, sanguinem excreantibus, fœminarumque profluuiis illitu potuue prodest. Polygonos, siue sanguinaria cruentis exulcerationibus, & fœminarum mensibus valet, ex Dioscoride. Galenus cruentorum vulnerum glutinatorium dicit, & manantem sanguinem sistere; & mas qui flore puniceo, valentior est fœmina, quæ alterius coloris flore insignitur. Lysimachia altera flore rufi coloris nitet, vulneraria est, & ad sanguineos fluxus, & excretiones valet. Bistorta rubro flore, vel subpurpureo, radice subrufescente, itemque folia interna parte. Si fœminæ decocto insideant, aut pubi illinatur, menstruas reiectiones compescit, & iniecta glutinat. Stillatitia minoris aqua epota ad sanguineam resudationem hepaticam pollet. Amaranthus purpurea spica verius quam flore, sed qua nihil aspectu gratius, aut iucundius conspici queat; nam Tyrias purpuras flammeo

ſuo nitore vincit; vſu menſium abundantiam cohibere, & cruentas expuitiones, neotericorum experimento conſtat. Sideritis tertia purpureo flore eſt; recenti vulneri appoſita ſanguinem ſupprimit. Rhus, quæ *erythros* appellatur; nomen huic fecit coccineus acinulorum color: fœminarum abundantiam ſiſtit, ex Plinio. Fraga puniceo ſucco turgent, vulnera ſanant, & dyſenterias cohibent. Corni baccæ per maturitatem rubeſcunt, dyſenteriis valent, & muliebrium menſium excreſcentiis, & albæ baccæ ad alba profluuia. Ceraſa, quæ *amarendulas* dicimus, diluto ſanguinis rubore prædita, ſanguini profluenti medentur. Oxyacantha rubras fert baccas; ad menſtrua. Eiuſdem ſpeciei aronia ſiue *azarolus* dicta, etiam ad dyſenterias valet: Myrti fructus & liber rubei, ſanguineis excretionibus & menſibus opitulantur, & præcipue punicei coloris ſpecies illa, & non atra. Lentiſci bacculæ rubeſcunt: aduerſus ſanguinis reiectiones, & dyſenterias. Terebinthi fructus eiuſdem coloris, & facultatis. Infectorium granum, quod ex coccifera ilice naſcitur, miniato cruore rutilat: Dioſcorides ad vulnera commendauit. Tragium ſemine rufo, fœminarum profluuiis medetur. Balſamina vulgaris fructu interius purpuræ phœniceæ, ad glutinanda vulnera, ad ſiſtendum hæmorrhoidas, & ſedis ſanguinem præcipuæ dotis. Pæoniæ grana rubra: cum vino auſtero pota, menſes ſiſtunt. Xyris ſemine, & radice rubris, ad vulnera & capitis fractiones. Centaurium minus ſubrufeſcenti radice, ad ſanguinis eruptiones, & menſes: vis in vulneribus tanta, vt cohæreſcere etiam carnes tradant, ſi coquantur ſimul. Hac Chiron curatus dicitur, quum Herculis excepti hoſpitio pertractanti arma, ſagitta excidiſſet in pedem, ex Plinio. Symphytum petreum radice ſubruffa, ad dyſenterias, & rubra fœminarum profluuia, & recentia vulnera conglutinanda. Anchuſæ radices manus ſanguineo colore inficiunt: profluuiis mederi Galenus ait: Lycopſis eiuſdem ſpeciei & radicis; vulneraria eſt, ex Dioſcoride. Potentilla radice nititur exterius purpuraſcente: dyſenteriis, & vuluarum profluuiis pota, illitave auxiliatur. *Pirola* vocata, radice exigua, ſubruſſa,

vulnerariis potionib. & vulnerib. ferruminandis præstat. Virga aurea radice superne rubella, caule etiam leniter rubescente; sistendo sanguini, & cogendis vulneribus laudatur. Tormentilla radice tubei coloris, cauliculis subrubentibus; comprimit menses, & sanguinem è vulneribus manantem; dysenterias tollit, & vulnera glutinat potu hausta. Symphonam, quam alij *cromphenam*, Plinius repræsentat alternis viridibus, roseisque per caulem foliis; eamque in posca sanguinem reiicientibus mederi. Milium Indicum florem rubris panniculis inuolutum habet, radicem etiam rubram; fœminarum profluuia sistit. Bliti folia adeo rubescunt, vt coccineo rubore infecta videantur: Hippocrates menstrua sisti eo cibo protulit, ex Plinio. Hydropiper, siue *persicaria* in foliis sanguineis atras maculas habet vulneribus sanandis miræ virtutis, Pratense trifolium variatis guttulis, foliorum maculis in altero rubeis, in altero albidis, quorum opem vnum ad rubra, alterum ad alba fœminarum profluuia experti sumus. Hypericum, ascyrum, androsæmum; & coris folia habent, & flores, qui digitis pressi, manus atro cruore inficiunt; ad vulnerum balsama valent. Est & beta tota rubra foliis & radice; constringentem facultatem habet, vnde non vana coniectura ad vulnera valere iudico. Pimpinellæ species *sanguisorba* dicta, rubenti caule exit: muliebribus profluuiis efficaciſſime prodest, dysenteriis, & capitis vulneribus. Oxalidis cauliculi & frondes adrubescunt; fœminarum menses sistunt. Rubello caule consurgit *solidago Saracenica* dicta; solidaginis nomen indepta, quod claudere, & solidare vulnerum labra queat, & vulnerariis medicamentis admisceatur. Equiseti cauliculi rubentes sunt; sanguinem è naribus erumpentem stringit succus, prodest dysenteriis, & vulneribus conglutinandis. Aspalathus, siue santalum rubrum, sanguinis fluxiones cohibet, ex Auicenna. Agallochum, siue lignum aloes, rubescens, adstringens est. Quercus lignum rubris per totum venis distinguitur, ob id *robusseum* nomen inditum, pro rubore, ex Festo, quod vbique rubras venas habeat: ad vulnerum profluuia, sanguinis excrementa, & dysenterias valet; eius folia glutinant vsque

adeo, vt Galenus vulneri inflicto apposuerit, quum non aliud ad manus medicamen haberet, terendo folia læui petra, & vulneri apponendo. Caphura ex arboris corticibus exudans, maculis inter initia rubentibus, postmodum vi caloris excocta, vel ignium vi candescit; erumpentem sanguinem compescit, eumque cogit. Iuncus odoratus rubente scapo, fragmenta eius in purpuram vergunt: cuius flos sanguinis reiectiones supprimit. Hæmatites sanguinei coloris, mulierum fluxiones, & sanguinis reiectiones cohibet. Cinnabari Dioscorides hæmatitis lapidis parem vim tribuit. Rubrica sinopica ad iocinoris imaginem vergit; vulnerariis emplastris admisceri solet, daturque iocinoris vitio laborantibus. Rubrica fabrilis colore inferior, & viribus. Corallium contra sanguinis reiectiones magnopere efficax. Coroneolus lapis sanguinem quocumque membro fluentem sistit, & fœminarum præcipue fluxus. Heliotropo nomen inditum, quod Soli subiecta sub aqua, sanguineum Solem reddat: sanguinis fluxum astringit. Sarda rubei coloris: ad sistendum sanguinem valet, Stibium, & chalcanthum si comburantur, sanguinei coloris euadunt, erumpentem sanguinem è cerebri vena, & è pectore mirabiliter cohibere nouimus; sic & de aliis. ne longiores simus.

Quid rubeus color naturaliter significet;

CAP. XXII.

NVNC perscrutandum ecquid naturaliter ex manifestis qualitatibus rubeus color poterit demonstrare. Auerroes rubrum colorem caliditatem demonstrare dixit, propter ignem, qui in eo conspicitur. Albertus non infelix Philosophus, rubeum colorem ex aqua lucida & terra subtili incensa fumosa supernatante causari, quæ aquam & terram in rubeum conuertit. Mihi autem videtur rubeum colorem ex nimia terra fieri; est enim candidus color inter colores pellucidissimus, & rubeus tenebrosus valde ob terreas partes; ob id colores rubri omnes stiptici sunt, vt in rubeo vino videre

est : fructus qui nigri futuri sunt, matureſcentes rubeſcunt, & acerbi sunt; vltimam vero maturitatem consequuti, & maxime concocti nigreſcunt, vt in ceraſis, moris, punicis, oleis, vuis, myrtis, cæteriſque videre est. Roſæ, leucoia, & caryophylli flores neglecti, vel in aridis loci; conſiti, rubeſcunt nimia ſiccitate; in cultis vero rigatione, & ſtercoratione humeſcentes, nigreſcunt. Roſa rubea, & humida calidaque, ex Galeno. Lychnis calida ſiccaque, ſic nerium, ex Auicenna, Aſpalathus, ſiue ſantalum calidum, ſiccumque, papaueris ſilueſtris flores etiam calidi ſunt, etſi Medici omnes frigidos dicant: dilatis rationibus in ſua loca.

Quod miſti plantarum colores miſtos humores trahant;

CAP. XXIII.

DIXIMVS emaculatos plantarum colores, qui ſimplices noſtri corporis humores trahebant, nunc multorum colorum petulantiam experiamur. Theophraſtus dicit flores alios vnicolores, alios bicolores, alios verſicolores eſſe. Ariſtoteles libro De coloribus ait, florum pars vna rubet, altera punicat, altera candicat, vel purpura relucet, vnde liquet flores ſpecie verſicolores notari. Cuius ratio eſt, quod pars altera concocta magis, altera minus, vel quod diuerſis in partibus humor talis, vel varius exiſtat. Sed cur in floribus maior colorum petulantia, quam in foliis, vel fructib. docet idem Problematum libro, de linguæ coloribus loquens; quod tot in ea colores omnes conſpiciuntur, quod in cute; quod præ tenui cuticula contegatur, vt vel minima in ea varietas deprehendi poſſit: quum ſubtiliſſimæ plantarum partes, & maxime perſpicuæ in floribus perſpiciantur. Sed colores, qui aliis coloribus inficiuntur in floribus, vel foliis, varias virtutes & vitia oſtendunt, & priorum rationem ſequuntur. Flos bicolor vtriuſque virtutis compos eſt, & ſic verſicolores variorum: vnde accidit, vt eadem planta varias, & inter ſe pugnantes qualitates habeat, quod ex variis, & aduerſantibus humoribus conſtet. Maſtiche abſtergit, digerit, & firmat; acetum frigefacit & calefacit, & contrariæ illis vires ſunt; 121
quoniam eorum indiuiduæ particulæ per appoſitionem, non

per confusionem coeunt, vt arena si lento conglutinetur humore, inque vnum corpus coagmentetur, non per confusionem corpusculorum suorum in corpus, quod vnum videtur, concrescit, sed per coniunctionem, contactumque consistit: ergo si ita est, contrarias qualitates diuersis particulis mastichæ, aut aceti inditas, confundique inuicem recusantes existimasse absurdum non est, vt Alexander notat. In humana Physiognomonia dicebamus homines, qui variis coloribus conspicuos oculos habent, variis moribus constare, & plerumque dolosos & reprobos esse; quorum familiaritatem fugiendam dicebamus: sic plantas variorum colorum commistu insignitas, varias & plerumque inter se aduersantes qualitates habere; nec iis fidendum, sed maxima perscrutatione deliberandum. Idem de animalibus, gemmis, & lapidibus dicendum, quorum eadem causa & natura: ob id non simplices humores purgant, quum non simplices colores plantis insint, sed variorum discrimina promiscue coniuncta. Et quemadmodum nostri corporis humores in alios concoctione transeũt, vt bilis in choleram, sic & lutei flores vetustate, vel cultu in croceos, ruffos vel purpureos abeunt. Exempla erunt. Si flores sunt albi, luteique, hi pituitam simul & bilem purgant. Anthemidi flores circumcandidi radiantur, luteum glomerulum ambientes; ex Galeno pituitosis & biliosis febribus medentur. Parthenium flore per ambitum albo, intus melino: bilem & pituitam trahit. Sambucus & ebulus vmbellas gerunt, quæ candidum florem pariunt, in quorum vmbilico flauescunt: vterque pituitam & bilem euacuat: quia vtrisque inter se florum cognatio. Arbor vulgo *frangula* dicta, flores edit albos, sed lignum interius croceo colore flauescit; & pituitam expurgat. Sunt & radices albæ, atræque; quum ater in floribus difficile reperiatur, quæ pituitam & melancholiam expurgant, vt mandragora fœmina, quæ radice nititur foris nigra, intus alba; per vomitum pituitam, atramque bilem extrahit. Apios radicem habet, cuius corpus intus candidum extra corticem nigrum; vomitione bilem & pituitam extrahit. Sunt quæ bilem & sanguinem expurgant, vtpote rhabar-

barum, radix foris nigra, rufescens intus, & glauceſcens cum aliqua albedine; Meſues dicit deijcere modo bilem, ſed pituitã, & ſanguinem clarificare. Caſia crocea rubraq; eſt: à bili expurgat, bilem ſecum trahens. Iris ex multiplici colorũ miſtura non inuenuſta conſtat, vt qui in diuerſis plantis conſpiciuntur, in vnius flore ſpectanda veniũt: nam a mœno flauo, purpureo conſtat & albo: & præcipue pituitam & bilem extrahens, hæmorrhoidibus & ſexcentis aliis medicamentis valet. Dioſcorides magni ad omnia vſus dixit. Sic etiam roſa, lilium, aſter Atticus, & capparis flores ex multis conſtantibus habent, & diuerſis qualitatibus conſtant, etiam inter ſe pugnantibus. Suppetit admirabile quoddam de coloribus dicere, ſubinde ſe mutantibus, quos indulgens natura hominum ſaluti ſatagens, clementiſſime demonſtrat. Noxij enim fungi ſi diſcerpantur, paruo temporis momento colores variant: nam primo albi, ſubinde vireſcunt diluto virore, rancido aſpectu, liuido intus colore, rimoſa ſtria, pallido per ambitum labro, vt vere horrorem incutiant; qui colores omnes conſpiciuntur in eorum faciebus, qui veneno fungorum, vel laqueo ſtrangulati ſunt, quæ colorum varietas in innoxiis non conſpicitur. Monſtrat nunquam ſatis laudata Natura idem in tripolio; quippe ter in die colores mutat, mane candidos, meridie purpureos, ſero puniceos oſtentat, & præcipue contra venena valet: nam qui veneno necantur, ex pallido purpurei, puniceiue conſpiciuntur. Eadem in animalib. videre eſt, vt in teſtudine aquatica verſicolori, gallinis, & aliis. In animalibus & lapidibus quot colores, tot virtutes, & ſpecies nocendi. Serpens multis & variis diſtinctus maculis, tot habet nocendi ſpecies, quot colores diſtinctos, ex Arnaldo. Et Salamandræ morſus tot Medicis opus habet, quot diſtinguitur maculis. Opalus gemma tot virtutes habet, quot colores.

Lactuoſæ plantæ, & animalia ad lac valent; 122

CAP. XXIV.

AT ſi ſanguis ſuperabundat, & non putrefit, vt in ſuperioribus, lac, ſperma, & menſtruum generat; quorum alterum generationi, alterum generatis inſeruit. Dice-

mus primo de lacte : Plantæ enim lactuosæ, vel quæ lactis similitudinem gerunt, lac generant ; facilior enim fit transitus in simile , quam in dissimile. Lactucæ nomenclatio à lacte est , quod plus ei lactis, quam multis insit : vescentibus ea mulieribus lac auget. Sonchus exiguum lac illato vulnere collachrymat , lactucæ similis, nisi spinosus esset: caulis decoctus lactis abundantiam nutricibus subministrat: Vtilissimus iis, quæ lac sibi coire sentiant, ex Plinio. Est iasone olus siluestre cum lacte multo; cruda ex aceto in cibo sumpta , mulieribus lactis vbertatem præstat, inquit Plinius. Althææ radici aqua addita, addensari sub dio, atque lactescere dicit Plinius , & mammarum vitiis occurrere. Æque nota lanaria, *lactoris* vulgo , est plena lactis, ouibus ieiunis data, lactis abundantiam facit, ex Plinio. Bryoniæ radix lactat; lactis abundantiam faciunt cauliculi cocti cum tritico , potique. Tragium habet quid lacteum, gummi simile : in lactis defectu mammas replet, eisque vnice medetur. Sunt & herbæ, quæ supra folia maculas habent, hoc insigni à Natura donatæ, vt lacte valere demonstrentur. Carduus lacteus , foliis prægrandibus, lacteas incisuras in folio habet , & quasi lacteas maculas : plebecula mulierculârum copiam lactis illius esu prouocat. Est & cerinthe, lycopsis, borago, & similes, quæ lacteas stillas habent, sed adhuc inexpertæ virtutis. Sunt & quæ trita, commanducataque lacteum succum ostendunt, vt cytisus lac præstat omnibus animantibus, etsi à scriptoribus rei medicæ non scribatur, à studiosis agricolationis, & pastoribus non ignoratur, vt à Collumella, & aliis habetur. Glaux eiusdem speciei ; ad reuocandam valet exhausti lactis vbertatem : ob id Græci *eugalacton* vocant, ex Plinio. Eiusdem speciei polygala, cuius nomen à lacte. Nigellæ semen commanducatum, lactis speciem præbet : quo mulieres albidam & lacteam faciem reddunt : omnibus diebus sumptum , lac mulieribus auget. Eodem modo cicer vberibus lac auget. Sic granum & hordeum lactescunt, vt ex amylo, & ptisana lac abunde suppeditatur. Amygdalæ, auellanæ & legumina, vt fabæ, ex

Auicenna, lac generant, quæ commanducata lacteſcentia ſunt. Sic & animalia quæ multo lacte abundant, ſcilicet quæ multipara, & multas mammas habent, ad prouocandum & multiplicandum lac valent. Quærit Ariſtoteles Problematum libro, cur capris & ouibus plurimum ſit lactis, proportione ſui corporis; inquiens: quod maioribus animalibus alimenti copia in corpus abſumitur, cæteris in excrementū ſe confert; ouibus autem & capris, quantum in excrementum excreſcit, omne in lac tranſit: vel quod plura gignunt quam quæ magno ſunt corpore; itaque plus attrahunt excrementi, propter corporis imbecillitatem redundantis: lac autem excremento conſiſtere certum eſt. Auicenna inquit: Quidam dixerunt, quod comedere vbera proprie ouium, & caprarum cum lacte; quod in eis continetur, valde eſt vtile ad hoc, propter illud, quod in eis exiſtit, ex ſimilitudine, aut propter proprietatem quod eſt in eis. Præterea caprinus, vel ouillus caſeus maxime lac auget. Multipara eſt ſus, & ſuos partus perfecte edit, & alit: numerus fœcunditatis ad vicenos, qua nil Natura fœcundius genuit. Sus Æneæ triginta porcos pepererat. Lacte ſuis poto cum mulſo, adiuuatur partus mulierum; pro ſe vero potum, deficientia vbera puerperarum replet, ex Plinio. Vacca abundat lacte: vaccinus caſeus datus nutricibus auget earum lac; ſic butyrum, ex Auicenna. Sunt & lapides lactei, vel lacteis guttis inſigniti, qui lac nutricibus adaugent, vt galactites, ex Dioſcoride, & alij.

Lactuoſas plantas, & ſpermatica animalia ſperma generare;

CAP. XXV.

DIXIMVS etiam ſperma vtile excrementum ſanguinis eſſe, lac in plantis, quia etiam ſpermatis ſimilitudinem gerit, ſperma etiam generat. Exempla dabimus. Nomen commune tithymalis factum à lacteo ſucco, quo turgent, & tithymalis proniores ad Venerem fieri homines dixit Plinius Papauer lactuoſum eſt, & ſperma auget, ex Auicenna. Dens leonis iis confert, quibus Venus effluit. Iaſone emarceſcentes coitus ſtimulat, ex Plinio; ſic & lactuoſa dracunculi radix. Fructus commanducati, qui lac monſtrant, ad lacteum ſperma

generan-

generandum valent. Amygdalæ ad recipiendas vires, & ad Venerem roborandam præstant, ex Galeno. Pinei nuclei lactuosi; & ad sperma augendum plurimum commendantur. Pistacea commanducata ad eadem. Thrasi radiculæ Veneris incentiuæ. Legumina eundem præstant vsum. Cicer copiosum semen generat, cuius grana administriis equis exhibent, vt & cytisus. Ficus lactuosa, & ad Venerem valet. Ex oryza lactuosus cremor elicitur sperma generans. Phaseoli, & lac omne haustum ad idem valent.

Serosos plantæ humores serum purgant;

CAP. XXVI.

AT si sanguis in venis non superabundat, sed ab eis excernitur, vt in excrementum abeat, nascitur ichor, siue serum, vrina, & sudor. Lac, inquit Dioscorides, serum continet, quod vbi discesserit à lacte, multo potentius ad purgationes redditur. Plantæ lactuosæ sunt etiam serosæ; lac postquam extractum est, si remorabitur paulisper, separabitur serum: ob id valde serosos corporis humores excernit. Auicenna ait: Serum, siue aquositas est solutiua, lauatiua, & subtiliatiua. Tithymali omnes lactuosi sunt, vt diximus: Mesues aquam intercutem validissime extrahere dixit. Lathyris frutex copia lactis turget: grana in aqua pota, hydropicos sanant; aquam ex aluo trahunt cum vehementia. Eiusdem speciei, & vis pityusa, peplus, & peplis. Ficuum lac soluit aluum: hydropicis prosunt illitu. Mori radicis cortex laxat, soluit, purgatque aluum. Sycomorus vtriusque naturæ particeps, & formæ, vtriusque vires habet; scalpitur vnguibus ferreis, aliter non maturescit, per singulas æstates multo lacte abundante: potentia inter ficum & morum media. Cucurbitæ succus lactuosus, Græci volunt earum cibo ventrem læuigari. Marina brassica vulnerata candidum liquorem dimittit; in cibo decocta, vehementissime cit aluum. Lactucæ nomen à lacte, quo manat, si eius lac potui detur, extrahit ex aluo chymum aquosum, ex Auicenna: eadem satiua & siluestris hydropicis à Crateua commendantur. Hieracio candidus, siue lacteus succus, carpitur per messes inciso caule.

Succus in posca potus aluum purgat, hydropicis Crateuas propinat. Hippophaes radicem habet lacteo succo scatentem, qui aquam deijcit. Chamælæa lacte manat, aquas per aluum detrahit.

Plantæ lac cogentes, & humanum semen coagulant, & lac dissoluentes, conceptum disperdunt, & contra venena valent;

CAP. XXVII.

POSTQVAM in lactis mentionem incidimus, non ab re fuerit eas plantas & animalia enumerare, quæ lac cogendi vim habent; non quod nobis lac coagulare curæ sit, sed quæ id efficiunt, & humanum semen coagulare possunt, quod lactis similitudinem gerit, vt generationi nobis prodesse possint: sic quæ lac eliquant, eidem lac non coagulari; vnde à nobis fugiendæ, vt semen dissoluentes, & genituram irritam red- 12.
dentes. Multis enim modis diuina phronea ad generationem propagandam vias reserauit, similitudines ostendendo. Ad exempla hæc venient: Carduus spinosus est, radicem habet, quæ durescens lacteum succum emittit, qui coaguli modo lac cogit. Idem etiam prolificum semen auget. Eiusdem speciei cnicus, cuius semen lac cogit. Spinæ albæ flore rubro, & pastores vtuntur in cogendo lacte, & in caseum spissando. Ficus, & multo valentius caprificus suo lacte lac in caseum cogit: diximus iam ad muliebria, & ad conceptus valere. Galion nomen inuenit ex eo, quod flores eius vi spissandi, lac coagulent, valetque idem ad Venerem proritandam, & ad conceptum. Balsami vis coagulandi lac est; vnde eius probatio est, si lac coagulet, quod quidem adulteratum non facit, immo & in aqua proiectum lacteſcit; ob id vuluis inditum, vel subditum iis mulieribus, quæ concipere desierant, restibilem adferre fœcunditatem dicunt. *Lepus solus ex iis, quibus pedes multifidi, coagulum habet, ex Polluce: fitque ex eo coagulum, quoniam herbam lactei succi pascitur: suo coagulo omne lac cogitur. Coagulum leporis post menstruas purgationes appositum vuluæ (pessi instar) cum butyro, præ-

ſtat mulieribus, vt concipiant, ex Dioſcoride: & leporis coagulum ad drachmas quatuor in potione vini datum, fœminæ de fœmineo, & maſculo de maſculino, & mox faciat coitum, poſt abſtineat ſe; ſtatim concipit, ex Sexto. Contra vero, quæ lac diſſoluunt, coactumque fluidum reddunt, ſperma irritum faciunt, & genituram perdunt: nam in vtero vbi ſemen à calore naturali, aut virtute formatiua veluti in coagulum denſari oportet, ſi id, vel externa aliqua vicitius, aut aliter quam oporteat fieri omnino prohibeatur, conceptus & fœtus formatio impeditur: quod ſi ex ſubditis peſſis, vel illita viri glande ex medicamentoſa quapiam vi, feminis natura perturbatur; illud, vt parerat, coagulari non poterit, ſed fluidum, aut denſum, vel male diſpoſitum reddetur. Menthæ folia in lac demerſa coire, denſarique illud prohibent, Dioſcoride teſte; & mammillis etiam applicata, in quibus lac denſatur in grumos, diſſoluit illud, ex Aetio. Vnde muliebribus ante coitum genitalibus, peſſi modo appoſita, concipiendi vim adimit, ex Dioſcoride; quorum multa apud auctores videre poteris. Sed id duximus præmonendum quod eadem, quæ lac condenſant, illamet diſſoluunt, vbi coagulatum fuerit; ob id tempus animaduertendum, in quo propinentur: nam poſt immiſſum ſemen & coagulatum, ſi vuluæ admiſeris, diſſoluit, ante vero coagulat. Hinnuli coagulum laudatiſſimum eſt, ex Ariſtotele, ad lac cogendum; idem ad coactum diſſoluendum. Idque priuatim triduo à purgationibus admotum vtero, partus ſpem intercipit, ex Dioſcoride, ita coagulatum ſemen diſperdit. Canabino ſemini tanta vis coagulandi ineſt, vt aqua infuſa eam coagulet; ſed largius ſumptum à viro, genituram illius extinguit: at ſi modus adſit, vt diximus, conceptui opem afferre poteſt. Sal modice comeſtus, conceptionem adiuuat, ſed multum coagulari ſemen prohibet, vt lac. Sal etiam ouibus ſparſus, ſed mediocriter, lac auget, Venerem proritat, & fœcunditatem adiuuat; multùm vero, ſteriles reddit, quod coagulatum diſſoluat. Præterea quæ lac in ventriculo, vel tauri ſanguinem coagulatum fluidum faciunt, eadem con-

tra conceptum valent. Vt calaminthæ folia, laser, sal, acetum, lixiuium, brassicæ semen, grossi lacteo succo turgentes, piper & reliqua. Ob id brassicæ flos in pessu subditus vuluæ post conceptionem, conceptum vitiat, & sic de reliquis imaginandum: sat sit hæc attigisse. Nec ab re fuerit aliqua addere, quæ nunc in mentem subeunt, animalium venenosorum, quæ virus in lactis formam eiaculantur, vel lac resudant, eisdem lactuosis herbis morsus sanari posse; vel virulentum lac dissoluendo, vel coagulando. Salamandra percussa, lactea sanie manat, irritata lac euomit, ex Agricola: remedio sunt nuclei pinei, ex Dioscoride & Ægineta, lac recens, & præcipue bubulum, ex Dioscoride, scammonium, cuius succus non vacat lacte, nam lingua tactum lactescit. Rubeta è compressis tuberculis, quibus dorsum exasperatur, lac exsudat: valet ad eius venenum leporis coagulum, lac humanum, balsamum, laser, papauer, & ea, quibus lac cogi diximus. Lacertæ aquaticæ è vulneribus lactea virosa sanies defluit, vt in salamandra, eodem modo venenosa, eisdemque remediis occurritur. Quum cauda ferit scorpio, venenum ab eo lacteum fundi 12
Apollodorus autor est, ex Plinio, cuius morsui lactuosa omnia auxiliantur: lac siluestris lactucæ, & satiuæ, opium ex lactescentibus papaueribus. Cnico coagulari lac diximus: constat à scorpione percussos, quamdiu teneant eam herbam, non sentire cruciatum. Sonchus, laser, alica ex lactescente zea, oryza, & trago. Sic ficus, caprificus, tithymali, & cætera.

Sanguineæ plantæ etiam menstrua mouent;

CAP. XXVIII.

Est & sanguis menstruus ex super excrescenti humore, sed vtili generationi, quo alatur infans in vtero matris. Nunc & sanguinea alio modo mensium sanguinem mouent, alliciuntque. Rubia radice & semine rubris, ab infectoribus colitur, quod ea lanæ, & pelles inficiantur; radix, semenque trahunt menstrua. Est & cicer rufum, candido validius, menses trahit. Ruscus baccas rubras, vel sanguineas affert; mulierum purgationi valet. Casia coralli æmula, cinnamo-

mum ruffum, menſes trahunt. Lauri fructus ſanguineus, & oleæ: lachryma Æthiopica cit menſes. Hederæ corymbi rubri; triti & ſubditi, menſes mouent. Cyclaminus purpureis, vel coloſſinis floribus, menſes potu, appoſituve ciet. Anemones phœniceo flore, menſtrua mouet. Radix centaurij maioris rubeſcit; menſes extrahit. Phillyrea fructu rubro, cit menſes. Paſtinacæ radix adeo rufa, vt ſanguineo ſucco madeat; menſtrua mouet. Leucoium vnum purpurei floris, menſtrua expellit. Pæoniæ grana rubra ciet menſes. Hyperici flos digitis tritus ſanguineum ſuccum remittit, qua ratione *androſæmum* dictum, menſtrua, appoſitum pellit. Hæc omnia ex Dioſcoride. Iuniperi baccæ rufæ, quarum oleum ciet menſes. Semen ari coccineum, vt coralli modo rufeſcat, ſeminis drachmæ duæ ad menſes ducendos valent, & alia infinita. Nunc animalia videamus, quæ menſtruis abundant, & ad euocanda menſtrua valent, & quæ carent, ſiſtant. Vaccæ purgantur menſtruis, menſura quidem amplius, quam oues & capræ; in regionibus calidis quinto quoque menſe apparent, ex Ariſtotele; ob id taurinum fel mulierum purgationem adiuuat, lana ſuccida appoſitum. Olympias Thebana addit œſypum, nitrum, ex Plinio. Oui & capræ menſes indicantur tempore coitus, quod idem poſt coitum, etiam fit ad tempus, mox deſiſtit, donec parturiant; tum denuo indicantur; à partu purgatio abunde ſequitur, ex Ariſtotele: œſypum menſes euocat, ex Dioſcoride. Ceruæ à partu pituitoſo quodam humore purgantur: peſſum ex medulla ceruina menſibus euocandis commendatur ab Agricola. Equa menſtruoſa non eſt, immo minimum inter quadrupedes emittere ſolet: vacat admodum purgamentis in partu, minimumque emittit ſanguinis, videlicet pro corporis magnitudine, ex Ariſtotele; equini pili cinere ſanguis ſiſtitur, ad omne profluuium impoſito, ex Plinio.

Glauci ſucci plantæ vrinam cient;

CAP. XXIX.

VRINA, & ſudor excernuntur è ſanguine; de vrina nunc dicendum, quam educunt glauci ſucci ſtirpes. Ho-

rum exempla erunt : Ageratum flore croceo est ; vsti nidor vrinam mouet. Abrotono aurei coloris splendescunt corymbi ; vrinæ angustiis medetur : Hypericum & coris aurei flori sunt, & vrinas pellunt. Celtica nardus non flore solum, sed folio flauescit ; vehementer vesicam exonerat. Asarina asaro cognata, melinis floribus ; copiose cit vrinam. Crocum & lotium subducit. Idem & crocomagma operatur. Sic cucumis satiuus, siluestris, asparagus, crithamon, eruca siluestris, asphodelus luteus, ononis, absinthium, mentha Græca, ruta, panax Heraclium, & Chironium, seseli, anethum, cuminum siluestre, fœniculum satiuum, & siluestre, rosmarinum, cuius semen *cachrys* vocatur, abies, artemisia, conyza, anthemis, althæa, aiuga, heliochryson, corydalis, cytisus, bunium, stœchas citrina, genista ex Mesue, & ruscus, omnes crocato flore insigniuntur, & insigniter vrinam mouent. Sunt & quarundam fructus, vt cotonea, punica, cicer, lupinus, smilax hortensis, & amni ex Syria delatum, solanum somnificum fructu in folliculis crocato, cotyledon, acetabulo, vt plurimum glauco. Sic & radices, vt gentiana, & ex Auicenna vrinam pellit: phu, nardus ; costus, & vitis nigra : Aspalathum flauo intus ligno. Flauescunt & gummi, vt lentisci, terebinthi, iuniperi, cupressi, & amygdali, lachryma oleæ Æthiopicæ, bdellium, succinum, mel & reliqua, quæ piget describere.

Arborum lachrymæ, & sudores ad lachrymas & sudores nostros valent ; CAP. XXX.

SVNT & in plantis lachrymæ, & sudores, ad lachrymas & sudores nostros defluentes valere compertum est. Thus arboris lachryma est, quæ flagrantissimis æstibus è prægnanti corporis cortice stillat ; cuius fuligo oculorum fluxiones suspendit, hoc exemplo myrrha, resina, styrace, omni demum lachryma colligitur ad easdem vtilitates. Lachryma etiã, quæ ex arbore destillat Æthiopicæ oleæ, stillicidiis minutis mammosa, hebetiores oculos illitu clarificat, cicatrices in iis & albugines exterit ; eandem guttam nostrates fundunt oleæ : & etiam in oleastro quærendam. Aqua, quæ ex ouo, dum igni excoquitur, emanat, ad oculorum lachrymas valet. Est etiam

tragachanthæ lachryma, quæ vulnerata radice manans concreuit, huius increbuit vsus ad oculorum medicamenta, ad retusas voces, cæteraſque diſtillationes. Eadem de ſudore dicenda. Gummi ex corticis ſpiraculis prodeunt, ſicut ex poris ſudores: vt recte dici poſſint arborum ſudores. Ferula imo caule vulnerata ſagapenum emittit, idque ſudores ciet. Myrra lachryma arboris in Arabia naſcentis, aduerſus alarum ſudores, & tædia cum liquido alumine illinitur; diuturnas diſtillationes lenit, & oculorum vlcera complet. Succinum vt ſudor, fluit, & ſudores mouet. Smyrnium nomen indeptum, quod ſuccum myrrhæ ſaporis & odoris exſudet, vt alterum alterius loco cedat, vt myrrha ſudores mouet. Anus ficus diſtillat gummi, modo lachrymam, ſiccaturque. Ficus ſudores mouent: ob id autumno inſalubres putantur; quoniam deſudantia huius cibi opera, corpora refrigeſcunt. caprificus etiam ſudores elicit; oleum vetus corpora excalefaciendo ſudores diſcutit. Panax, ferula ſui generis, radix autumno, caules meſſibus inciduntur; in Macedonia ſuccus erumpit ſponte, *opopanax* dicitur; excipitur cum recens erumpit lachryma, ſiue ſudor, cit ſudores. Et ferula oleo perunctis ſudores mouet.

Saliuoſas plantas, & animalia ad ciendam ſaliuam valere;

CAP. XXXI.

FIT in ore ſaliua, qua plurimum indigemus in febribus, ad ſitim extinguendam; atque animo volutanti, quæ plantæ vel animalia ſaliuam oſtendant, occurrit portulaca, cuius folia propter humoris copiam pinguiuſcula ſunt, & glutinoſo conſtant ſucco, & ſaliuari lentore; ob id, Leontio autore, portulacæ folia linguæ ſubdita iis, qui ſiti excruciantur, bibendi deſiderium reſtinguunt. Ledo folia pinguia in cacumine linguæ ſimilia largo ſucco abundantia, ſemperque virentia: ſub lingua ore detenta, refrigerant, & ſaliuam gignunt; ſic cucumeres & eiuſmodi ſimilia. Inter animalia li-
127 max eſt, quæ in ſubterraneis & humidis locis viuit, etiam ſine teſtis: ſi tangatur, ſaliua vel ſaliuari lentore madida fit: veſtigia inceſſus argenteo colore ſplendeſcunt; noctu potius, quã interdiu vagans: gerit in capite lapidem, *limacium* dictum, qui

linguæ subditus, miram vim obtinet ad ciendam saliuam: quapropter aridis & siticulosis, nec non febrientibus in ore volutari debet.

Carnosas plantas carnosos homines reddere, & tabidis mederi;

CAP. XXXII.

DIXIMVS de humoribus, & excrementis; nunc ad partes accedamus, & primo similares, & inter eas carnem. Caro, neruus, & vena, partes tanquam omnium communes, quæ velut stirpium elementa habentur. Caro, venam & neruum intercedit, & interdum cortices, interdum folia constituit. Theophrastus radices alias carnosas dixit, quod carne constent, vt raphani, rapæ, ari, croci, betæ, hastulæ regiæ, bulbi, scillæ, cepæ, gethyi. Distenditurque caro in latitudinem in betarum foliis & brassicarum; & tandem oleracea, quæ hortis seruntur, colunturque, maiori ex parte carnosa folia habent, arte & cultu saginantur, vt homini alendo peraccommoda sint. Ex aqua carnes generantur, lacte ossa, ex Plinio. Carnosa hæc, quia magni sunt nutrimenti, & facilius in carnem commutantur, ad carnosos homines reddendos valent, & Medici phthisicis, tabidisque, quibus caro eliquata & tabefacta est, propinant ea, sicut pinguia ad macilentos, vt dicemus. Brassica folio carnoso, & caule extumescenti velut rapum, percocta tabidis remedio est. Porrum è bulbaceis, succu, vel ipso in cibo phthisicis prodest, ex Plinio. Melopepones carnosi; datur tabidis cremor eius lacteus ex hordacea ptisana. Ficus fructus carnosa constat pulpa; vlcera carne replet. Plantagini carnosa folia, phthisin sanant, si bibantur. E radice constat albucus, modicis rapis simili; nec alia numerosior, octoginta simul aceruatis sæpe bulbis: mandebatur hic olim cinere tostus, sale & oleo addito, cum ficis quoque tusa radix præcipua voluptate. Aristarchus eius radicem quoque prodit exsculentam, & odore grato placentem: defectis corporibus, & tabidis constat bulbos eius cum ptisana decoctos apertissime mederi, panem ex iis cum farina subactum saluberrimum esse. Bulbi omnes carnosi sunt, multum alimenti afferunt, & carnem creant. Faba carnoso

est admodum folio, & carnem gignit. Fungus non nisi caro est, multumque præbet alimentum, ex Auicenna. Esculus, & quercus fructu & folio carnoso, glandes multum alunt, & carnem porcis solidam creant; eorumque fructibus primæ ætatis homines vescebantur, & esculus nomen ab esca traxit: ante enim cerealem frugem, mortalibus è glandibus victus subministrabatur. Inter animalia testudo & cancer demptis corticibus carnosi sunt, & humidi, quum in aquis viuant, & phtisicis medentur. His exemplis alia exquirito.

Ossosas plantas ossibus mederi; CAP. XXXIII.

NVNC de ossosis stirpibus loquemur, scilicet lignosis; nam lignosa pars stirpis ossibus respondet. Est enim lignum in planta, sicut os in carne, illiusque officio fungitur, vt diximus, quum de similitudine plantæ cum homine loqueremur: vnde ossosas plantas dicemus, quæ plurimo abundant ligno, contrarium in superiori diximus: nam quæ carne abundabant, vacabant ligno. Theophrastus radices multas lignosas, & siccas esse dixit coronariis stirpibus, & longe magis
8 abrotoni, erucæ, sed siluestribus magna ex parte. Lignosa & atriplicis radix, bliti, anethi, rumicis, coriandri, & omnium lignosissima ocymi, atq; in summam omnium multicaulium. Indigent ossa siccitate in eorum morbis, & siluestria vrbanis sicciora diximus, quæ in eorum aspectu liquido cognoscũtur, quum retorrida sint. Ad ossa carne tegenda optima sunt, dicunt Medici, quæ exsiccant, & nonnullam habent abstergendi facultatem: nam ad nuda ossa carne superuestienda, vtuntur eis quæ abstergant simul, & desiccent, nec magnopere calefaciant. Myrrha contorta arbore, dura, & scabra assurgit, vt inquit Theophrastus: nudatis ossibus ipsa medetur. Lignosa arbor vlmus: cuius cortex contusus ad ossa fracta valet, ex Auicenna. Myrtus lignosa arbor, subtili cortice intecta, etiam fracta ossa fouet. Eodem modo lentiscus, cuius foliorum decoctum ad ossa fracta ferruminanda valere testatus est Auicenna. Balsamum fruticosa arbor, cytiso, & terebintho persimilis, ex Strabone; ossium squamas detrahere dixit Dioscorides. Aquifolium siluestris arbor, lignosisque virgis fru-

ticans, cuius ope infracta ossa ferruminantur. Verbascum lignosis virgis; fractis & luxatis ossibus auxiliatur. Exsiccat abrotonum, lauendula, libanotis, & similia, quæ siluestria sunt, sed adhuc iamdudum inexplorata.

Neruosas, & cartilagineas plantas, & animalia neruis prodesse, & cartilaginibus; CAP. XXXIV.

NERVVM in plantis dicimus, quod continuum, fissile, prælongumque spectatur, sed insociabile, germinisque infœcundum. Theophrastus neruicaules, & neruosas plantas vocauit ferulam, ferulaginem, fœniculum. Esse & neruosas plantas, quarum caulibus vtimur ad restes, funesue, scilicet flexiles, vimineas, & sequaces, vt linum, canabis, & vrtica. Sunt & plantarum frondes, quæ neruos habent in prona parte, vt manus: alimentum enim per venas, & neruos iis partibus defertur. Vnde frondium aliæ ex neruo, cortice & carne constant, vt ficus, vitis; aliæ quasi ex neruo tantum, vt harundinis & frumenti. Durissimæ arbores, quibus nerui durissimi. Nerui ex ligno & carne temperati videntur, carne quidem tensiores, aridioresue, ligno molliores; iis tota planta peruincitur & roboratur. Sed exempla afferamus aliqua. Posterior Iones *neurada* vocant, quia neruosa planta: radices dimittit binum ternumue cubitorum, neruosas, & firmas: tusæ præcisis neruis, & vulneribus glutinandis illinuntur: illarum quoque decoctum neruorum affectibus prodest, ex Dioscoride. Maluæ radix neruosissima est, vt rumpi, extirparique nequeat; decoctam neruis prodesse dixit Plinius. Huius species althæa radice neruosa, durissimaque; ad neruorum rigores Dioscorides optimam prædicauit. Peucedanum ferula caulem mittit fœniculo similem; omnibus in vniuersum neruorum vitiis illitum prodest, & conuulsis. Laserpitium in Syria nascitur, caule ferulaceo, neruorum conuulsionibus opitulatur. Sagapenum ferulaceæ herbæ succus; datur contra neruorum resolutiones, & conuulsis. Euforbium ferula in Libya: Mesues neruorum infarctus expurgare, & conuulsis prodesse scripsit. Triticum harundinaceo folio; eius farina ad neruorum fluxiones valet. Plinius lactis copiam ossa alere

scripsit, frugum neruos, aquæ carnes. Ficus frondes habet neruis conspicuas, quarum cinis neruorum vitiis, & conuulsionibus illinitur ex oleo. Vitis neruos super folia exstantes habet: vinum neruis prodest, & nocet: nam vino vetere læduntur; & foris adhibito fouentur, & sarmentitius cinis ad neruorum crassitiem valet. Iris harundinaceo folio, & neruoso constat; ad conuulsos valet. Acorum eiusdem speciei & virtutis. Lauandula cauliculo constat quatuor neruis per longitudinem præcincto; conuulsis prodest: eodemque modo iuncus odoratus, galbanum, xyris, libanotis conuulsis prosunt. Canabis neruosus; contractos articulos emollit, ex Plinio. Anethum neruorum doloribus, ex Auicenna. Equisetum
129 consolidat vulnera etiam in neruis, ex Auicenna, sic & turbit, & albucus valet ad neruos, ex Plinio, qui neruosus, & inextirpabilis. Idem & de animalibus opinandum: Serpentes, & vermes neruosi sunt, vt solum nerui videantur: serpentes neruorum vitiis auxiliari Dioscorides dixit. Lumbrici contusi & neruis applicati, etiam obtruncatos ferruminare possunt. Taurus neruosum animal, cuius neruis ad glutinum vtuntur; valet ad spasmum. Et Plinius, serpentum senectus in pelle taurina adalligata, spasmas fieri prohibet, & medulla eorum neruorum contractiones soluit. Nec obfuerit hæc commonere, quæ neruosa, etiam neruos intendunt in Venereis congressibus, vt linum, vrtica, ferula, cephiliones, cardui, gladiolus, & galanga. Eodem modo & cartilaginosæ plantæ cartilagini medentur. Cartilago est flexilis mollities naturæ prouidentia, ne aliquæ corporis partes frangerentur; rupta non solidescit. Plinius cartilagineum herbarum genus vocat, quod tunicis carnosis constat, vt cucumis, cucurbita, raphanus, rapa, napus, & pastinaca. Pastinacæ similis hibiscus, quem aliqui *molochen agriam* vocant, aliqui *pistolochiam*: vlceribus cartilagineis, & ossibus fractis medetur, ex Plinio.

Plantas, & animalia villos, vel capillos referentia, alopeciis mederi;

CAP. XXXV.

SIMILARIVM vltima capillus erit. Est enim in plantis coma, quæ ab humanæ similitudine nomen emendicauit.

Comam vocamus quicquid hilari venuſtate crinium modo, ſumma ramorum vel coliculorum exornat. Sæpe flores, vel florum ſtamina, corymbi & vmbellæ, quum foliatum eſt cacumen, ſua venere comant. Nos capillorum vitiis mederi poſſe dicimus. Exempla hæc erunt:

Polytrichon, ſiue adianton cauliculos affert nigro colore nitentes, exiles, capillorum inſtar, nomen ab effectu obtinuit, polytrichon, quod multitudinem capillorum faciat; dicitur & *callitrichon*, quod nigros & pulchros capillos reddat: dicitur etiam vulgo *capillus veneris*, quod decoros & venereos reddat: ad defluuia etiam comarum facit. Polytrichon Apuleio herbula eſt, quæ tenues, exileſque capillos pro caulibus affert, quorum defectum radices explent. Trichomanes ramulis etiam tenuibus & capillaceis: ad eadem, vt adianton, valet. Thapſia folio fœniculaceo, ſiue capillaceo, cuius ſuccus affrictu alopeceis explet. Auicenna teſtatur parem non habere in operiendo capillis capite. Abrotono folia minutim inciſa; Galenus vſti cinerem ad alopecias accommodari dicit. Fert quercus excreſcentiam quandam, quam *pilum* appellant: hæc pilula eſt, comam gerens lanaceam, mollem. Fert & alteram comigeram pilulam, verno tempore melligeno ſucco manus inficientem, ex Theophraſto: ſed Plinius has pilulas ex adipe vrſino alopecias capillo replere dixit. Sunt & pappoſi flores, qui in capitulorum verticibus capillata lanugine compacti ſunt, & effloreſcentibus floribus in pappos abeũt. Carduus fructum affert celerius caneſcentem, & abeuntem cum aura: antequam floreat, contuſus & expreſſus illito ſucco alopecias emendat. Harundini faſtigio ſeneſcente, denſius excreſcit tomentum, vt in paluſtribus per autumnum viſitur, *paniculum* multi vocant: arundinum corticum cinis ex aceto inunctus, ad alopeciã illinitur. Sunt & flores, qui ſummis vmbellarũ radiis emicant, rotunda quadam effigie cæſariem effigiantes, vt ferulaceæ plantæ. Laſerpitiũ, ferula eſt; perunctus aceto, pipere, & vino alopecias implet, ex Dioſcoride Euforbiũ item ferulacea plãta, & circinatæ rotũditatis vmbellã gerit; & alopeciã capillo replet, ex Auicẽna tractatu de alopecia.

CAPILLARES *plantæ capillorum formam experimentes hac tabella curauimus vt in conſpectum venirent. In extremis ſedibus adiantum appoſuimus; in media polytrichon Apulei, infra quercus excreſcentiam quandam.*



Smyrnium ſilueſtre vmbelliferum; ex eodem ad alopeciam capillo replendam ingeritur. Sic ammoniacum, ſagapenum,

& opopanacum vmbelliferæ ferulæ, ex eodem in hiera Logodion ad idem propinantur. Cepæ ſuccus alopeciæ affricatur; quia celeriter pilos auocat, ſic & allium. Statuminoſi flores idem demonſtrant, ſcilicet quibus intus capillacea ſtamina inſunt. Myrti flores vt intus ſtamina continent, ſic & capillos augent. Olea myrteos flores affert; ad eadem præſtans. *Martagon* defluentes capillos replicat, & lilium, ex Plinio, & nymphæa liliaceo flore, laurus & hypericon. Sunt in croco flammea ſtamina, in capilli exilitatem efformata; quæ detracta è medio flore, capillis conferunt. Inſunt & duriori thymo capreoli, cincinni, quaſi crines, epithymum dicti, & capreolorum modo thymi comas inuoluunt, & veluti capillitio quodam exornant: glabrum caput copioſis crinibus comant, ex Auicenna. Villoſiſſima animalia hirſuta pilo criſpo, denſo, ſpinoſo, vel quæ ſcinas capillorum vice gerant, demonſtrant; quod maximam præſtant opem ad capillos generandos. Animá villoſiſſima frigidiſſimis locis inhabitant, vt villis à frigoribus tueantur. Villoſiſſimus animalium lepus; ſoli enim in bucca & ſub pedibus pili, ex Ariſtotele, & Plinio. Ex leporino crure, vel lana exucta, ex Dioſcoride fit medicamentum ad alopeciam. Vrſi pellis villoſiſſima, & Numidicis prolixiores pili, ex Solino: eius adeps alopeciis ſubuenit, ex Dioſcoride, & Auicenna. Suum pili craſſiores, quam boum, & elephantorum; nec hybernum amittere ſolent, vt cæteræ quadrupedes; eius axungia fluenti capillo fert opem, ex Plinio & Ægineta. Vulpi pellis villoſa, in Germania villoſior: 131
cuius caput vſtum & inunctum, alopecia emendabitur. Eriuaceus & hiſtrix aculeos pilorum vice habent: nam & pili in ſpinas degenerant: cinis exuſti echini valet ad capillorum defluuia, ex Galeno. Capræ ſpirillum habent dependentem ex mento: ſunt enim pili craſſi, & hirſuti: quorum cinis mire fluentem capillum cohibet, ex Dioſcoride & Plinio Hippocampo criſta duris horret pilis: ad alopecias emendandas datur. Idem de reliquis ſuſpicandum.

Flauæ & nigræ plantarum partes, & animalia ad flauos nigrosque capillos reddendos præstant; CAP. XXXVI.

POSTQVAM in crinium sermonem incidimus, docebimus etiam ex apparenti indole, quomodo mulieres placeant viris suis, & viri mulieribus, scilicet quomodo eos flauos reddamus: nam inspiciendo flauas plantarum partes, radices, truncum, flores, siue fructus, si eos optime flauo colore coloratos intuebimur, ad capillorum decorationem valere cognoscemus, demonstrante Natura. Lysimachia flore aureo est, *lytron*, tam Dioscorides, quam Plinius alio nomine appellari tradunt, quod putatur pro luteo deprauatum. Vitruuius ait, qui non possunt chrysocolla, herba, quæ *luteum* appellatur, vtantur; cæruleum inficiunt, & conficiunt viridissimum colorem. Talis est lysimachiæ apud nostros infectores vsus: nam cœruleo colore, quo glastum tingit, eam superinducentes, viridem efficiunt colorem: nam si per se sola adhibeatur, flauum colorem reddit: quia flauum facit capillum; pictores enim ex luteo & cœruleo contritis, viridem efficiunt colorem; à luteo colore, quo micant flores, capillum flauum facere coniecerunt. Xanthij semen, quod in echinata platani pilula inuenitur, rufescit antequam marcescat; collectum & tusum in fictili, capillum reddit flauum: sic cum vsus exigit, heminæ vnius instar in aqua tepida capiti collinatur, vtique si præparatum ante nitro sit caput. Ex quo vsu Xanthum flumen dictum putant. Ligustrum, siue cyprum Dioscoridis, quod è Turcia nobis adfertur, vulgo *alchena* dictum, cuius folia contrita, crocea, siue ruffa, ruffum capillum reddunt, vt idem inquit; non autem ligustrum vulgare *Matthioli*, si folia in radiculæ succo maduerint; quum constet radicula, si germana est, quam afferunt, croceo folio. Erythrodanum Latinis *rubea* dicitur; quia semen & radix rubea est, quibus lanæ & pelles inficiuntur, ob id ab infectoribus studiose colitur; folia capillum tingunt. Chrysolachanon ex colore nomen inuenit, in luteum langueſcente, auri æmulo, nec aptiori vocabulo, à re ipsa dicto, appellari potuisset: & æmulum auri colorem satis confessus videtur Plinius, quum

capillos infici siluestri præsertim atriplice commemoret. Accipitrinus pes colore subluteo est, quo capillus rufo colore inficitur. Lycij lignum intus rufescit, & radix; tusum & maceratum croceum succum reddit; flauos capillos facit ex eodem. Lotus radice & fructu croceis est; Plinius radice lanas, pelles, & cortices tingere dixit, sed Dioscorides capillos rufare. Siue vulgaris lotus fuerit, siue Aphricana, quam nos *inubam* appellamus, mulieres nostræ etiam suum fructum crocatum, puniceumue incoquunt, ad deaurandos capillos. Thapsos in Theocrito Potea legitur herbæ genus, tingendis lanis vtile, quo & capillus rufescit; quod non à thapsia diuersum iudico, quum & thapsia in cacumine vmbellas ferat anetho similes, & super eas luteos flores. Mel aurei coloris est: supra omnia flauos, rufos, & aureos capillos efficit. Extrahitur enim aqua chymisticis vasis & oleum, vt docebimus; hoc rufos, illa aureos capillos tingit mire; colore ad multos dies durabili. Rhabarbarum luteo succo est, tingendis capillis optimum, & caput non lædit. Ex aureo lithargyro paratur decoctum, mire ad capillos aureo colore tingendos vtile, ex Plinio. Arbos, quæ vocatur *euonymos*, nostri, quia ad fusos netu muliebri celebres vsurpant, *fusanum* vocant; flore est luteo, siliquis quadrangulis, grano crocata membrana clauso, ligno intus buxeo: nostræ mulieres eo vnguentum parant, quo ad pulchros & flauos capillos reddendos vtuntur. Et ne latius euagemur, res omnes fere croceæ, croceos capillos reddunt. Nos eiusmodi decocto sæpissime vsi sumus. Sumito rhabarbari fabæ magnitudinem, fœni græci manipulum, croci siluestris, liquiritiæ, *tabacci* vocati, corticum aranciorum, ac triticeæ paleæ tantundem; his quernum cinerem addito, & incoquito, vt tribus digitis descendat aqua, inde lauentur capilli. Eadem methodo nigræ plantarum partes, siue semina, radices, & folia, nigrique coloris animalia, nigros capillos reddunt. Et ad exempla accedamus. Hedera herbaceis primum corymbis, mox atris, capillum denigrat, ex Dioscoride. Myrtus baccis nigris; ad capillorum nigritiam vti debere monuit idem. Nigris mons rubus fruticat, velut atro 13

cruore

eruore manus inficientibus; eo capillus nigro colore inficitur. Morus fructu, quum pubescit rubro, vbi maturuerit, atro, vt nigræ vitis fructus sanguineo colore, atro manus tingentes. Tingunt capillum vitium, & ficus nigræ foliis simul coctis in aqua cœlesti. Rhois fructus rubescit; vbi maturuerit, nigrescit, tunc eius decoctum capillos denigrat. Adianto iuncei sunt cauliculi, capillares, fusco, sericeoue colore nigricantes; capillum tingit: & ad hoc decoquitur in vino cum semine apij, ex Plinio: alij *callitrichon*, alij *polytrichon* vocant, vtrunque ab effectu. Eruo semen nigrum, siliquę eius virides, priusquam indurescant cum suo caule, foliisque contritæ, capillos nigro colore inficiunt, ex Plinio. Cupressi nigra folia capillum denigrant ex aceto. Acaciæ seminis succus maturus niger, acerbus rufescit, probatur nigra, flore subobscuro, ex Demetrio: eo capillus nigro colore inficitur. Polemoniæ nigro in corymbis semine, Plinius nigritiē capillo dare in oleo decoctum dixit. Hypericum semine nigro, succo sanguineo, capillum denigrat, ex Plinio. Ilex ligno, folio, & radice nigris; iligneæ radicis cortex coctus, dum mollitus intabescat, & tota nocte illitus capillos denigrare traditur, prius cimolia terra purgatos. Gallæ combustæ aceto decoctæ, capillos nigros reddunt. Lithargyrum argenteum decoctum in lixiuio ex quercus cinere, & calce parato, vsque dum iniecta alba lana, eam perfecte tingat, mire barbam, & capillum tingit nigerrimi coloris, diuque durabit, nec detegitur tinctura. Ladano nigra folio; capilli nigritiam custodit, & canitiem arcet. Nos hac mistura vti solemus pro barba & capillis: Sumito lixiuij communis quantum voles, decoque in eo saluiæ, & lauri folia cum corticibus iuglandium viridium: mox laua: aut ablue madefacta spongia, & lætaberis effectu; plurimum enim nux ad denigrandum capillum valet, primum prodeuntibus id compertum, infectis tractatu manibus. Ouidius;

Nostra notat fusco digitus iniuria succo,
Cortice contactas inficiente manus.

Eadem regula & in animalibus valet. Capillum denigrant sanguisugæ, quæ nigerrimæ sunt, quæ nigro vino sexaginta

diebus computruere. Alij in aceti sextariis duobus, sanguisugarum sextarium in vase plumbeo iubent putrescere totidem diebus, mox illini in Sole. Sornatius tantam vim habere tradit, vt nisi oleum in ore contineant, qui tingunt, dentes quoque eorum denigrare dicat, ex Plinio. Cornicis ouum in æreo vase permistum, & diu exagitatum, illitum deraso capiti, donec ouum consumetur, nigrum capillum efficit: sed donec inarescat, oleum ore habendum est, ne nigrescant dentes, ex Plinio. Oua hirundinum, quæ nigerrimæ sunt idem efficiunt.

Glabri, & crispi plantarum caules, folia, & animalia ad psilothra, & crispos capillos valent; CAP. XXXVII.

SVNT plerique herbarum coliculi glabri, læuesque, quibus sustolluntur; sunt & depiles pleræque animalium cutes, quæ ad pilorum nuditatem valent, & ad psilothra. Hyacinthi caulis nulla horret asperitate, huius radix mangonicis venalitiis pulchre nota; quæ in vino dulci illita, pubertatem coercet, & non patitur erumpere. Hoc medicamen comitatur fabula pueri Hyacinthi, quem Apollo dilexerat, quod 133
impuberes homines reddat: caule & radice imum ventrem puerorum illinunt, quod tardius pubes erumpat. Cypero læuis caulis, & glaber; vis ei psilothri tribuitur, quod confestim pilos detrahat. Dryopteris læuibus caulieulis, filici similibus: radix tusa psilothrum est. Animalia glabræ cutis pro psilothris valent. Thinnus ab omnibus squamis omnino nudus, sed cute plane læui, ex Aristotele. Pulmo marinus, si idem sit, pellucidus, crystalli instar, læuis, ex pituitosa substantia, quæ in aquam soluitur. Lepus marinus læuis etiam, loligini similis, Plinius. Psilothrum est thynni sanguis, fel, iecur, siue recentia, siue seruata; iecur etiam tritum, mistumque cedria, plumbea pyxide asseruatum. Ita pueros mangonizauit Salpe obstetrix. Eadem vis est pulmonis marini. Leporis marini sanguine & felle cancri scolopendræ marini cinis cum oleo, torpedinis cerebrum cum alumine illitum sextadecima luna. Ranæ paruæ sanies efficacissime psilothrum est si recens illinatur, & ipsa arefacta ac tusa, mox decocta in tribus heminis ad tertias. Sanguisugæ quoque tostæ in vase fictili, &

ex aceto illitæ, eundem contra pilos habent effectum. Salamandra liquefacta in oleo, pilos euellit, ex eisdem. Sic & rubeta glabros facit, ex Catone, balneando & lauando. Lacerta viridis oleo decocto, post exemptos pilos facit ne nascantur, ex Galeno. Chamæleo valet ad depellendos pilos è palpebris, ex Galeno & Archigene. Sed felle vtitur Plinius. Magnum accedit capiti decus ex crispo capillo, idque à mulieribus maxime expetitur, & quomodo id fieri possit, Natura docente, ex foliorum similitudine, aliarumve plantarum partium edocemur. Adianto crispum veluti folium est, cuius decoctum ex semine apij, adiecto oleo copiose, crispum densumque capillum facit, ex Plinio. Apium foliis insignitur læuiter crispis, dissectis, & horis leniuscule laciniatis, ad eadem valet; ob id à Plinio cum adianto adiunctum est. Sphondylij frondes quadantenus in extremitatibus crispæ, capillamenta crispa reddunt peruncto capite, ex Dioscoride. Sic castanearum echini suis aculeis crispum capitis capillitium imitari videntur; faciunt etiam crispos capillos. Cameli pilus fere crispus, fimi cinere capillum crispari cum oleo dixit Plinius, vt etiam ex sanguine pulli bubonis.

De plantarum partibus quæ humanas repræsentant; & primo quæ caput, item animalia magni capitis; CAP. XXXVIII.

DIXIMVS similares partes; nunc instrumentarias, & dissimilares; & has in duas partes diuidemus, externas, internasque. Primo externas, & à capite incipiemus. Caput in plantis ab humana similitudine appellamus, quod in orbem glomeratur: vnde partes, quæ globoso tubere concrescunt, illico capitis appellationem sibi arrogant. Radices nonnullæ sunt, quæ in capitis magnitudinem extuberant, vt scilla, sic & fructus, vt cucurbitæ, mala Punica. Scillæ in tantum crescunt, vt ad humani capitis magnitudinem accedant: eius vsus est ad comitiales, & alias cerebri ægritudines, præcipue ex frigiditate ortas. Pancratij eiusdem generis; eiusdemque formæ & virtutis. Inter apij genera capitatū est, quod instar humani capitis in Campania exauctum vidimus: proprietate quadā caput ferit, quod folia & semina nigra gerat, arcet tamē

ebrietatem, ex Simeone Sethi. Nux Indica fructum producit prægrandem, circinatę rotunditatis melonis modo, oleum ex ea elicitur, ad dolorem & alia capitis vitia. Cotonea struthea, quæ magnitudine sua caput æmulantur, capiti & cerebro conferunt. Cucurbita & melones, cæteris fructibus vastiores, contra capitis dolores, quam ægritudinem *Syriasim* vocant, suis ramentis occurrunt. Papauer satiuum capitatum est; iis datur, quibus accersendus somnus. Illud tandem Plinij non omittemus ex similitudine desumptum. Herbam in capite statuæ natam, collectamque alicuius in vestis panno, & alligatam in lino ruffo, capitis dolorem confestim sedare tradunt. Magni capitis animalia paulo supra mensum 144
robusta sunt, cerebrique perfectionem ostendunt, nobis Naturæ indulgentia, ad nostri capitis vitia valere demonstrantur. Asino grande caput, tauro ad sui proportionem paulo maius: ob id Plin. Ex eadem aqua, de qua aut bos, aut asinus biberit paululum sumptum, aut potatum, tollit efficaciter capitis dolorem, asinique cerebrum ad comitiales valet. Elephanto prægrande caput, ex Oppiani descriptione: credidit Aetius non parum iuuari memoria scobe denti elephanti ex mulsa pota, & proboscidis tactu capitis dolorem leuari, ex Plinio, & comitialibus mederi. Sui caput grande: duo sunt in eius capite ossicula perforata à dextris & sinistris, quæ licio suspensa, capitis dolorem tollunt, ex Marcello. Castoreo grandiusculum caput; idipsum capitis doloribus illinitur, ex Plinio: suffitum & respiratione haustum, vtilem dixit Galenus capiti; cum aceto mulso datum comitialibus, ex Plinio; inunctum medetur vertigini, lethargicos, & veterno obdormiscentes excitat infusum, ex Dioscoride, Plinio, & Auicenna. Noctuæ ad corporis magnitudinem prægrande caput, à cauda de ouo exit propter pondus capitis; eius cerebrum in cibo sumptum capitis doloris remedio est, ex Plinio. Vpupa magnum habet caput: eius pennæ positæ supra caput hominis sedant sodam, id est capitis dolorem; lingua suspensa præstat obliuioni, ex Rhase. Eiusdem generis vlula, cuius ossa capiti alligata, capitis dolorem sanant, ex Plinio, Galeno, &

Sexto: cerebrum in cibo sumptum comitiales curat, ex Aetio. Aquilis paulo supra iustum, caput; eius os capiti alligatum, remedium est ad cephalalgiam. Struthio camelo, caput minimum, idem ad capitis vitia de eo nulla extant remedia.

Flores qui oculorum speciem repræsentant, & animalia, eorum vitiis mederi; CAP. XXXIX.

FLORES sunt, qui oculorum similitudinem monstrant, in medio vmbilicum habentes, qui pupillam repræsentant, folia cirrhum ambientia, quæ bullatum illud glomerulum cingunt, radios ostendere videntur. Hos omnes oculis mederi dicimus. Et modum ostendemus. Anthemis, siue *chamæmelon* vmbilicum in medio aureum habet, foliolis per ambitum radiantibus, orbiculato ambitu candidis, & purpureis: illita, ægylopi medetur. Aster Atticus florem in cacumine profert, per ambitum diuisum anthemidis modo, foliolis stellæ modo radiantibus: oculorum inflammationibus medetur. Semperuiuum maius, siue *aizoon*, Romani *Iouis oculum* vocant, alij *buphthalmon*, vel *zoophthalmon*, & oculum ex Plinio, quod folia in ambitu oculorum effigiem referant. Dioscorides oculorum inflammationibus mederi dixit, Nardi Celticæ species visitur, flore radiato albo, buphthalmi æmulo; ad oculorum medicamenta, vt Celtica nardus reconditur. Caltha florem in orbem circinatum refert, vmbone in centro exeunte conspicua in speciem oculi, siue luminis. A Columella videtur *buphthalmum* dici;

— *& flauentia lumina calthæ.*

Ad huius vsus acuitur in dies oculorum acies: & huius flore stillatitia aqua, oculorum rubor & inflammatio arcetur, si oculis instilletur; aut si lintea in eo madefacta supponantur. Hieracium flores in ambitu circinatos habet: hanc dicit Plinius accipitres scalpendo, succoque oculos perungendo, obscuritatem cum sensere, discutere: valet ad omnia oculorum vitia, ad nebulas, caligines, epiphoras. Vulgo *scorzonera* vocata; florem promit in orbem circinatum ex pluribus foliolis coronatum, vt oculi radios imitetur. Lacteus è radice succus, oculorum aciem acuit.

Aconitum pardalianches oculorum medicamentis leuandi 131
doloris gratia adjicitur: florem in medio bullatum habet, circum radiantibus foliolis. Helenium pro floribus ocellos habet, vt anthemis; vinum ex helenij radicibus paratum, mane visum acuit. Seris pluribus foliolis, velut radiolis concinnatis, florem oculum effigiantem profert; oculorum inflammationi auxilio est. Abrotonum fœmina floribus referta, comantib. in summo auri fulgore corymbis, & oculorum inflammationibus commode illinitur. Anemones refert florem papaueris, in medio capitula nigra, medetur oculorum inflammationibus, cicatricibus, & hebetudinibus. Papaueris flos similis, & virtutis. Argemone, vt anemone, flore conformato, ex ea curatur argema, & nubecula. Scabiosa flores profert, quibus defluentibus, capitulum remittit, rotundis ocellis refertum; raro Naturæ artificio oculorum albugines tollit. Iridis flos oculorum colores refert, membranam χροειδῆ dicunt; cit lachrymas. Acaciæ semen lupino simile, siue crystalloidi oculi; succus oculorum medicamentis valet, & procidentes reprimit. Nunc ad animalia noster se conuertat sermo, num aliquod insigne in oculis habeant, quo admoneamur à Natura ad præclara aliqua oculorum medicamenta. Chamæleonti oculi in recessu caui, & prægrandes, & maiores quam corporis proportio poscat; ad glaucomata; suffusiones & alia oculorum vitia præstat. Rana in oculis solum sanguinem, non alibi habet: ad visus claritatem valere variis 132
experimentis clara est. Nulli auium maiores oculi quam buboni; valet ad idem. Noctuæ magni oculi; ad optime videndum valet. Idem de vlula sentiendum. Pauo oculos in cauda multos habet depictos; ad lippitudinem valet suffumigium è suis pennis factum. Oculi testudinis marinæ lumen longe lateque iaculantur, morienti alter oculus clauditur, alter apertus remanet, ex Æliano: valet ad oculorum claritatem. Lapis vulgo dictus *belloculus*, quod in albo orbiculo circinata nigra pupilla conspiciatur, vnde nomen adeptum: manibus gestatus claritatem visus conciliat.

OCVLARIVM *florum ſpectandas delineationes peculiaris hæc tabella exhibet, quæ hoc capite pertractantur: primam ſedem à dextris ſibi vendicat aſteris Attici planta; ſecundam pardalianchis aconiti, ſubſequentem aizoi; poſtremam anthemidis. In calce in proſpectum, & in obliquum oculos expreſſimus.*



Magnarum aurium animalia ad auditus grauitatem valere;

CAP. XL.

PLANTAS, quarum partes animalium aures imitentur, dicemus postea, quum animalium partibus similes plantarum partes demonstrabimus; nunc de animalium auribus. Sunt aures auditus instrumenta ad percipiendos sonos parati, animalibus ad defensionem data, vt sonitu territa pericula aufugiant; ob id quibus maiora & magis anfractuosa, melior auditus. Pisces vix constat qua parte audiant, ob id obtusior audiendi sensus, vtpote minus eis necessarius; sed ad exempla accedamus. Lepus magnis præditus est auribus, quia timidum animal, & inerme: quibus in periculis sibi consuleret; decebat bene auritum esse, vt pericula & insidias longius perciperet, & mature sibi prouideret. Festus auritum vocat à magnis auribus, vel ab audiendi facultate. Plutarchus in Symposiacis sensus acrimonia leporem excellere dixit, & auditu acerrimo præditum: quare Ægyptij in sacris literis auditum designaturi, leporem pingunt. Apud Græcos nomen λαγῶς, ab audiendi facultate, ὦς, *auris* est, λα, significatum auget: valet ad auditum, si grauitas sit audiendi; laudant coagulum leporis tertia denarij parte, dimidiaque sagapeni in Aminæo vino, ex Plinio: fel capræ corio tepefactum, in aurem immissum, ei, qui nihil audiat, auditum restituit, ex Galeno. Asino aures longæ, latæque sunt; nullum animal asino acrius audire fertur, excepto mure, Suidas in Mida: fimum asini recens cum rosaceo ad grauitatem auditus tepidum instillatur, ex Plinio. Vacca à triginta stadiis maris mugitum, amatoriam significationem, quasi cesseram Veneris dantis, exaudit: ob id Ægyptij vaccam venerantur, & Isim bubulis cornibus fingunt, Ælianus: si grauitas sit aurium, Plinius fel bubulum cum vrina & capræ imponit, & reliqua Medicorum familia, vel tantum vrina vetus calefacta medetur per lagenæ collum subeunte. Sensu acerrimo audiendi, vt animalia vngula bipartita prædita, capras esse putant, ex Æliano; & hominem acuti auditus Ægyptij significantes, capram pingunt, quæ auribus & quadam gutturis parte audit. Adeps ca-

prinus instillatus auribus surdos sanat, ex Æsculapio: vel fel bubulum cum vrina capræ in cornu caprino per viginti dies inhumatum, ex Plinio. Vulpes animal solertis auditus, amnes, gelatosque lacus ad pastus itura, redituraque non transit, nisi aure ad glaciem apposita, coniectare crassitudinem gelu, ex Plutarcho & Æliano; adeps vulpinus ad aurium remedia valet. Aper optime audit. Vulgaris versus;

Nos aper auditu; lynx visu; simia gustu;
Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.

Ad aures minus audientes lotium in vino repositum tepefactum auribus instillant, ex Plinio. Canis, præcipue sagax, magnas habet aures: *nil cane sagacius* prouerbio fertur; canis adeps cum absinthio & oleo vetere aurium grauitatem sedat, ex Plinio. Anser ad strepitus ales acuta. Virgilius;

—canibusve sagacior anser.

Galli, victis Romanis, in vrbem irruperunt, Romamque, præter arcem Capitolinam, ad quam difficilis erat ascensus ceperunt nocte intempesta, quæ non custodiebatur, inuadunt; ac arx capta fuisset, nisi anseres interfuissent; qui, cum eorum natura sit minime ab strepitu compescere, ad eius clangorem circumfusas excubias excitarunt, ex Æliano: Lucretius ad id,

Romulidis arcis seruator candidus anser.

Ad aurium grauitatem valet sæuum ex anseris auribus instillatum, ex Apollonio apud Galenum. Grus sensus acrimonia valet ex Aristotele; quicquid senserit, voce significat, ex Oppiano. Pingue illud dum igni coquitur, quod superfluit, auribus instillatum grauitatem auditus tollit, ex Simeone Sethi.

Plantæ, & dentata animalia dentibus, & dentationi præstant;

CAP. XLI.

SVNT fructus, & arborum radices, quæ adeo affabre hominum dentes demonstrant, vt non alio Naturam has similitudines ostendisse certo sciamus, quam ad hominem commonefaciendum ad dentium dolores, & dentitiones valere. Ad id ostendendum exempla afferamus aliqua. Acini mali punici vere dentes repræsentant; ad gingiuarum vitia, & dentium

firmitatem valere eius decoctum teſtantur auctores. Pinei nuclei inciſorios optime dentes mentiuntur; pini folia cum aceto decocta, dolores dentium mulcent. Dentariam herbam, cuius radix miro naturæ artificio compactili ſquamarum ſerie conſtat, vt verè dentes demonſtret, dentibus prodeſſe audio: quod facile eſſe poteſt, quum maxima acerbitate prædita ſit. Quæ animalium dentes repræſentent, dicemus deinceps. Sunt & inter animalia, quæ validiſſimis & magnis dentibus armantur, ſitu, numero, exceſſuque inſignibus: valent etiam nobis ad firmandos dentes, & ad puerorum dentitiones. Robuſtis canibus ſerrati, & pectinatim coeuntes dentes ſunt, ne contrario occurſu hebetentur, & validi, vt facillime frangant oſſa. Dentium canis cinis cum melle tarde dentientes adiuuat: & canino dente ſiniſtro maximo circumſcarificando eum qui doleat, adiuuatur, ex Plinio. Lupis ſerrati dentes, & robuſti; quare eius morſus vehementiſſime obeſt: lupi caninus dens in magnis operibus habetur: nam infantium gingiuas exterit, quo dentes leuius proueniant, ex Plinio. Leo dentes ſerratos habet, & inter ea, quæ tales habent, leo non amittit caninos, ex Ariſtotele: ſi dens leonis caninus collo pueri ſuſpendatur, antequam cadant dentes, & in ortu dentium ſecundorum, ſecurum ab eorundem dolore reddet, ex Rhaſe. Mures in Paro inſula ferrum exedere, & conficere dicuntur. Amyntas in Teredone Babylonica ſcribit eodem cibo vſos, ex Æliano. Gyaros vna Sporadum inſula eſt, vbi mures ferrum erodunt, ex Suida, & Stephano. In Cypro idem accidere ſcribit Ariſtoteles in Mirabilibus, Heraclides in Chalcidenſibus. Plutarchus in vita Marcelli aurum corroſiſſe in cella Iouis ſcripſit; Plinius bis in menſe mures iubet mandi, vt caueantur dentium dolores. Hyæna lupi ſpecies, dentes ſerratos habet; cuius dentes dentium doloribus, vel tactu, vel alligatos prodeſſe ordine ſcribunt. Lamia piſcis, dentibus eſt acutiſſimis, denſis, triangulari forma vtrinque ſerratis, quorum ſex numero ordines; primi ordinis extra os prominent, & in anteriorem partem vergunt; ſecundi recti, reliqui in os recurui: hos puerorum

collo mulieres suspendunt, vt dentitiones adiuuent. Delphini dentes pectinatim coeuntes habent: infantium quoque gingiuis, dentitionibusque multum confert delphini cum melle dentium cinis, & si ipso dente gingiuæ tangantur.


Canis galeus piscis dentes habet acutos, & ad latera recuruos, sic & glaucus: infantium gingiuis, dentitionibusque multum conferunt vtriusque piscis dentium cineres: horum etiam dentibus gingiuas tangi prodest, & è collo suspendi. Sus, elephas, & hippopotamus exertos habent dentes, eisq; ad auxilium, & robur datos, quibus non decidunt, ex Aristotele. Cerebrum illitum gingiuis puerorum valet ad faciles dentitiones. Sunt & robusti animalium rostri, validiorum dentium vice, ad molendum cibum, & defensionem dati à Natura. Pici rostro quasuis arbores, & quercus tundunt, vt Græcis δρυοκολάπτοι dicantur, ex Æliano; pascuntur enim vermibus, & tam vehementer arbores excauant, vt eas sternant; præduras amygdalas etiam tertio ictu pertundant, & nucleum erodant, ex Aristotele: quorum rostrum ad collum suspensum, omnem tollit dentium dolorem. Coruini generis auibus prædurum rostrum datum est, ex Aristotele: dentium dolorem statim eo alligato abire tradit Plinius. Galli pugnaces & valido sunt rostro, vt etiam lapillos rumpant: ossiculo gallinarum si quis gingiuas scarificet, proiecto ossiculo, statim dolorabit, ex Plinio, & sic de cæteris.

Alæ in plantis ad hominis alarum tædia valent;

CAP. XLII.

INTER caulem & ramos anfractus quidam innasci solent, vnde noua proles egreditur; *alæ* dici solent, facta ab humanis alis translatione, velut sinus, vel angulus, in quem in vtroque complexus coierunt; vnde alarum caua, sinusque idem sunt: si quando in herbis, arboribusque plus iusto conspicuos conspicabimur, admonet eo iudicio nos Natura ad viroſos hominum alarum odores præualere: nam & homines qui cauas habent, eiusmodi vitio obnoxij esse solent. Id aliquibus exemplis demonstrare sat erit. Latis surgit scolymus alarum cauis, inter caules, ramos, & frondes: graueolentiam

EVVLSOS à maxilla dentes tabellula oculis subiecta exprimit : à dextris è dentariis speciem vnam designauimus, putantes ad dentium similitudinem effigiandam suffecturam : à sinistris pineum conum desquamatum, vt è suis loculis iacentes, & exemptæ pityides, siue pineoli, & in medio mali punici cortices & membranulam dissecuimus, vt acini eosdem simulantes in conspectum venirent.



alarum emendat, si emedullatæ radicis vncia in vini Falerni heminis tribus decocta ad tertias, & à balneo ieiuno, item post cibum cyathis singulis pota. Dioscorides vrinam trahere copiosam, fœtentemque inde scripsit. Genicula dipsacus habet, binis foliis amplectentib. carinato alarum sinu, in quo fideliæ, aut labri modo pluuius humor subsistit, vnde nomen herba duxisse videtur. Quidam alis succum illinunt ad idem, exsiccantem, abstergentemque. Smyrnium caulem habet per medium folium transeuntem, vt rotunda folia perforatum caulem ambiant, velut alarum caua ostendentem, idq; describentes scriptores, *alosum* dicunt. Theophrastus myrrhæ naturę dixit simile, nihilque à myrrha differre, item myrrha sata natum: myrrha si alumine liquido perungantur alæ, virus exstinguunt tædiosum. Sed smyrnium, iis, quibus anima fœtet, grauis halitus tædium emendat: ob id meritorias mulieres apium comesse, vt graue virus odoris abigant, oraque earum iucundiorem expirent auram. De periclymeno & perfoliata dicendum idem, sed inexpertæ adhuc vires. Albucus alosa planta, ob id ad alarum tædia valere Dioscorides & Plinius dixerunt. Hirci valde cauas habent alas & pessime olent: vnde hircinus odor alarum dicitur ab his, & ex eis remedium. Hirci maturioris cornu derasum, vel exuctum cum felle hirci miscetur, & pondere æquo myrrha adiecta, atque inde alæ, demptis pilis assidue perfricentur, ex Marcello.

Digitatas, & articulatas plantas ad digitos, & podagras valere;

CAP. XLIII.

DE manibus dicemus, & articulis manuum, pedumve: vnde plantæ, quæ eiusmodi membra mentiuntur, ad articulos, podagras, earumque vitia valent. Sunt enim nodosæ herbæ, vel geniculatæ, vel articulatæ, quæ in quosdam nodos extumescunt; quod vero inter artus, & genicula nodium intercidit, *internodium* dicimus; partes crassiores nodis conglobatæ, in quas internodiorum extrema coeunt, *vertebræ* dicuntur: Hermodactyli radices digiti speciem referunt, in quibus etiam vnguium imago spectari potest in summitate, quæ diuaricantur in quatuor, siue quinque radices: Serapio-

HVC *potißimum ſpectant palmæ Chriſti vocatæ, hermodactyli, & vulgaris iſchæmi, ſiue dactyli Pliniani plantæ, digitatas manus notantes, vt in ſuperiore ſede videntur; inima vero manus cum ſuis digitis ſpectatur.* 1



nis, & Pauli monitu vim habent ad articulorum defluxum præcipuam. Sunt è teſticulorum genere *digiti cirini* appellati

ab Auicenna, qui humanæ manus similitudinem ostendunt, ob id vulgus *Christi palmam* vocat. Eius radix ima sui parte in æquales quaternos, vel quinos diuiditur, velut digitos: neruorum obfractu, & pituitosa saburra oppressis opitulatur.

Est in parietibus nascens *gramen digitatum* dictum, quod eius cacumen in quinos surculos diuidatur, vt apertæ manus similitudinem ostendant; *ischæmon* aliqui dicunt, alij Plinij aculeatum gramen, trium generum; nam in cacumine aculei sunt, plurimum quini, *dactylon* vocant, hos conuolutos naribus inferunt, extrahuntque, sanguinem ciendi gratia; alterum, quod est Aizoo simile, ad paronychia, & pterygia vnguium, vt cum caro vnguibus increuit, vtuntur cum axungia, ideo dactylon appellantes, quia digitis medeatur. Ricinus folia quinque partito habet: ob id aliquibus *Christi manus* dicitur: Mesues ea excrementa purgare dixit, quæ ad articulorum compages defluunt: confert & articulorum doloribus, nempe podagricis. Ficus etiam tale folium habet: articulorum cataplasmati imponitur. Nodosæ vitis sarmenta, vinum ad articulos fouendos valet, & sic de aliis; etsi vulgo iactetur,

Soluere nodosam nescit medicina podagram;

Demonstrabimus tamen aliquibus herbis ei posse occurri, scilicet nodosis. Sed quæ herbæ nodosæ fuerint, quæramus ex magistro. Theophrast. dixit, arbores alias nodosas, alias enodes, vt palustres; nodosæ sunt, oleaster, pinaster, & quæ apricis, aridis, vel gelidis locis nascuntur, vt montanæ. Siluestres nodosiores vrbanis, & genicula in harundinaceis, & gramineis proueniunt. Etsi ad naturales causas reducere libet, & nodosæ, siluestres, & siccæ sunt: sed quia articuli plerumque pituitosis excrementis infarciuntur, ob id siccis resoluuntur. Harundo crebris intercepta geniculis, Auicenna ad instrumenta iuncturarum valere dixit. *Salsapariglia* nodosa, frequentibus intercepta articulis, prorsus ad neruorum dolores valet. Radix *chinæ* arundinacea est, valet contra podagras. Iridis radices, vt harundinis, geniculatæ, ad podagras, & articulorum duritiam. Sagapenum è geniculato feruIaceo caule, ex Mesue articulorum compaginib. quantumlibet

ad motum valet,& dolores sedat;quippe quod humorum lentores in his cruciatus excitantes, funditus delet. Ammoniacum, thapsia, meum, sambucus, ebulus, iis qui podagra tentantur, eodem modo prosunt. Hordeum podagricis inflammationibus valet. Cucurbita geniculatis flagellis eas refrigerat, cucumis, colocynthis, ex Mesue Aristolochia nodosis flagellis repens, ex Galeno podagricis affert auxilium. Brassicæ folia, vbi cauli adhærent, maximum ostendunt nodum & imus caulis in rapi modum intumescit; podagris,& articularibus morbis illinitur.

Plantæ generationis instrumenta demonstrantes, & animalia, ad generationem valent; CAP. XLIV.

NATVRA procreationi, generationique satagens, multas & varias demonstrat in herbis & animalibus similitudines, quibus homines proli consulere possint. Generationis instrumenta vocamus scrotum, testes, & vuluas: vnde plantas, quæ radicibus, fructibus, excrescentiis, aliisue modis hæc demonstrant,ad Venerem valere vereri non debemus. Monstrant fabæ colis grandis similitudinem veram, & vulgo *fabam* vocare solemus. Præterea Theophrastus demonstrans fabæ germinationem,inquit: Faba eadem parte radicem fundit, & caulem, qua etiam nexus siliquarum consistit, inque ea veluti principium quoddam germinandi haud quaquam obscurum: in quibusdam ad mentulæ formam effigiatum sane inspici possit, vt etiam in cicere, & maxime in lupino,ad Venereas vires roborandas cognouimus fabam valere, cum sit multi flatus & nutrimenti: ob id à Pythagora damnata, quod rei Venereæ proluuium detestaretur. Sic ciceribus, lupinis, & leguminibus aliis crescentibus accedit genituræ copia; vt protinus in Venerem ruant, & libidini alacrius indulgeant. Glandes præterea summam coli partem ostendunt, quam præputium vestit: præputium n. est pellis, qua glans tegitur, coles ipse, penis: magna est igitur inter glandem & penis caput similitudo: fatiscente calyce,summa glans aperitur,vt dempto præputio summa colis apparet pars: non ab re igitur multa quis ad penis remedia ex glande sumptitare poterit: Glans

in cibis

in cibis multum flatum parit, ex Dioscoride, multum alimoniæ. Simeon Sethi præstare dixit, quod flatuosum, & alimentum habet, facile virilia roborare poterit, ob id etiam puto Pythagoram à glandibus abstinendum præcepisse. Nunc è bulbaceo genere radices se offerunt, & plures quam priscis memoratæ, quas omnes ab effigie ὄρχεις id est *testiculum* vocant, & ab effectu *satyrion*, quod Veneris incentiuæ sint: sed Plinio, & Apuleio vnicus bulbus satyrium est. Genera orchidum plura sunt; quæ geminis constant bulbis, testiculorum humanorum effigie, circa caulem in eorum origine per ambitum quam plurimæ fibrillæ, & capillaceæ insunt, ex quibus possint alimentum capere, vt pili in pube lanescunt: intus pleni sunt liquidi succi, viscidi, vt aluminis oui, quasi foret semen genitale: siluosis locis, & opacis, vdisque multiplices sunt & varij, quam vt possint enumerari. Sole Geminos ingressuro florent omnes. In Thessalia mulieres in lacte caprino bibere ad stimulandos coitus dixit Dioscorides, quæ omnia è Theophrasto excepit, inquiens:

Humanis corporibus vltra illa, quæ sanitatem, morbos mortemque spectant, alias quoque herbas afferre suis virib. posse affirmant; vt puta generandi seminis facultatem, sicut qui testiculus appellatus est, & magnum ad coitum datum è lacte caprino efficacem esse. Affert & satyrium radicem mali magnitudine, fuluam, intus vt oui candidam; vtendum ea, quum concumbendi incessit cupiditas: si quidem ea proniores ad Venerem fiunt. Aliud est satyrium erythronium, id est rubrum, cortice radicis gracili, ruffo, intus albo: non secus atq; scincus libidinem excitat, etiam si manu teneatur, & magis si bibatur ex vino. His succedit Serapias peculiari virtute sua, & mirifica Ægyptiis venerandæ Deæ Serapidis augusto nomine dictus. A similitudine testiculorum bulbi omnes Venerem stimulant, ex Dioscoride. Martialis ad hæc;

Cum sit anus coniunx, cum sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis, quam satur esse potes.

Dracunculus maior radice bulbosa donatus, singulari, & rotunda, vt testiculus, in vino potus Venerem proritat. Idem de

ORCHIDVM *ſpecies tres finximus; duas didymi, tertiam triorchis, ſimplicis bulbi, cum pleræque ſint, omiſimus. Confert cum humanis, & in nihilo diſcrepabunt.*



minori dracunculo dicendum. Gladiolus radicibus geminis conſtat, bulborum modo alterum ſuper alterum inſidente, quarum inferior gracilis, ſuperior vberiorem: ſuperiorem in

vino potam Venerem ſtimulare tradidit Dioſcorides. Haſtula regia bulboſa, multis radicibus teſticulos imitantibus conſtat, quibus Venerem excitari ſæpius diximus, cum vino, aut melle perunctis, aut bibentibus, ex Plinio. Idem de croco, allio, cepa, ampelopraſo, & cæteris dicendum eſt. Sic & quæ oblongo corpore ſcroti oſtendunt imaginem. Porrum Venerem excitat, adeo ſcroto ſimile, vt in prouerbium abierit. 43
Eadem forma adoleſcens cepa, Plinius. Auiditas coitus putatur & cibis fieri, viro eruca, pecori cepa. Apuleius amatorium eſſe ſtaphylinum dixit, fortaſſe quod Venerem ſtimulari hoc cibo ſit creditum; & ideo conceptus adiuuari etiam prodiderunt, ex Plinio. Raphano Venerem ſtimulari putauit Plinius. Siſer eiuſdem formæ, & vt Opion & Diocles tradidere, ad eadem valet; ſic de napo, rapo, paſtinaca & aliis dicendum. Sunt & quædam plantæ & animalia pubem referentia: quæ ad eadem valere iudicarem: nam radices quædam in earum ſummitate lanuginem habent, vt pubis lanuginem exprimant. Eryngij lanuginoſa folia circa radices habent; quorum radices ſaccharo, vel melle aſſeruatæ, valent, vt qui eas ederint, ſalaciores euadant. Leontopodion circa radices lanoſiore flacco caneſcit; ad amatoria valere tradit Dioſcorides. Concha *pecten* vocata, quod fœmineam pubem referat, valet ad venerea, vt oſtrea, quorum ſpecies eſt. Demonſtrant & animalia, quæ eiuſdem ſint virtutis, aliquod inſigne in luxuriæ inſtrumentis. Buteoni, ex accipitrum genere, teſtes terni Græci τελορχιν vocant: eis, qui in Venerem infirmiores ſunt, buteonis teſticulos cum melle decoctos recentes donant, & ſtatim coibunt. Archelaus lepores androgynos dicit, vno, eodemque tempore alios implere, & ex ſe parere; quod non niſi ex ſuperflua feminis abundantia & fœcunditate euenit, quod eius hirſutie ſignificatur, ex Ariſtotele libro De animalium generatione, & Problematum: leporum vuluas & teſticulos quidam Medici pollere putant ad coitum in viris, conceptum in mulieribus excitandum. Brileto, & Tharnæ ceruis quaterni renes ſunt, ex Plinio; quod idem Ælianus ex Apione refert;

sed eius genitale valde neruosum est ex Aristotele: cerui testiculi sicci aliquam partem potata, & concubitum excitabunt cum voluptate, Hesychius, & Varinus. Gallis in coitu testes grandiores fiunt, ex Aristotele; quod etiam de perdicibus verificatur, & de palumbis: & omnia ad coitum valent. genitale osseum in aliquibus demonstratur, & ad idem præstant, vt in lupo, vulpe, cane, & mustela videre est. Sic & animalia, quæ nimia copia seminis cito coitum absoluunt, & præcipue ea quæ non foris testes, sed intus in lumbis habent, ob amplexuum incommoditatem citius coitum complere oportebat; ob id semper præparatam seminis copiam habent, & è lumbis ad testes breuis est tractus, vt in ouiparis videre est; ob id ouipara salaciora; & in ouis substantia maxima ad luxuriam est. Heraclides apud Athæneum, apud quem Alexis Poeta quoque oua inter cibos Venerem incitantes numerat, & Auicenna. Prodigiosæ libidinis perdix: si contra mares steterint fœminæ, vt in animalium historia scripsit Aristoteles, aura ab eo flante fiunt prægnantes: hiantes exerta lingua per id tempus æstuant, concipiuntque superuolantium afflatu; sæpe voce tantum audita masculi, ex Plinio, quod & Auicenna repetit, & Athenæus ex Alexandro Myndio. Dimicant inter se mares desiderio fœminarum, victus in pugna victoris Venerem patitur. Proditum à Mythicis est, Perdicem fuisse venatorem, qui matris infando amore correptus sit; dum vero vtrinque immodesta libido feruet, consumptus, & ad extremam labem perductus est: caro perdicis Venerem promouet, ex Auicenna; oua in cibo sumpta vocat Kirannides *amatorium poculum*, quia venerem concitant. Galli testes in renibus habent. Alexander Myndius apud Athenæum. Veneris concitatores esse. Eadem coturnici conueniunt, quæ de perdice diximus. Gesnerus medicus adipem coturnicis cum pauco elleboro ad vim Veneris excitandam membro pudendo inungit; testes sub iecore habet, vt ex eodem legimus. Attagenæ caro ad idem valet, ex Auicenna. Pulmonis vulturini dextræ partes Venerem concitant, viris ad alligatæ gruis pelle, ex Plinio. Aquilæ renunculi, & testi-

culi ſicci in cibo vel potu dati, ſiue viro, ſiue mulieri concupiſcentiam excitant. Succedunt his quadrupedes ouiparæ, quæ teſtes in renibus habent. Crocodilo teſtes intus adhærent lumbis, ex Ariſtotele: crocodili è dextra maxilla dentes adalligati dextro lacerto, coitus ſtimulant, ex Plinio. Salamandræ cibo Venerem accendi, ſi detractis interaneis, & pedibus in melle ſeruetur, tradit Sextius ex Plinio. Mirum & de ſtellionis cinere, linimento inuolutum in ſiniſtra manu Venerem ſtimulare; ſi transferatur in dextram, inhibere, Plinius. Ad Venerem ciendam, Oribaſius apud Aetium: ſtellionem vſtum quam tenuiſſime conterito, deinde oleum affundito, atque ex eo magnum dextri pedis digitum inungito, & coito; vbi vero à coitu ceſſare velis, digitum ipſum abluito: & idem apud Nicolaum Myrepſum, Paulum Æginetam, & Marcellum. Scincus ſemen auget, & libidinem ſtimulat, ex Auicenna. Scincorum partes circa renes, tanquam naturalibus erigendis, efficaces bibuntur, ex Tralliano; Plinius latera dicit, & eadem apud cæteros Medicos. Teſtudo ſola ex corticatis renes habet; tegumenti farina accendit coitum. Caſtor teſtes ad lumbos habet: fabuloſa perſuaſio eſt, & antiquitus exploſa, quod genitales partes ſibi ipſi, vrgente periculo, amputent, ob id ſe peti gnari, vt Solinus ſcripſit, & Andromachus in Theriaca, & Ægyptij hominem ipſum ſibi nocentem deſcribentes, caſtorem pingunt. Cicero caſtorem ſe ea parte corporis redimere dixit, propter quam maxime expeteretur. Idem Ælianus, & Iuuenalis;

Eunuchum ipſe facit, cupiens euadere damno
Teſticuli; quoniam medicatum intelligit inguen.

Contra ſentit Dioſcorides, Plinius ex Sextio, & alij. Venerem auget & voluptatem in actu, virilia perungendo.

In maribus, vel fœminis generandis quid in plantis, & animalibus animaduertendum; CAP. XLV.

PRIVS quam ad nobiliora viſcera deſcendamus, genitales particulas explicabimus, ſiue orchides: oſtendunt enim & plantæ maris & fœminæ figuram, vt certum marium, & fœminarum concipiendarum præſagium indicet. In maribus

enim ex ilium regione in oblongam, atque rotundam figuram propendent teſtes, vt Arabibus aliquando vocentur *ouæ*. At fœminis intus in lateribus vuluæ vtrique accumbunt, ſinguli iuxta cornua, magnitudine, quam viris longe minores: figura lati & compreſſi, glanduloſique, ſcilicet extera eorum ſuperficies inæqualis; haud ſecus, quam ſi plures eiuſdem figuræ colligarentur glandulæ, veluti tuberculis oppleti molles, inaneſque. Natura tum fructibus, tum radicibus, aliiſue partibus inſinuat ad mares, & fœminas generandas aliquid præſtare auxilij. Cynoſorchis radice conſtat bulboſa, oblonga, in modum oliuæ gemina; ſuperior quidem durior, & calloſior eſt inferiore, quæ mollior, & rugoſior. Ex his radicibus, ſi maiorem edant mares, mares generari; ſi minorem fœminæ, alterum ſexum: videmus enim in geminis teſtibus maiorem radicem ad formam teſtium hominis intumeſcere, mares gignere, altera exigua vieta, nec orbiculari, ſed compreſſa, & inani fœminas, ex Theophraſto, Dioſcoride, & cæteris. Decebat enim perfectiores radices perfectiorem ſexum producere. Cotyledon, ſiue *Veneris vmbilicus*, radicem habet oliuæ modo rotunde oblongam: eſt & alterum genus, cuius radix grandiuſcula, & informis tuberculis quibuſdam intumeſcit; huius vſu Hippocrates fœmineum ſexum concipi, ſicut priore maſculinum prodidit. Theophraſtus quaſdam herbas ad procreandum marem, vel fœminam tradit, quamobrem aliam marificam, alteram fœminificam vocat, ambo inter ſe ſimiles, ocymi ſpeciem ferentes. Fructus fœminificæ modo muſci oleaginei, verum pallidior; marificæ vero ſicut oliua, quum primum è muſco emergit, geminus, modo teſticuli hominis. Dioſcorides de arrhenogono, & thelygono phyllo eadem præfert, non à Theophraſto, ſed à Grateua; mox ſui oblitus, vel hanc ignorans, eſſe mercurialem peculiari loco ait. Mercurialis habet ocymi ſemen, vt fœmina copioſum, vuæ modo acinis dependentibus; mari iuxta folia exiguum, rotundum, ſemper geminum, teſticulorum modo connexum. Mirum eſt 145
quod de vtroque eorum genere proditur; vt mares gignantur

hunc facere ; vt fœmina, illam : hoc contingere, si à conceptu succus statim bibatur in passo , edanturque folia decocta ex oleo,& sale,vel cruda ex aceto.Quidã decoquũt eam in nouo fictili cum heliotropio, & duabus aut tribus spicis,donec decoquatur:decoctum dari iubent,& herbam ipsam in cibo,altero die purgationis mulieribus per triduũ, quarto die à balneo coire eas. Hippocrates miris laudibus in mulierum vsu prædicauit has;at hunc modum Medicorum nemo nouit. Ille eas vuluæ cũ melle, vel rosaceo,vel irino,vel lirino admouit; item ad ciendos menses, secũdasque:hoc idem præstare potu, fotuque dixit.Herbam *hermupoam* vocant Græci,nos *mercurialem*, ex Mercurio fortasse,ex fœtu,propter binos,veluti testiculos coeuntes mari,& fœminæ quandam racemorũ speciem præbente, in masculam & fœminam diuisa, & ad vtriusque sexus partus generandos inuenta , & ob id folia genitalibus locis adhiberi. Plinius hæc habet,qui ab vtrõq; deficiens,bis errat.Sed id tanquã coronidem addere non piget,esse masculas & fœmineas plantas ; & ad concipiendũ mares,masculas; & fœmineas ad eundem sexum,si quis esu continuo,vel decocto à balneis, aliove modo vsus fuerit,vt longius suo loco diximus.Carduorũ duo genera;mas compactum conum & concluſum affert,fœmina apertum. Vuluis conferre traditur, vt mares gignantur ; ita enim Chærias Athenienſis, & Glaucias ſcripſerunt. Quædam in animalibus obſeruanda , quæ maris ideam quandam gerunt,ſcilicet quod non niſi mares gignuntur, ad mares valere ; & quæ non niſi fœminæ , ad fœminas non quod re vera ſint , ſed quod ita eſſe vulgus exiſtimauit. Lepus vno eodemque tempore tum alios implet , tum ex ſe parit.Leporem ſemimortuum captum fuiſſe ſcribit Ælianus, atque prægnantem fuiſſe repertum , vt in vtero diſſecti tres lepuſculos inuenerint, ac marem fuiſſe. Coagulum leporis in cibo ſumptum,marem concipi facere ſcribit Plinius. Taurus vbi iuuencam ſuperuenerit, ſi à dextra deſilierit , marem feminaſſe certum eſt , ſi læua , fœminam : carnem vituli ſi cum ariſtolochia inaſſatam edant mulieres circa conceptum , mares parituras promittit Plinius. Hircus maris figuram

ostendit; nam septimo die, à quo natus est, coit: si libeat marem generare, duos testiculos capri assos deuorato, & coeas eodem die, & marem concipies, ex Alberto. Gallus luxuriosus & pugnax valde, & viri ideam maxime tuetur, ad mares figurandos valet. Galli testes si subinde à conceptu edant mulieres, mares in vtero fieri dicit Plinius.

Quæ cordis specimen referunt plantæ, cordi subueniunt, & magni cordis animalia ad febres valent. CAP. XLVI.

NVNC ad interna viscera transeamus, & à viscerum principe corde incipiamus. Sed cor in plantis alij radicem, alij medullam dixerunt; quæ cum corde nostro aut nullam, aut paruam habent similitudinem: at sunt radices, folia & fructus, quæ cordis specimen referunt, & ad cordis vitia, siue febres valere possunt. Aliqua adducemus exempla, quibus edoctus lector, alia ex se perquirat in plantis.

Citrium sui fructus effigie cor repræsentat: Auicenna libro De cordis viribus, præcipue ad cor valere dixit: recentiores Medici ad pestilentes febres vtuntur. Anacardi fructus cordi similes figura & colore; vel saltem auicularum cordi non dissimiles, & ob id sic vocati: labantes reuocant sensus. Antoræ radices duas, quasi corcula ostendunt; auxiliantur omnibus cordis affectionibus, nec minus præstare dicunt febribus pestilentialibus. Montana nardus radiculas similiter corculo similes profert; prodest, vt Indica; quæ cardiacam sanat, & ad animi deliquia valet, non solum pota, sed naribus illita. Persea arbor in Ægypto celebrata, Plutarchus autor grauissimus hanc inter omnes Isidi gratissimam, & in Ægypto celebrari tradit; quia fructum ferat cordi similem, folium vero linguæ: in Perside tam præsentis est veneni, vt vescentes interimat, quia illico cor inuadebat; at in Ægyptum translata, poma fert cibis idonea. Vesicariæ genus, apud nos topiario opere fenestras opacans, vesiculas profert, & intus semina nigra, in quo alba humani cordis effigies visitur: ad cor valere multi retulerunt. Siculæ mulieres, Natura duce, *concordiam* vulgo dicunt, quod maritos cum vxoribus rixantes conciliet. Triphyllon vulgare *alleluya* dictum, in cauliculorum

QVATVOR hac pictura occurrunt plantarum partes; ac harum prima in extremis partibus duæ antoræ, & montanæ nardi radices apparent, habentes in medio citrij fructum. In superiori omnium sede apposuimus perseæ fructum, omnes cordis imaginem, quantum picturis assequi datum est, proxime exprimentes; ac iuxta eum è pulmone euulsum cor, quam fieri licuit, appinximus, vt mutua similitudo
6 exactius contemplari valeat.



ſummo profert folia cordis figura; corroborat: eius ſtillatitia aqua febre laborantibus fert opem. Pinei fructus cor referunt; viridis pinus aciculæ contritæ, ac vino potui datæ, cordis dolorem abolent. Meliſſophyllon cordis ſpecie fert folium; Mauritani miris laudibus ad cordis effectus, & animi hilaritates extollunt. Cardiaca, ſiue *moluca* folia meliſſæ profert; eximiæ dotis ad cor.

Altera ſpecies eiuſdem folij, ad idem valet. Nux ben cordi aſſimilatur: Auicenna ex proprietate occulta, cordi conferre dixit. Myrobalani referunt idem, & eidem conferunt, ex eodem. Cydonia mala, & pyra eandem figuram exprimunt, & ei mirifice auxiliantur. Nunc magni cordis animalia referemus, quæ cordi conferunt, & febribus. Quæ enim magno corde prædita ſunt, frigidiora ſunt, meliuſque ſe à febrium caloribus tuentur; quia cor frigidius quam quæ paruum habent: quæ enim paruo corde ſunt, vt leo, continua febre laborant, ob ſuperfluum calorem. Quæ igitur maioris cordis ſunt, ad febres & ad cordis vires valent. Aſino cor maximum, ex Ariſtotele: eſt genus febrium, quod ἀμφημερινὸν vocant, hoc liberari tradunt, ſi è vena auris aſininæ tres guttas ſanguinis in duabus heminis aquæ quis hauſerit, ex Plinio. Ceruo cor maximum, vt omnibus timidis, ex Ariſtotele: Caro eius contra febres valet. Quaſdam principes fœminas nouit Plinius, omnibus diebus carnem cerui guſtare ſolitas, & longo æuo caruiſſe febribus. Os in eius corde repertum, totius ſubſtantiæ ſimilitudine ad cor valet. Elephas duplici corde præditus, ex Æliano: ebur tota ſua ſubſtantia corroborare Solinus dixit. Hyænę cor maximum, vt omnibus timidis, & propter metum maleficis, ex Ariſtotele & Plinio: quibus cor palpitet, aliquid ex corde mandendum, vt vt reliquæ partis cinis cum cerebro hyænæ illinatur. Iecur deguſtatum ante acceſſiones, quartanas febres delet. Lepori cor maximum, vt animal omnium timidiſſimum; aduerſus quartanas, fimi bubuli cinere conſperſo puerorum vrina illinunt digitos pedum, manibuſque leporis cor adligant: coagulum ante acceſſionem propinant, ex Plinio. Pantheræ cor maxi-


mum, ex Aristotele : si pinguedinis odor recipiatur inter assandum, vtilis est pulsum cordis patientibus, ex Rhase. Mustelæ cor maximum, ex Aristotele: febrem curat, ex Vrsino. Muribus cor maximum; aduersus quartanas adalligari iubent Magi muris rostellum, auriculasque summas roseo panno, ipsumque dimittunt, ex Plinio: sed murini iecoris fibram Serenus bibi iubet cum vino austero.

Plantæ, quæ pulmonem referunt, & animalia magno pulmone prædita, ad pulmones valent; CAP. XLVII.

POST corde pulmone loquemur, cum is cor contineat; referemus & herbas, quæ non pulmonem, quum adhuc incognitæ mihi, sed quæ pulmonis maculas referant subalbicantes. Exempla hæc erunt: Nascitur in quercuum, aliarumve arborum caudicibus, & in opacis præsertim siluis herba quædam, superiori sui parte viresçens, inferiore pallescens, maculis quibusdam referta, vt pulmonem referat, ob id plerisque *pulmonaria* dicta: ea vtuntur ad tabem, pulmonum vlcera, & cruenta sputa, suspirioſos, anhelatores, & asthmaticos. Est altera herba pulmonaria dicta, folio buglossi aspero, hirsuto, albis maculis circumaspersо, flores purpureos afferens, vt in vulgari *cynogloſſo*; non contemnendis viribus ad pulmonis vlcera sananda, detergendaque. Est & altera species intubaceo generi annumeranda, quæ & albidis maculis varia est, quæ pulmonibus conferre vi prædita est.

Sed animalium pulmonibus nostros adiuuabimus: etsi omnia animalium membra humanis iuuent, illud præsertim iuuabit, quod magnum, vel quod eo careat, tanquam hoc insigni magnitudinis, vel carentiæ nos admoneat Natura, in eis vires subesse. Chamelæonti pulmo proportione maximus, vt nil aliud intus habeat; vt parum abesse scribat Plinius, quin corpus totum pulmone constaret; cuius lingua, cum radice herbæ chamelæonis, & cynogloſſæ, obtumescere facit, ex Kirannide. Testudo quidem pulmonem & sub toto tegumento habet, ex Plinio: phthisi valet, & hecticis. Pulmonem pauca habent aquatilia, vt ranæ careant; Ranæ

ETSI *cuique capiti tabellam peculiarem interiicere constituissemus: compendio tamen consulentes, pro præsenti, & subsequenti hanc concinnauimus; à dextra sui parte pulmonariam promit, subalbidis maculis variam, pro pulmone; à sinistra* capnos phragmitis *visitur, pro iecore.*



in cibis laudantur; phthisi medentur. Ranunculus viridis ad tussim valet, ex Plinio; squillæ pulmonibus, & hecticis: cancri ad idem valent.

Plantæ iecur ostendentes, & animalia magno iecore prædita, iecori prosunt; CAP. XLVIII.

IECVR συκωτὸν Galenus vocat, quasi *ficatum*, ita vt vulgo *fegado* dicatur, quod ficus similitudinem gerat, quæ Græcis συκὰς dicitur: vnde iecur anseris ficubus saginatum, principalis cibus in conuiuiis erat; constat igitur ficus iecur petere.

Iecoraria planta huc spectat, quam in tabella præcedentis capitis præmisimus.

Est inter capnos species, quam *cauam radicem* herbarij vocant, siue *Plinij bulbosam fumariam*: falso putat Fuchsius *pistolochiam*. Cordo *capnos phragmitis* putatur, aliis *chelidonia phragmitis*, vel melius, *capnium Aetij*. Cuius radix ingenti naturæ miraculo rotunda, quasi hemicylindros est, adulta vero excauatur. Diu multumque mihi animum anxit, torsitque cogitatio, quidnam hoc paradoxo indulgens Natura demonstrare voluerit: tandem Aetij locus in mentem venit, vbi de hepate in scirrhum indurato loquebatur, capnij herbæ meminit. Consideranti igitur radicem cauam, in ambitu, quasi in fibrillas, vel lobos diuisam æstate, ad hepatis cauitates vel scirrhos valere occurrit: illico experiendum curaui, fauitque rei euentus voto. Vtitur idem quoque ficubus aridis ad eiusdem inflammationes. Agaricum videtur etiam iecur figurare; iocinoris vitio laborantibus Dioscorides propinat. Sed ad animalia transeamus. Animalium alicui simplex iecur, alicui duplex; non quod duplici iecore prædita esse putemus, sed in duos lobos diuisum, velut geminatum videtur; alicui adeo pingue, vt in oleum abeat, nobis Natura datum, vt sciamus ea ad emolliendum iecur valere. Gigil Philosophus animalium hepar ad hepatis dolores valere dixit, & Rhases ab eo, quod idem de omnibus membris euenit. Sed in parte verum, & in parte falsum est. Dicimus igitur quod in animalibus iecur, quod cæteris maius, vel aliquod insigne habet, à

Natura factum, vt hominũ iecoribus prodesse possit. Nos ex moribus animalia, quæ hæc viscera insigniora habebunt, cognoscemus. Placidiora quæque animalium minus fellis, timidiora plus cordis, salaciora plus iecoris, alacriora plus splenis, magis vocalia plus pulmonis habent: vnde vulgatũ carmen;

Cor ardet; pulmo loquitur; fel commouet iras:
Splen videre facit, cogit amare iecur.

Iecur elephanto quadruplo maior bubulo est, ex Aristotele: extremitate hepatis comesta cum aqua sumach, & foliis citri, hepati dolenti medetur Rhasis. Equus iecur habet in tres lobos diuisum, ex Herocle: equi iecur theca cedrina repositum, deinde Chio vino aqua diluto exhibitum, quibus iecur vlceratum est, ne amplius exedatur, efficitur: ex Galeno lib. De paratu facilibus. Lupi hepar aliis dissimile tradit Plinius; sed equi vngulæ simile: Galenus lupi hepar tota substantia hepaticos iuuare scribit abunde se expertum; iecinoris dolores reficit lupi iecur aridum ex mulso, ex Plinio. Ranæ iecur geminum, ex Plinio: cuius decoctum ad scabiem valet, ex Auicenna. Anser magnum iecur habet: iecur anseris valet ad iecur. Vultur hepatis dolore afficitur; affectus, venatur aues magnas, quarum epar vorat, ex Rhase. Serpens ad iecoris dolores vulturis iecur concedit. Pastinacæ piscis iecur in duos lobos diuisum; in oleo decoctum, pruritum scabiemque non hominis modo, sed quadrupedum efficacissime sedat. Sic & squatina. Ex eius epate fit oleum, quod ad epatis duritiem valet, addita spica Celtica, vel styrace, vel absinthio. Galeus anthias hepar geminum habet; quod abit in oleum, valet ad duritias hepatis. Sic centrinæ iecur, quod ad emolliendum iecur valet, idemque substantiæ similitudine corroborat. Idem de galeo glauco euenit.

Plantas lienem, & renes effigiantes, animaliáque magno liene prædita, ad lienes, & renes valere; CAP. XLIX.

VENIMVS inde ad lienem, viscus fæculenti sanguinis, qui ab hepate profluit, expurgatorium; magnitudine manus; figura cauus, gibbosus, ac veluti lunatus est; plantæ ergo, quæ foliis vel aliis partibus eius figuram ostendunt, ad eius

vitia valere coniicimus. Asplenum folium infima parte gibbosum habet ad lienis formam, alij *hemionion* vocant: *asplenon* vocatum, quod animalibus lienem absumat; hoc modo inuentum, testante Vitruuio. Circa Potereum flumen, quod est Cretæ inter duas ciuitates Gnoson, & Gortinam; dextra olim & siniſtra eius fluminis pascebantur pecora, sed ex iis, quæ pascebantur, proxime Gnoson splenem habebant; quæ autem ex altera parte, non habebant; illud Medicorum scrutantes scholæ, in illis enasci herbam locis, denique compertum prodidere, qua vescentia pecora lienes imminuerent. Hedera lunata, vel gibbosa fert folia; ex aceto cocta, vel cruda deuorata, lienes sanat. Damegeron est autor, si hederæ nigræ tres taleolæ in mundo linteo ligatæ, filo in amuleti modum lienosis appendantur, gestantes intra triduum hoc vitio liberabunt. Lonchitis flores affert ceu galericulos, paruam exerentes linguam; siquidem minutulis his hiantibus albugo quædam inferiore labro prominens, speciem linguæ repræsentat, quasi lienis speciem ostendit: lonchitidos radix decocta, priusquam semen emittat, lieni medetur: eadem in aqua eidem illinitur. Lupinus sua effigie lienem demonstrat; eius decoctum lienosis prodest. Extuberantem lienem aristolochia imitatur, ob id extuberantes lienes, cum aqua potata valet. Cyclaminus eodem modo. Ad animalia transeamus. Splenem non omnia animalia dissectum habent; is nonnullis magnus, & oblongus; aliis minimus, varijque coloris; aliis positus iuxta hepar, aliis sub ventriculo. Bobus pro sua magnitudine auctior lien est, cæteris omnibus bisulcis cornigeris rotundus, ex Aristotele; lienem bubulum in melle edũt, & illinunt ad lienum dolorem. Ad lienem sanandum, emi lienem vituli quanti indicatus sit, nulla pretij cunctatione, quoniam hoc quoque religiose pertineat, diuisumque per longitudinem annecti tunicæ vtrinque & induentem pati decidere ad pedes, dein collectum in vmbra arefacere; quum hoc fiat, simul residere lienem ægri vitiatum, liberarique eo morbo dicitur, ex Plinio. Hominem lienis vitio affectũ Ægyptij sacerdotes per canis hieroglyphicum exprimebant; nam

gr: cillimum habet, quod si vel mors, vel rabies eum inuaserit, à splene est; vt qui canem eo morbo laborantem dissecuerit, contagione vim experitur. Caninus lien si viuenti eximatur, & in cibo sumatur, lienis dolores liberat; Quidam recentem super adligant, ex Plinio. Sic animalia quæ liene carere videntur, præstant homini, vt eius lien assumatur. Asiæ regio, Scepsis appellatur, in qua lienes minimos pecori inesse tradit Plinius, & inde ad lienem inuenta remedia. Pecudis lien recens super lienem dolentis extenditur, dicente eo, qui medeatur, lieni se remedium facere, liberabitur, ex Plinio. Rhonbo aculeato splen inter intestinorum spiras latitat; lieni medetur impositus, dein remissus in mare, ex Plinio. Torpedini lien paruus; lieni medetur impositus. Testudo aquatica paruo liene constat, in cibo sumpta lienes tollit, ex Plinio. Pica liene caret; valet ad lienes. Id non omittemus dolichi, siue lobi, & lobia, siue phasioli non illi triuiales, sed rubentes ex smilace hortensiana, adolescentes eo vsque in hortis, vt rami sufficiant operi topiario, siliqua fœnigræci, in qua continentur semina renunculis similia. Paulus in quadam compositione, quæ *diatettigon* inscribitur, phasiolos requirit ad renum vitia.

Cauos plantarum caules ad tracheam, & alios cauos corporis meatus valere; CAP. L.

DVM mecum repeto diuinæ Naturæ in hominem exuberantem prouidentiam, nequeo tantæ bonitatis amplitudinem satis mirari: ostendit enim valde nostræ naturæ proficuo præsidio cauos plantarum caules, ad cauos tracheæ meatus, & aquæductus, & cuniculos nostri corporis valere, veluti vrinarios aurium, flatuum & similium. Sed si qui fuerint intellectus malacia laborantes, vel morosi palatus, quibus hæc nostra minus arrideant, sed naturalium causarum aucupio probata velint; scito Aristotelem libro Problematum dixisse, iis plantis à Natura cauos caules donatos, quarum natura imbecillis; & Theophrastus id etiam innuens, ait, armamentariam harundinem à cæteris distare, probæ nutritionis causa; vtpote pleniorem, carnosioremque, quod ex aquarum abundan-

abundantia prouenire dixit. Et alibi; infarcta fistula nasci tri-
I ticum ob callosius alimentum: & nos in Apulia vidimus, & Laborinis nostræ Campaniæ campis, ob densum solum denso calamo prodire; sed nostri corporis imbecilliores partes è robustioribus eiectos influxus recipiunt humores, eiiciuntque, ob id cuniculi. Conjicimus præterea cauos caules & inanes in plantis à Natura fractos ad expellendos flatus in plantæ corpore conceptos, vt & nostris corporibus. Sed ad exempla accedamus, & de trachea loquemur primo. Casia solutiua, & purgatrix est, siliquam fert longam, intus transuersis membranis alueolis dissepitur, vt aspera nostri corporis arteria, quam alij *guttur*, vel *spiritalem fistulam* nominant, & cartilageneis annulis compacta, compositaque ad imaginem casiæ fistulæ: ad pectus & fauces valere Arabum experimento constat. Triticum harundinaceo calamo, circulis membraneis, vt harundo; ad exasperatam arteriam datur, & farina cruentis excretionibus, ex Dioscoride. Hordeum ad gutturis scabrities, exulcerationesque. Malua inani caule nascitur eius radicum & foliorum decoctum gargarizatum exasperatas fauces lenit, & feruefacta in cibum apposita, raucedines tollit. Porrum inanem caulem efficit: voci splendorem affert, ex Plinio: sectiuo authoritatem dedit princeps. Nero vocis gratia, ex oleo, statis mensium omnium diebus, nihilq; aliud, ac ne pane quidem vescendo. Allium eodem modo vocem clarificat, ex Dioscoride, & Plinio. Lingua bouis & inani caule: Auicenna ad exasperatas fauces valere dixit. Eædem quoque tussi, & anhelosis medentur. Calamus odoratus nil à cæteris sui generis differt forma; tussi medetur, hausto per harundinem succo. Quartum cinnamomi genus fistulosum, contra tusses valet. Smyrnium orthopnoicos mitigat. Hieracium admisto hyssopo ad tussim valet, ex Plinio. Equisetum ad orthopnœam, & tussim. Borago ad idem, ex Auicenna; malua, ex Plinio. Cepa tussientibus, anhelosis, & asthmaticis; spina alba iis, qui cruenta extussiunt; allium, auena, & phtutussientibus & anhelosis: sic faba, cucumeres, melones, & sonchus. Flatus excitant hordeum, triticū faba, cepa, allium,


scorodropasum, & auena. Ad ciendam vrinam valent spina alba, hordeum, cepa, porrum, allium, scorodropasum, phu, hieracium, smyrnium, equisetum, gentiana, pepo, casia fistula, cinnamomum, calamus odoratus, cucumis, lupinus, milium, & harundo.

Fructus vterum referentes, & fructuum inuolucra, ad vterum & puerorum inuolucra, siue secundinas valere; CAP. LI.

SVNT & stirpium fructus, siue radices, mulierum vterum referentes, quæ ad partus valent. Aristolochia veræ fœminei vteri formam imitatur, & optime puerperiis opitulatur; appellationemque ei puerperæ tribuerunt; quoniam ἀειστολοχεύσας, id est puerperis egregie salutaris; vtpote, quæ remoratos menses, hærentes secundas, & reliquas omnes à partu pellat. Cyclaminus etiam vteri similitudinem exprimit; si prægnans radicem eius supergradiatur, abortum fit; partum appensa accelerat. Diximus herbarum radices vterum referentes, proximum sane erit de fœtum inuolentibus tunicis, inuolucrisque oculis aliqua subjicere, quæ in partu vna prodeunt, ipsumque subsequuntur, quam membranarum molem Latini *secundas*, & *secundinas* nuncupant. Multæ sunt membranæ, quæ exterius fœtum ambiunt, & inuoluunt. Non secus in plantarum fructibus spectare est quasdam membranas, quæ fructum multis inuolucris inuoluunt, calloso primum, vel membranaceo cortice, mox tenui & compactili tunica. In humanum fœtum complectentibus membranis molliculæ quædam adnatæ carnes circumplectuntur, vt instar puluini molliter in sinu foueant, excipiantque, & per vmbilicum crescenti fœtui alimentum ministrent. In fructibus præter hanc inuolucrium compagem multiplices venulæ, & nunquam errabundi ductus succum exporrigunt, quo augeri possint per vmbilicum; quod in pomis, scilicet in eius medio pendet, & arbori adhæret. Suis puluinatis toris iacent, adeo Natura studiosa molliter semina collocare studuit. Et quemadmodum aduentante partus tempore adambientes fœtus membranæ disrumpuntur, fœtusque in lucem egreditur, haud secus in maturationis tempore abruptis putami-

nibus circumsepientibus, loculisque ex arbore, tanquam matris vtero, recedunt, deciduntque. Est & in floribus quasi nascentibus fœtibus simile quoddam, quum adhuc conuolutis foliorum panniculis nondum dehiscunt, sed capitula quædam in mucronem leuiter fastigiata primum à caule prosiliunt; iisq; paulatim intumescentibus prægnantia florũ inuolucra fatiscunt vt in rosis se explicant. Vnde hinc facile auguramur inuolucra illa, & loculamẽta, quę veluti capsulæ, & pecuniarij sacculi formam referunt, & bulgæ sibi nomen asciuerunt, ad matrum partum, & secundinas foris educendas præ-
53 stare, quum taliter & ipsæ in amplectentis matris sinu foueant. Iuglans huius rei maximum exhibet specimen, calloso primum, herbaceoque occulitur inuolucro, hinc compactili carinarum loculo, mox tenui tunica, nuclei intus quadripartito digeruntur, lignosa intercedente membrana; ob id Plinius; Duplici nux protecta operimento, puluinato primum calyce; mox ligneo putamine, quot modis & fœtus in parente, hoc est vtriculo, ventreque: quæ causa eas fecit (vt est verisimilius) nuptiis religiosas; partu tot modis munito, quam quod cadendo tripudium, sonitumue faciat elidendo virginum puellarum clamore: ad vuluarum vitia, & puerperia multis, variisque modis præstant. Magna & inuolucrorum mole obtegit nux Indica, cortex exterius carnosus, intus villosa materie compactus, tenui tunica exterius vestiente; qua extrita, solutus in capillamenta fatiscit, capaci subtus orbe, duro, lignosoque, intus dulcis nucleus candidus, & carnosus. Pinus lignosos conos frequenti nucamento compactiles profert, in quibus nucleos singulis cameratis totis, ferruginea tunica vestitos, contegunt; pinus secundas suffitu ejicit. In aro sagacis naturæ artificio, multiplici membrana munitus fœtus ostenditur. Is primum promit inuolucrum palmari longitudine, quid mucronata in turbinem vaginula pistillo complectitur, & suo fauet sinu: tam est diligens seruandis rerum feminibus natura; sed vbi fructu prægnans fatiscit in hiatum, solida pistilli facies dilutiore purpura rutilans emergit, & anfractu penitus patente, crocea

PECVLIARES effigies in hac tabula inglandis, nucis Indicæ, alliis, & arifructus è variis, multiplicibu quetunicis, nexibus ambientibus euulsis, conspiciuntur. Infra humanus fœtus in vtero inuolucris oblonga, & transuersa sectura dissectis, apertus in conspectum venit, vt vtriusque similitudo concinne possit comprehendi.



semina spectantur, quæ in coronæ modum contexta, imam eius partem ambiunt: partus omnium animalium extrahit, naturæ ostio circumlitum; & seminis, vel radicis drachmæ duæ in vini cyathis duodus sufficiunt, si à partu non purgatur, ad secundas trahendas. Dracunculus è foliorum scapi fastigio vagina quædam foris herbacea prosilit, cubitalis fere longitudinis, in mucronem sensim turbinata, velut erupturi partus inuolucrum; quæ cum dehiscit, sese pandit, purpureum cornu in acumen fastigiatum demonstrat: ea seminum incremento distenta, dissilit in rimam, tandem elangueſcens flaueſcit, subareſcenſque perit, relicto cornu, cuius imam partem racemosus fructus ambit. Tantas ei vires ineſſe, vt olfactum grauidis abortum inferat, & eliciat partus: & quæ abortum inducunt, eadem secundinas trahere dicunt Medici. Allium quamplurimis velatur membranis, intus pluribus coagmentatur nucleis, qui velut fœdere quodam iuncti, confertim cohærent, & prætenuibus cinguntur membranis, grandiore folliculo omnes simul ambiente: radix vbi succreuit in nucleos, fiunt mox spicarum diuortia, ac tunicas disrumpentes, vnumquodque per se iterum in bubulos extumet; feruefactæ eius comæ ius, menses & secundos partus euocat, fœminarum discessionibus inditum; ad quæ suffitu quoque proficit. Latent & semina aristolochiæ in suis turgentibus lagenulis, velut in loculis, non secus ac in vtero parentis infantes: quæ pessario admota, eliciunt fœtum iam frustra erumpere conatum, fœtusque lacerata inuolucra, & enixam puerperam diris partus cruciatibus fere enectam, integrę reddit sanitati, vnde sibi nomen asciuit. Sed videamus in animalibus nunquid Natura nobis extra ordinem cunctorum in aliquibus peculiariter ostendat. Ceruæ statim à partu edunt inuolucrum, nec fieri potest, vt id accipias, prius enim quam in terram demittant, ipsæ arripiunt: vis in eo medica esse creditur, ex Aristotele. Si cornu superferatur cerui à patiente, iuuamento esse, ex Simeone Sethi. Cum æqua peperit, statim secundas deuorat; cuius axungia suffumigata, partum mortuum & secundas eiicit, ex Sexto: sed Plinius vngulam

dicit. Canes, & catos secundas à partu deuorare vidimus? Plinius partus euocat membrana è canum secundi, si terram non attigerit: fimus cati suffitus, & fel fœtum ex vtero mortuum extrahunt, ex Rhase. Sic membrana caprarum, in qua partus editus, inueterata, potuique data in vino, secundas pellit, ex Plinio. Est & lapis aëtites dictus, qui sonantem in vtero alium lapidem gerit (quod non nisi summa Dei benignitate nobis ostensum est) nam vt in vtero alium lapillum habet, sic in fœminarum vtero fœtum continere facit; ob id mulieribus siniſtro brachio alligatur, vsque donec partus hora aduenerit; qua aduentante, illico à brachio religari, & siniſtræ coxæ imponi, vt illico & sine labore & periculo enitatur; iam enixa, tollatur è coxa, ne vterus sequatur: nobis frequenti & notissimo experimento cognitum, ex hoc audiuimus arboribus adligatum, quibus caduci fructus efficere, vt vsque ad maturitatem in ramis adseruentur.


Vesicarias plantas, & animalia magnis vesicis prædita, ad vesicæ commoda valere;

CAP. LII.

PLANTAS, quæ vesiculas proferunt, non sine mirifico Dei luxu, hominis vesicis prodesse ostendemus: possunt & flatus discutere, quum flatus plenæ sint: nam compressæ dissilientes, flatus in sibilum abit. Possunt & calculos è vesica ejicere: nam semina in vesica sonant. Ostendunt & fœtum in vtero, vt aëtites lapis. Exempla apponemus aliqua.

Solanus heliacacabus, id est vesiculas ferens, humanis similes habet, quæ intus acinum inclusum gerit: celeberrimus huius ad calculos, lotiumque ciendum vsus; medetur etiam eius ardoribus. Colutea Liparæ peculiaris à Theophrasto traditur. Arbor magnitudine præstans, fructum ferens in siliqua, magnitudine lētis, qui oues mirum in modum saginet. Nascitur semine, & fimo præcipue ouillo. Serendi tēpus cum Arcturus occidit, mandatur solo præmaceratum, cum iam in aqua germinare cœperit. Folium mittit fœnugræco non absimile. Arbor primum vnicaulis emicat, trima concidendis scipionibus, & baculis idonea. Si quis nimis decurtauerit, mox

VESICARIAS *plantas, primo haliacacabum, mox vesicariam repentem, post coluteam præsens icon insinuat; ac vesica esui musculis nudata è regione spectatur; conduxerit itaque spectanti, mutuo simul eas conferre similitudines, quum ad vivum delineatæ sint.*



emoritur; quippe quæ lateribus haudquaquã fruticet; ſpargitur deinde in ramos, quadrima prorſus arboreſcit. Apud nos frutex naſcitur ramis exilib. folio fœnugræci, quadriennio in arborem ſe efferens, veſica membranea, pellucente, prætumida, veluti quodam ſpiritu diſtendente turgida, pueri eam digitis comprimendo in crepitum diſſilire faciunt ludibundi, in quo ſemen atrum, durum, lentis magnitudine, piſi guſtu, ſemine naſcitur, & fimo præcipue ouillo. Mauritani vernaculo ſermone *ſene* vocant; duoque genera faciunt, ſuæ ſpontis, & hortenſis; ſiliquas ventorum vi deturbatas legunt opiliones ſaginandis ouibus per quam vtiles. Actuarius interaneorum obſtructiones explicare dixit pulueris drachmam, vt facile veſicam expediat. Sunt & aliæ veſicariæ plantæ, vt trepens, ſtaphylodendros, quarum ſi opes ad deturbandos calculos, aliaque veſicæ vitia manifeſtaremus, putarent ſcioli potius confictas, & à nobis imaginatas, quam veras eſſe, cum à vetuſtioribus Medicis experimento ſint incognitæ. Sed ad animalia tranſeamus. Ea veſicas habent, quæ renes & pulmones. Piſces veſica carent, exceptis delphino, balæna, vitulo, & teſtudine. Lyncis vrinam coire in lapidem dicunt, eius vrina ad veſicæ ſtillicidia peroptima eſt; veſica vero in vino pota contra vrinæ incontinentiam valet;

IO. BAPTISTÆ PORTÆ NEAPOLITANI PHYTOGNOMONICORVM LIBER IV.

PROOEMIVM.

PLANTARVM *partium similitudines, quæ humana membra mentiebantur, abunde explicauimus; sequitur, vt earundem partium & actionum similitudines agnoscamus, quæ animalium partes & actiones imitãtur, vt promiscuas inde vires inuestigemus; altera enim alterius collatione inuicem sibi produnt proprietates: vnde iis præcognitis, facilior erit præsentis tractatus insinuatio. Hæc vt difficiliora, ita vtiliora, certioraque Naturæ interpretibus perscrutanda proponuntur: nam meminisse debemus, quæ in humana Physiognomonia dicebamus, ea signa in delectu præcipua, quæ ex animalium partibus, & actionibus colligebantur; bis insistendum, his strenuam nauandam operam admonemus. Plantarum enim partes, vel actiones, quæ animalium partes & actiones æmulantur, insinuant nobis easdem vires retinere, quibus ea præstant. Nos ex infinitis aliqua proponemus exempla (omnia enim quis audeat polliceri?) vt officiosæ nuperorum expectationi satisfaceremus. Sed ne quis vellicando, nobis vitio vertere possit plantarum similitudines à nobis confictas, & coacte rebus accommodatas, nos solum eas plantarum similitudines proposuimus; ex quibus quum propriæ deficerent appellationes, variorum populorum, & gentium communi calculo, & sententiis ab animalium similitudine nomen emendicarunt; vnde quiuis peritus arbiter rei perpensione non maligna, nil à me confictum, nil violenter conquisitum fate-*

bitur; hæc enim veritas neſcit fucos; doctrina ex ſola Dei benignitate pendet. Sed plantarum partes animalium partes indicantes dicemus primo, mox actiones; & ex animalium partibus primo quæ integra, poſt quæ partes inſinuabunt.

Plantarum partes ſcorpionem integrum repræſentantes, ad eius morſus valere; CAP. I.

A Plantis igitur exordiemur, quorum flores, fructus, radices, aliæve partes integrum animal repræſentant; & primo à ſcorpionibus & ſerpentibus incipiemus, familiaribus nobis animalibus, quæ fere nobiſcum victitant, vel vbique obuia, exitialia maxime, & pernicioſa; in quibus non tumultuaria, ſed adeo exquiſita imagine in eorum effigiatura delectata eſt Natura, vt non niſi cæcus in iis decipi poſſit. Maxima Dei benignitate conſultum, ita affabre figuram ſimulantis, vt hominibus conſuleret, earundem virtutum compotes eſſe, & contra eorum ictus non ignauas, ſed ſtrenuas & medicamentoſas vires poſſidere, cæteroquin ſueto Medicorum dogmate, aliave humana methodo noſſe non poterant. Quod ſi quis forte ab homine excogitari hæc poſſe credet, ingrata Deorum munera intelliget, vt Plinius inquit. Sed aliqua afferamus exempla. Sed primo maximum Theophraſtum audiamus. Non deſunt, inquit, quæ forma quadam peculiari ſpectentur, vt ſcorpij vocata radix, quæ ſcorpionis ſpeciem repræſentat, valetque ad eius ictum: vbi videtur methodum hanc noſtram, ſcilicet ex ſimilitudine vires aucupandi non ægreferre. Et alij Θελύφονον, alij *ſcorpionem* appellarunt à radicis ſimilitudine, quæ ſcorpioni eſt aſſimilis, cuius tactu ſcorpiones torpeſcunt, ſtupentque pallentes, & vinci ſe confitentur; auxiliatur eis elleborum album, tactu reſoluente. Tactis quoque genitalibus fœminei ſexus animalium, eodem die moriuntur, cuius potum ſcorpionum ictibus aduerſatur. Eſt altera ſpecies Dioſcoridis à priori diſtans, cuius radices in modum ſquillæ marinæ cirrorum nigreſcunt, quam *cynoctonon*, & *lycoctonon* appellant, eaque vtuntur venatores ad luporum necem, quaſi lupicida, Plinius marino cammaro ſimilem facit. Sed ego & ſquil-

læ, & marino hippocampo assimilari dico, cuius forma spectanti cuique plurimum par erit; nam vt squillæ & cammari caudam tabellulis complicatam habent, ita videtur hæc radix quibusdam internodiorum diuortiis seiuncta, à summo sensim se extenuante. Et certè vires squillæ, & hippocampo cognatæ sunt.

Hippocampi vim solus scripsit Ælianus; cuius ventrem in vino decoctum, alteri potui datum, primo acerrimo singultu affici tussi, & vehementi vomendi cupiditate; quod si Natura euicerit, in obliuionem, & dementiam incurrere; sin minus, vita excedere; qui euadunt, mente capti, summo aquæ studio tenentur: nam aquam semper appetunt, tum stillantem, tum fluentem, sic & abluere, & natare. Huius vt aconiti in vsum vertere Medici, & ad morsum rabidæ caniculæ; nam hippocampus hydrophiliam; canicula hydrophobiam inducunt, vt diximus. Mouet cœundi appetentiam lycoctonon, sic squillæ, & cammari. Est inter doronicos species vna, siue aconitum; cuius radix etiam integrum scorpionem demonstrat; quæ cum primis easdem facultates possidet, radix teres, orbiculata, inferne in angustum sensim obducitur, transuersis, quasi squamulatum torulis articulata, affabre scorpionis caudicellam, vel potius cadauerulum exprimit, paulominus scorpionis corpus effigiat. Cyperi radices, oleis oblongis similes, nigræ, rotundæ, inuicem commissæ, fibras vel caudicellas, quasi scorpionis brachia demonstrantes, quarum est vsus aduersus scorpionis morsus.

Plantæ, quæ serpentum & vermium formam effigiant, ad eorum morsus valent;

CAP. II.

SEQVITVR serpentum pestis, quæ non minus acri, & virulento ictu trucidat homines. Natura plantarum radicibus eorum simulauit effigies, vt suo quisque malo cauere possit. Quorum exempla hæc erunt. Non alicubi δρύινος ser-
69 pens, quam in quercuum, vel fagorum radicibus latibula parat. Sic dictus Galeno, quod in imo quercuum cespite suum sternat cubile. Quercui radices albæ sunt; inflexæ,

TRES aconitûm icones ex viuis planis expreßimus; prima Pliniani pardalianchis, quam cammaro ſimilem facit, ſecunda Dioſcoridis; I
tertia Theophraſti, integrum referens ſcorpionem. Infra cammari & ſcorpij effigies ſubiecimus, vt arcta, quam mutuo habent, ſimilitudo contempletur.




circumuolutæ, à ſummo ad imum ſenſim deficientes, vt incedentis dryini corpus imitentur: quercus eadem illi origo, & remedium eſt, vt inde profectum malum, inde emanet remedium. Fructus ex omnium glandiferarum arborum genere, & tuſæ radices illitæ, ictæ parti auxiliantur, ex Dioſcoride. Herbariorum *biſtorta*, ſeu maius britannica, etiam *ſerpentaria*, & *colubrina* vulgo Germanis dicta, quod contortis ſuis radicibus, & in ſe reflexis, implexis & conuolutis, iacentis, & conuoluti anguis figuram oſtentant; ad viperarum & ſerpentum morſus vulgaris & peruagatæ neotericorum notitiæ, & multæ commendationis. Sic *bonus Henricus* etiam aliquibus *colubrina* dicta, quod eius radix inſtar conuoluti anguis contorqueatur: cuius vis aduerſus anguium morſus explorata. Eſt & Plinio dracunculus, cuius radix draconis conuoluti modo effingitur, vnde ei nomen: quem omnino habentes, angues fugiunt. Herbula, quam *holoſtium*, aut *ſilueſtrem coronopum* vocant aliqui, radicibus conſtat tenuioribus, contortis in anguis formam: ſerpentum morſibus mire præſtat, ab effectu & figura vulgo *ſerpentina* vocatur. Eſt herba vulgo etiam *ſcorzonera* dicta, quod ad morſum valet cuiuſdam ſerpentis, *ſcorzone* dicti, & ad eiuſdem anguis formam effigiata eſt; longitudo radici ſeſquipedalis, à ſummo craſſa, ſenſim in acutum turbinem deficiens, fuſci coloris, & eiuſdem ſerpentis. Nullo antidoto illius veneno occurri poteſt, quam huius radicis ſucco; eoque perlitæ manus impune ſerpentem tractare poſſunt; quin & qui eam præſumpſerint, fruſtra à ſerpente iciuntur. Africa ſerpenti & herbæ natalia præbet, vbi ſponte, & perennis prouentus, etſi apud nos fata viuat. Apud occidentales Indos alia eſt etiam herba, quæ ad ſerpentis conuoluti modum radicem ſortita eſt: cuius vis mira ad ſerpentum venena, recentiorum exploratu. Sunt & aliæ ſtirpes, quæ radicibus & fibrillis vermes ſimulare videntur, vnde nos ad tineas & vermes valere iudicamus. Gentiana minor radicibus conſtat numeroſis, albicantibus, rotundis, vti vermibus; tuſæ, & emplaſtri modo ventri impoſitæ, vermes, ſi qui inteſtino fuerint, procul dubio necant. Sic vulgare

dictamnum. Filix latas radices, longe vagantes habet; latas tineas succus pellit; sic costi, & chamelæonis radices. Sunt & quædam sublonga panicularum modo nucamenta, quæ squamatim compacta è ramis propendent, quibus grauidæ arbores intumescunt, germina parere gestientes, veluti prælongus vermis, vt indicet Natura ad vermes, tineas, & serpentes valere. Exempla. Corylum florere negant, sed floris vice quosdam in eo peculiares iulos erumpere; siquidem fructu iam caduco, callus vuæ modo magnitudine grandiusculi vermis pinguis emergit, singulari pediculo, quem vocant *iulum*: dehiscit ineunte vere, ac defluit quum folia prosiliunt. Simplex obseruauit rusticitas serpentes obtorpescere, qui coryli caudice, vel furculo fuerint icti, & tandem emori. Nux iuglans verni temporis initio, veluti quodam gestiente foliorum conceptu, panicula prælonga protuberat, dehiscitque flauens, statim quam frondem facere cœperit, nutans, caducaque prolabitur; præsumptæ nuces venena hebetant, quas qui plures ederit, eo facilius latas ventris tineas pellit. E castaneæ, siue nucis Euboicæ arbore propendent etiam nucamenta, etsi nuces aliqui appellitent, accommodatiores glandium generi, suarum arborum generis vires retinere arbitror: etsi tritæ cum melle, venenosis rabiosorum canum morsibus opitulentur. Negant aliqui florere pinum, & piceam; sed floris vice esse nucamenta illa, quæ *cittaros* Græci vocant; aduersus tineas firmissima materies: & pix priuatim cerastæ morsibus & serpentum cum sale illinitur, ex Dioscoride.

Flores, qui muscas, & papiliones ostentant, ad fæcunditatem valent; CAP. III. 16

Sæpissime in quarundam plantarum floribus fucos, apes, muscas, & papiliones, quam simillime ementitos videre occurrit, vt non modica lasciuia natura in iis depingendis lusisse videatur. Sunt enim eiusmodi animalia tam importuni, quam fœcundissimi prouentus; vnde virium & effigiei coniectura consentiente, ad fœcunditatem valere & eximiis viribus iudicamus. Pro exemplis afferemus flores cynosorchi, in quibus dependent quædã veluti animalia quadrupeda disten-

TERTIA *ſmilacis hortenſis figura ſuis floribus papilionem oſtentantis ſecunda & ſequenti orchidum apes & muſcas ſimilantium delineantur; infra illa eademmet animalia exhibentur.*



ſis, & diuaricatis cruribus; quod non niſi ad fœcunditatẽ valere diximus. In alterius ſpeciei floribus apes vidẽtur colore ſubnigro, candido & purpureo, aſilonẽ vel fucũ æmulantibus.

In tertia illorum specie flores effigiati sunt ex trib. exiguis superiorib. foliolis, & quarto inferiori oblongiore, colore in purpura tristi, subnigro, nonnihil variegato, cuiusdam muscæ corpora similia, vnde omnes insecta hæc referunt fœcunda, lasciuaque: ob id orchides, homines ad fœcunditatem & lasciuiam inuitantes, Serapidis nomine donarunt Alexandrinorum Dei, cuius olim templum cantibus, choreis, & lasciuiis apud Strabonem colebatur. Accedunt & nonnullorum leguminum flores, muscæ, & papilionis effigie, Venerem & fœcunditatem etiam conciliantes. Pisum flores papilionis forma circa vmbilicum purpureos galeatos habet. Nec longe à iam dicto fabæ flos abit, cristatus, purpureus, variisque punctulis variegatus. Smilaces hortenses, siue phaseli papilionis effigie flores gerunt. Cicer eiusdem effigiei, vt superiores affert; quæ omnia Venerem irritant & augent.

Plantarum partes, quæ varia animalia demonstrant, ad eadem valere, ad quæ animalia ipsa; CAP. IV.

SVBNECTEMVS & quasdam plantarum partes, quæ etiam integra demonstrant animalia; & vt ad exempla deueniamus, ex Theophrasto habemus. Non desunt quæ forma quadam peculiari spectentur, vt radix polypodij hirsuta, & acetabulis cauernosa, ceu polyporum cirri, vbi quis eam contigerit; polypum nasci affirmant, & inferius purgare apta est. His verbis videtur Theophrastus Phytognomonicam docere: sed quid vltima verba illa sonent, nemo est opinor, qui se id scire audeat; sed autumno ad polypum morbum sanandum optimum esse remedium: vidimus enim multoties mulieres ad pueros, in ima sede polypo morbo vocato obsessos, polypi decoctione vsas, mirabili remedio, voti compotes exstitisse; vidimusque apud Plinium, arida farina naribus indita polypum morbum consummare, loquens de eiusmodi polypodio. Quod & polypus aluum subducat, apud Athenæum Diphilus ait. Polypus si abunde estur elixus, humefacit ventrem; sæpiusque mihi comedenti subduxit aluum. Quicquid numerosa congerie aculeorum stipatur, echinus dicitur; sic dictus,


dictus, quod globoso spinarum agmine marinum herinaceum metiatur. Armatum castaneis echinato calyce vallum est: dipsaci caput echinatum traditur; carduis muricata sunt cacumina, & multa herbarum genera sæuis minantur aculeis. Castaneæ vehementer ventris & stomachi fluxiones sistunt, & sanguinem excreantibus prosunt; menses supprimunt, & rabiosorum canum morsibus imponuntur. Auicenna ad fluxiones viscerum herinaceis animalis carnes vtiles dicit. Albertus ad dysenterias: sic ad alopecias, lepras, sordida vlcera, & similia. Histrix eodem aculeorum vallo armatur; genus pilorum quoddam putatur Aristoteli, nec horribile, aut rigidum quicquam conspici potest, ac histrix; ab aliquibus *montanus Herinaceus* dicitur, & montanus melior domestico est, magisque iuuat; & Plinius, quæ de herinaceis dicuntur, eo magis valebunt in histrice. Dioscorides terrestris, & marini echini easdem facultates putat. Sed longum esset recensere echinata capitula; marini, & terrestris herinacei mutuas facultates ad venenatos ictus, lepras & eiusmodi similia. Psyllium in cacumine fert capitulum, in quo semen nigrum, nitidum, & durum, vere pulicem ementiens, ob id concinna nomenclatura ei à pulice adaptata est. Fama est apud Dioscoridem, si virens in domum importetur, non sinere in ea pulices signi Ricinus herba nomen habet à seminis effigie; semen enim corticibus exutum, ricini animalis effigiem tam proxime repræsentat, vt si vita adesset, plane ricinus videretur. Animal est liuidum & fœdum, quod canibus, bobus, capris, aliisque quadrupedibus adhæret, nec prius decidit, quam sanguine saturatum. Huius plantæ semen ignes sacros restinguit, quod & animal ricinus facit, ex Plinio. Vrtica herba mordax est, & pruriginosis aculeis tangentes vexat; vrtica vero marina contacta etiam vredinem concitat, terrestris vrticæ modo, & qui eam venantur, nisi manum præunxerint, reuera dolore afficiuntur; pruritum tactis pudendis & manibus excitat, sopitamque Venerem vellicat acrimonia sua, & præsertim quæ pilei forma est, & sicut diximus, terrestris vrtica etiam torpentem excitat Venerem. Marina scolopendra terrenæ simi-

lis est, ex Aristotele, animalia sunt, quæ numerosis incedunt pedibus: Dioscorides in oleo decoctam, & illitam capillos euellere dixit. Hedera per parietes reptat, arboresque radicosis pediculis, quasi scolopendra numerosis: cuius lachryma psilothrum est. Inter cyclamini nomenclaturas chelonium est, quum testudinis formam radix ipsa referat. Hippocrates lib. De morbis mulieribus subdititiam glandem instituit, quæ inter cætera testudinis marinæ cerebrum recipit, vt aperiat vterum, & mortuum fœtum extrahat; arido sanguine ad vipereos morsus vtuntur Paulus Ægineta & Aetius. Pes eius dexter super pedem podagrici dextrum, & sinister supra sinistrum, expellit podagram, & similiter manus ex Rhasi, & Constantino. Cyclaminus, si mortui sint in vtero infantes, protinus reddit sine vexatione puerperæ adalligatus: medetur & podagræ morbo; & contra serpentes omnes bibitur, & alia quæ tædet referre. Rapunculus, siue rapulus dicitur, quod paruum rapum præseferat; est enim pollicis crassitie & longitudine, rapi in morem in medio nonnihil ventricosus: ab Auicenna *locusta*, vel *pes locustæ* dicitur, quod videlicet ad locustæ animalis formam sit cum suis appendiculis: Locustæ vrinæ difficultati adiuuant, & serpentum morsibus; rapulus vero ad serpentum ictus, ex Plin. & ad difficultates vrinæ proprio experimento. Est & in mari quædam planta, vno pediculo dependens, extrema sui parte vuæ flores optime expressos refert, ob id vulgo dicta *vua marina*; cuius vis est, vt in vino putrefacta, iis, qui inde biberint, tædium vini afferat; ex Plinio. Sic ex putatis vitib. emanans aqua, ex Democrito, vini tædium affert. Apud Tartaros plantam reperiri audio, cuius fructus agnum per omnia refert; obducitur is tenui pelle, qua vtuntur incolæ ad capitum tegmina; interna pulpa camari carnem refert, & è vulnere succus manat dulcis, & sanguini similis; radix humo eruta subfrigitur vsque ad vmbilicum. Illud insuper additur, quandiu obsepitur herbis, viuere illum quasi agnũ in læto pascuo; euulsis vero, paulatim macrescere. Accedit quoque id mirabile à lupis appeti, & vorari, quod non vereor ad id valere, ad quod agnus.

Plantæ, quæ maculosas serpentum pelles ostendunt, contra eorum morsus valent; CAP. V.

DIXIMVS quæ integra referebant animalia, nunc quæ partes; & primo extimas, siue pelles: nam aliis maculosæ, villosæ, glabræ, squamosæ, & eiusmodi similes. A maculosis exordiemur, & quæ serpentum effigiem ex omni sui parte conspicuam reddunt, vnde coniecturæ indulgendo, istud Naturæ specimen fuit, vt doceamur, deterrimo serpentum detrimento maximo hoc emolumento occurri posse. Sed exempla adeamus. Serpentaria maior, siue dracontium recto surgit caule, glabro, & polito, extima sui parte maculis fuscis, pullis, puniceis, giluis, transuersis, oblongis, & fortuitis vipereis, adeo serpentum exuuium exprimens, vt eminus repente intuenti, terrorem incutiat: Dioscorides folia manib. affricta, aut radicem vmquam à vipera feriri posse inficiatur. Partum etiam ab ortu vitiat, quod etiam suo occursu vipera facere solet. Est & draco marinus, qui dorso varij coloris est, ex fusco, & albo, & aculeos in branchiis habet letales, lædit q; dum manu tollitur, cuius ictus, carnibus eius impositis sanantur. Et Athenæus, libro de iis, quorum venenatus est morsus, ait, murænas, quæ ex mare vipera genitæ sunt, morsu interficere; ipsas vero esse minores, rotundas, & maculis varias. Alter etiam dracunculus læui caule, baculi crassitudine, versicoloribus anguium maculis variegato, purpureis intercusantibus lienis, vt plane serpentis habitum, coloremque mentiri videatur; admirabilis Naturæ miraculum, nos admonentis, vt qui radice sua manus linirent, à vipera feriri posse negent; & triginta eius grana si in posca bibantur, abortum inferunt; odor enim postquam emarcuere floccidi flores conceptus adhuc teneros enecat. Quin & aliam plantam in Lusitania se cognouisse fatetur Plinius, in hospitis agro nuper ibi repertam, eiusdem nomenclaturæ, caule pollicari crassitudine, bipedali altitudine, versicoloribus viperarum maculis insigni; quem ferebant ad primas serpentum vernationes exire, spectabilis hiantis draconis ore, & concauo; mina, quasi serpentis linguam exerit; capite cruentato,

PRÆSENTI *figura ad maculosas serpentum pelles indicandas, allium anguinum, arum, arisarum, & draeunculum solum depinximus; ab re enim fuisset, maculosas herbas horum gratia delineare. Infra marinum draconem, & colubrem maculosum ita expressimus, vt ad manus viui occurrêre.*



eiusdem cum primis virtutis: nos sæpe in Pausilypi colle obseruauimus: Aron etiam subpurpureum caulem mittit, variis quoque insignitum serpentum maculis: dracunculi vires obtinet: partum occursu vitians. Ophiusam tradit Plinius, Elephantine Æthiopiæ, liuidam, difficilemque aspectu, qua pota terrorem, minasque serpentum obuersari, ita vt mortem sibi eo metu consciscant; ob id cogi sacrilegos illam bibere. Inter allij genera *ophioscorodon* dictum à caule, foliisque serpentariæ modo maculosis, quod tam proxime vrsinum delineat, & redolet, vt qui non visum iam nosse cupit, hoc spectet. Galenus satiuo validius esse dixit; serpentes abigit odore, bestiarum omnium ictibus medetur potu, cibo, vel illitu, priuatim hæmorrhois. Sunt & in fructibus viperarum maculæ; in siluestris enim lupini semine guttatim, & fortuito aspersæ maculæ pullæ, & cinereæ, vere serpentum designationi satisfaciunt: contra aspidas valet.

Maculosas plantarum partes, quæ animalium maculosas pelles ostendunt, eorum vires indicare; CAP. VI.

SVNT & aliæ plantæ, quæ frondium & caulium maculis, maculosas animalium pelles ostendunt, & simul virium cognationes nobis indicant, muta scilicet pictura internas proprietates indicando: vt hisce exemplis manifestabimus. Est & persicariæ folium litura maculæ modo conscriptum, quæ cornicularis Lunæ imaginem refert, quod à scriptoribus omitti non debuerat. Maculosa pelle panthera est, traditque Plinius in eius armo dextro similem Lunæ maculam, crescentem in orbes, & cauantem pari modo cornua; cuius seuum, ex Alberto, ad impetigines valet; & hydropiper persicariæ congener, sugillata delet. Sunt & aliqua orchidum genera maculosis frondibus, quæ lynceas pelles referunt. Virgilius;

Succinctam pharetra, & maculosæ tegmine lyncis.

Vngues lyncum cum corio exuri efficacissime in Carpatho insula tradunt, cuius aspersu fœminarum libidines inhiberi, ex Plinio: diximus orchidum altero teste Venerem reprimi. Dracunculum herbam, *hieracium* vocat Dioscorides à maculis, quibus caulis insignitur, accipitrem repræsentando,

qui in pectore tali modo maculosus est. Accipiter laudatur ad inunctiones omnium in oculis vitiorum, & dracunculi succus, ex Dioscoride ad oculorum medicamenta accersitur. Cyclaminus varia habet folia, infra supraque albicant maculæ; Scincus tenias albas, fuscas, latiusculas, vel albis punctis depictas, collum fuscum, caput & cauda albicat. Scribitur ad natoria valere; quod etiam de cyclamino tradit Theophrastus, & vterque ad cutis vitia valet. Bliti genera versicolora, ex viridi, flauo, & rubido colore distincta habet folia, vt vere psittaci pennas imitetur; qui ad idem valet, ad quod anser, qui contra venena, & præsertim scorpionis præstat: diximus etiam ad ictericos, quod etiam præstantissime exsequitur blitum. Rubeta etiam ex subpallido, viridi, & croceo colore est: sistit naturæ dote cruorem; quod præstat & blitum. Sunt & piscium turdorum genera, colorum varietate distincta, vt in iis natura lusisse videatur, maculis nigris, rufis, aureis, flauis: turdi aluo faciles, & abstergentes. Mentiuntur etiam & testudinis corticem, flauo, nigroque interlitum: valet testudo ad compescendos sanguinis fluores, quæ omnia de blito diximus. Chamæleoni nigro folia rubro distincta sunt: inter picarum genera multa sunt, quæ rubris maculis insigniuntur: valent ad dentium dolores. Pratense trifolium vnum, & alterum guttatis & falcatis in superficie foliorum maculis, videntur stellionis maculas imitari; terga enim depicta habent circulis in modum stellarum pullis. Ouidius 5;

Combibit os mãculas, &c. aptumque colori
Nomen habet, variis stellatus corpora guttis.

Si ablatis intestinis & capite, & pedibus assatus edatur, valet dysentericis, & hydrocœlicis, ex Plinio: trifolium muliebribus profluuiis valere diximus. Ardea ἀστερίας, siue stellaris dicitur, quod punctis tanquam stellis eleganter picta distinctaque sit: est & rana etiam stellaris, & ad oculorum vitia valet. Ari folia distincta sunt maculis, valent ad albugines oculorum & caligines. Betulæ cortex albis interlitus maculis, vt videatur sturnum imitari; impetigines, & faciei maculas vterque abstergit.

Squamosas plantas serpentum squamas ostendentes, contra eorum ictus remedia afferre; CAP. VII.

SVNT & plantæ quæ radicibus, fructibus, caulibus, aliisque partibus squamosis, squamosa serpentum dorsa ostendunt, eorumque venenis aduersantur; præstant quoque contra virulentos squamosorum piscium ictus; nam & pisces, vt diximus, aduersus suos ictus valent. Cedrus arbor vasta, conos affert squamatim compactos: cedria cum sale imposita cerastæ morsibus subuenit, & antidotis additur. Pinus lignosos conos affert, in turbinatam effigiem compactilibus squamis effictos, eademque squamarum serie nouellorum ramorum cortices vestiuntur; serpentibus aduersatur, & priuatim ad cerastæ morsus pix cum polenta valet, ex Plinio. Picea eiusdem generis, faciei, & virtutis; Idemque de larice, cupresso & aliis similibus existimandum. Iuli, qui compactili squamarum callo propendente corylis, iuglandibus, castaneis, & similibus ad eadem valent. Erice squarosо folio est; folium aduersari serpentib. scripsit idem. Myrica eodem folio, confert vipereis morsibus. Plinius omnium serpentum ictibus, præterquam aspidum mederi dixit. Eryngium capitula muricatim squamosa profert; clara erynge est, contra serpentes, & venenata omnia nascens. Vterque chamæleo capitulum affert, foris squamulis sibi imbricatim incumbentib. compactum; haustum in vino serpentium venenis resistit. Semperuiui genera numerosa folia gerunt, squamatim digesta: aduersantur phalangiorum ictibus, & scorpionum. Scabiosa capitula affert compactili squamarum ordine contecta: ad venenosorum serpentum morsus præstat herba ipsa contusa, & recens imposita. Cyanus flores affert à squarosо calyce: à scorpione, phalangioue ictis, omnibusque venenatis auxiliatur. Origanum onitis spicam affert, in quo semen squarosum, cum vino potum demorsis à serpente conuenit. Eodem modo suam triticum affert spicam: furfures pollent ad viperarum morsus. Radix Celticę nardi squarosa, vel tuniceis squamulis obsita, & spicatim digesta, ad venenosos ictus valet, ex Dioscoride; sic allij, & lilij. Pisces qui squamosi sunt, ad serpẽtũ, &

venenoſorum vulnera valent, vt gobius, thynnus, mullus, ſmarus, coracinus, & cæteri.

Villoſæ plantæ villoſas animalium pelles oſtentantes, eorum virtutum compotes ſunt; CAP. VIII.

VARIA pilorum genera in plantarum foliis, varia animalium oſtendunt indumenta; vnde argumento nobis eſſe poſſunt ad eorum virtutes indagandas. Exemplo nobis erit vulgo *piloſella* dicta, quæ denſiori, molliorique pilo veſtitur, videturque leporis pellem ementiri, qui piloſiſſimus eſt, & ſolus animalium pronam, ſupinamque pedum partem hirſutam habet: vnde *daſypodis* nomen: leporis ſanguis dyſentericis, cœliacis, menſtruorumque profluuiis, prodeſt, ex Dioſcoride; & lien ad lienis tumores, ex Galeno. *piloſella* dyſentericis, alui profluuiis, cœliacis, & lienis tumoribus valet. Verbaſci frondes bombaceo tomento veſtiuntur, cana, denſaque lanugine, vulgo vocant *taxum barbatum*, quod taxo animali aſſimiletur, cuius dorſum villis obducitur albis, nigris, & duris; vnde & duæ priores ſpecies à Dioſcoride deſcriptæ, quia ſcabrioribus foliis veſtiuntur, nec tactu mollibus, taxi pellem referunt. Taxum ad ſanguinis proiectiones valere, ex Sereno videmus; adeps ad compoſitiones arthriticas miſcetur, ex Leonello. Verbaſcum propinatur ruptis, & fractis, ex Dioſcoride: eius decoctum aduerſus neruorum morbos, & tremorem. Inter verbaſci nomenclaturas eſt *lupina cauda* à pilorum molli lanugine, quam imitatur. Iecur lupi tuſſim ſanare ex vino tepido tradit Plin. Præterea ſi eius corio conſtringatur venter colica laborantis, ægerque ſæpius corio inſideat, prodeſſe multum ſcribunt Rhaſes & Albertus. Verbaſci decoctum & tuſſim ſanat, & flores in puluerem triti, contra ventris tormina, & colum dantur. Lychnidi folia flaccida, craſſa, tomentoſaque ſunt, vt æthiopidi, murium pilos exprimere uidetur: mures domeſticos conciſos ſcorpionum plagis vtiliſſime imponi inconfeſſo eſt Dioſcoridi, Galeno, & Auicennæ; ſic lychnis à ſcorpione ictis ſubuenit: immo huius herbæ appoſitu ſcorpiones torpeſcere, & inertes prorſus reddi. Adiantū aliqui non venereum,

sed *porcinum capillum* vocant, vel *caudam porcinam*, nimirum quod coliculi instar setarum suis rigeant, vt vetus Auicennæ glossographus notat; diximus adiantum ad fluentes capillos, & alopeciam valere, quod idem exequitur suilla axungia ex Plinio, & Ægineta. Anethum Magi *cynocephali genituram*, vel capillos vocant, vt inter nothas Dioscoridis nomenclaturas habetur, quod instar capillorum canis foliola distẽsa habeat. Aetius anetho sicco vsto morsum canis explet, si cauus & angustus sit. Herba traditur à Plinio laniaria dicta; ouibus ieiunis data, lactis abundantiam facit: vellera enim vt ouis habet. Rubus foliis, & cute spinosis est; & ad oculorum vitia valet. Raiæ spinoso dorso sunt, cauda, rostro, oculis, & deniq; corpore: ad oculorum cicatrices, & suffusiones valet earum fel. Multæ sunt plantæ, quę crispis foliis oriuntur, vt struthio cameli pennæ, & columbarum. Myrrha crispo est folio, ex Theophrasto: ad oculorum vitia valet; nam tollit albugines & caligines, ex Dioscoride; in struthionis ventre inciso inueniuntur lapilli, hi quidem ad oculos salutares sunt, ex Æliano. Euphragia crispis item foliis, & ad visus claritatem valet. Costus item, & neruorum resolutionibus illinitur: struthionis adeps, ex Æliano, hominum neruis salutare remediũ affert. Apij genus crispifolium Theophrastus facit, præsertim Macedonium, cuius decoctum calculos exturbat; semen & radix cum melle ad claritatem valent oculorum: struthionis interior ventriculi cortex calculos dissoluit, ex Rhabi Mose.

Plantæ lignosis fructuum tegminibus, lignosas & lapidosas animalium pelles indicant; CAP. IX.

SVNT & inter plantarum fructus qui lapidosis, vel lignosis conis clauduntur, ostendentes animalium pelles, siue coria lapidosa, duraque, quæ videntur contra serpentum venena valere: nam crocodilo cutis corticosa, præduris squammis ostrearum modo obducitur, adeo firmis, vt ictus quouis tormento adactos, inuicto tergore repercutiant, cuius partes contra serpentes valent. Sic testudo, testatum animal, duro & rigido cortice ambitur, contra venena valet. Ostrea, vel ὀστρακόδερμα dicta, omnia contra leporis marini virus, & om-

nium venenatorum. Nucum genera omnia clauduntur ligno. Pinus lignosis metis frequenti nucamento compactis, suos fructus obducit; sic pinaster, picea, & ceraſtæ morsibus opitulantur. Iuglans lignoso protecta munimento, & venena hebetat. Eodem modo auellana ligneo putamine claudit fructus: contra scorpiones & serpentes noto experimento valet. Amygdalus nuces suas durissimo protegit operimento, & operitur callo. Pistaceis sub corio ossei fructus, eosdem effectus habere Dioscorides dixit, quos pinei fructus. Cedrelates fructus, siue eius coni lignosi, ceraſtæ morsibus, & marini leporis veneno occurrunt; sic & cupressi pilulæ lignosæ, venenatis prosunt; sic de castaneis, glandibus, & aliis dicere possumus. Punici malum glabrum est, & membrana tegitur, malicorium dictum: soli hiat cortex, aperiturque leuissima vel aëris iniuria. Elephanto nullo setarum tegumento; glabra cutis, cancellata vel hians, muscas odore alliciens, & arctans repente, in rugis comprehensas enecat, adeps ad serpentum venena valet, idemque illi conuenit.

Fructus, & flores animalium capita indicantes; 1

CAP. X.

DIXIMVS de pellibus, nũc à capite membrorum omnium principe incipiemus, scilicet flores & fructus aliquos connumerando, qui quorundam animalium ora & capita indicant. Exempla. Echio inter folia flos purpurat, & in eo clauditur semen viperæ capitulo simile, exilia ora, & luminum vestigia effigians: Dioscorides contra serpentes folia iniici vulneribus, & commanducari quoque præcipit, vel qui antea sumpserint, feriri non patitur; contemplari quippe licet semen paulatim à ceruice in rostellum extenuatum, tumidiore superna parte, vt quædam prominula, quasi oculorum lumina appareant; quod oculis quiuis inspiciens, contineri non poterit, quin summam Dei prouidentiam laudet, eiusmodi herbam viperina forma effigiasse, quod ad suos morsus præstantissimam afferret opem. Nicander refert *Alcibiacam* nominatam, quia quum Alcibius secus areas obdormiret, à vipera extremo inguine ictus, ex hac herba succũ extorquen-

do & manſit, & reliquum vulneri ſuperimpoſuit, quo medicamento liber euaſit. Non paruæ auctoritatis Numenius aliud echij genus reperiri ſcriptum reliquit, *ocymoides* appellatum, quod ocymo ſimilia habeat folia; quod ſane idem ſcripſerat Nicander, quibus Dioſcorides & Plinius aſcribere videntur; qui & ſemina proferre ſcripſerunt, quorum capitula viperinis capitulis ſimilia eſſent; vimque habere in vino potum, quo viperarum cæterarumque ſerpentum morſibus mederetur. Silueſtre *antirrhinon* capitula profert in ſummo perforata, quaſi in ſumma humanæ caluariæ parte foramina oculorum loca oſtendant; videturque à Dioſcoride memoratum in phyteumatis deſcriptione, inquiente; Phyteuma habet fructum perforatum, &c. quæ ſilueſtri antirrhino perfectiſſime quadrant; & quod hominis figuram repræſentet, ad philtra accommodatum perhibet. Inter ciceris genera κριὸς eſt Græcis dictum, Latinis *arietinum*, quod arietino capiti ſimile ſit, frontata effigie, & angulo aliquantulum mucronem æmulante; Venerem ſtimulat, & genituræ copiam ſubminiſtrat: quare admiſſarij equi, quo tempore vocantur à fœminis, cicere ſaginantur, vt in eo cibatu roborati, Veneri ſuperſint. Arietes, vt diximus, maxime luxurioſi, vt per libidinem efferantur, & Veneri ſuffragentur. Alterum ciceris genus *columbinum* appellant, candidum, rotundum, & leue, quod columbino capiti ſimile, & *venerium* quoque vocatur, quod fortaſſe Veneri, vt alterum opitulentur: & columbæ ſalaciſſimæ ſunt. Pſyllium *cynomiam* & *cynocephalon* dictum à cane, inter Dioſcoridis nomenclaturas, à quo Plinius: Pſyllium, alij *cynoides*, alij *cynomiam* appellant, foliis canino capiti non diſſimilibus. Sed puto mendum in textu; quippe flores, non folia canino capiti ſimiles ſunt. Canis ſtercus potum, hydropico vtile, ex Sexto; nam ventri illitum aquam trahit; fel lenit podagras, pedibus illitum, ex Plinio: pſyllium hydropicos in vino ſanat, & podagras refrigerat, ex eodem. Napelli planta flores in ſpica purpureos oſtendit, qui antequam dehiſcant, defuncti hominis caluariam oſtentant, benignitate Naturæ, vt huius cadaueris ſimilitudine homines ab illius

plantæ esu, & vsu auertat; adeo pernecabilis, & acriori veneni vis est, vt vix antidoto aliquo succurri possit; nec solum esu, sed manibus attrectata, quoad coalescat, mortem afferat. Dictum putant ἄρκειον, quod semen rotundum, villosis, hirtis, echinosisque pilis, vrsini capitis similitudinem habeat, & sic verisimilem nomenclationem accepit: Dioscorides ambusta, & perniones eo sanari scripsit: vrsinus adeps ambustis prodest, & pernionibus addito alumine, ex Plinio. Quum rostri gruini capitis effigiem proferrent, quamplurimæ plantulæ, geranij nomen obtinuerunt; flores enim proferunt, qui defluentes, rostratos mucrones, aut acus è latiore basi in rectum desinentes, relinquunt. Pes columbinus, eius species, ad intestinorum tormina experti sumus. Quæ maluæ folio cernitur, ex Plinio reficientibus ab imbecillitate vtilissima, opisthotonicis etiam medetur. Grues torminosis in cibo prosunt, rigor ceruicis gruina adipe mollitur velocissime, ex Marcello; negantque illos vllo labore lassescere, qui neruos ex alis & cruribus gruis habeant. Multæ sunt huius familiæ herbæ rostrum in pericarpio habentes.

Animalium cornua ementientes herbæ, & quibus præsent;

CAP. XI.

POST caput, de cornibus dicemus & de cristis; non desunt enim plantis siliquæ, vel vaginulæ, quæ nonnunquam sinuentur in cornua: contingit idem floribus, fructibusq;. Cornua quidem multis aquatilium, marinorum & serpentium variis data sunt modis; sed quæ iure cornua intelligantur, quadrupedum generi tantum. Nec alibi maior Naturæ lasciuia lusit animalium cornibus. Sparsit hæc in ramos, vt ceruorum, & iis etiam simplicia, vt subulonibus ex argumento dictis; aliorum finxit in palmas, digitosque emisit ex iis, vnde platycerotas vocant. Dedit ramosa capreis; conuoluta in anfractum arietum generi; infesta tauris; rupicapris in dorsum adunca; damis in aduersum; erecta autem, rugarumque ambitu contorta, & in leue fastigium exacuta strepsiceroti; aliis singula, & hæc medio capite, aut naribus, vt rhinocerotibus; aliis adunca, aliis reduncа, omnia in mucronem migrantia.

Cochleis ad prætentandum iter; corporea hæc, ſicut ceraſtis, cochleis ſemper bina, vt prætendantur & reſiliant. Nec minor variis ſiliquarum generibus in ſeminibus cuſtodiendis, procreandiſque naturæ laſciuia, quæ ſicut cornua rigent, vel intorquentur ſingulis, ac falcatæ corniculantur; nam aliis latæ, intortæ, longæ, incuruatæque ſunt, vt videbimus. Exempla erunt. Cytiſo intortæ ſunt ſiliquæ inſtar caprarum cornu; Columella ſcribit lactis plurimum præbere ouibus; & mulieres ſi lactis copia premantur, vino eis potandum datum, lactis abundantia confirmari, & ſuper omnia pecori medicinam à morbis omni vſu præſtare. Capras & oues plurimum lacte abundare dixit Ariſtoteles lib. Problematum, proportione ſui corporis; & eius caſeum commanducãtibus lac præbere demonſtrauimus ſupra. Alterum tragum τραγόκερως dicitur, id eſt, *capræcornu*, quod eis aſſimiletur: valet crudũ, coctũq; contra ſerpentes, hircinuſque ſanguis ex Dioſcoride, & aliis idem præſtat. Medica trifolium ſiliquas, corniculorum modo intortas habet, quo pro gramine vtuntur, qui pecora alunt, ex Dioſcoride; & Columella præſtantiſſimum ait pecoribus ad lac, caſeum, & generationem. Terebinthus fert quædam ad nucis ſimilitudinem concaua, vt vlmus, quibus beſtiolæ tanquam culices naſcuntur, ex Theophraſto; ſed quæ ipſe concaua vocat, cornicula ſunt capris ſimillima. Terebinthum Venerem excitare diximus, quæ in hirco capraue præſeruet. Piſtaceorum arbor, quæ terebinthus domeſtica eſt, ad idem valet. Lentiſcus eodem modo, eadem fert cornua, & eiuſdem facultatis. Et ſena folliculos ſuos lunatos habet inſtar caprarum cornu; & Meſue ſena per inferna bilem atram expurgat, cerebrum & viſcera extergit, auget virtutem, ſenium retardat, animique hilaritatem affert, corroborat oculorum aciem, morbiſque omnibus valet melancholicis; epilepſiæ etiam prodeſt. Capræ lac datur melancholicis, comitialibus, ex Plinio, & luſcioſis confert.

Caſia ſolutiua cornicula affert nigra, intorta, & quodammodo rugoſa, vt caprarum cornibus non parum conueniant: propinatur ægris cum caprino ſero, propter ſimiles proprie-

tates, & renes à calculis expurgat. Consimilis facultatis siliqua priori congener, quum nigras & falcatas ferat siliquas. Anagyris simili modo contortas habet siliquas : si partus mortuus hæret, & secundæ morentur, difficulter parturientibus adalligantur, ita vt à partu statim auferantur; quod quidem capræ secunda efficit, ex Plinio. Hedysaron semen affert in siliquis, corniculorum modo aduncis; additur ad antidota, quod idem de capra diximus. Herbam vulgus vocat *sferra cauallo*, etiam ad eiusdem similitudinem cornua exserit, & easdem facultates habet. Verum non capræ, sed rupicapræ similitudinem exprimit, id est, silvestris capræ. Sertulæ campanæ fœminæ adunca est siliqua, præcipue oculis medetur; silvestris capræ fel ad oculorum vitia valet. Cuminum silvestre cornicula fert adunca; semen contra venenatas bestias, & calculosos valet. caprarum fimus ad calculos, & silvestrium ad morsus venenatos. Genista lunatis siliquis calculos exturbat; calculos etiam silvestris fel capræ. Smilax hortensis ad vrinam valet; caprinus sanguis ad vrinæ excretionem, vt hydropicis conferat. Aphaca ad venenatos morsus valet. Vicia eadem siliqua, & virtute. Phasioli Venerem stimulant; faba, & pisum iisdem vaginulis, & facultatibus. Fœnumgræcum cornicula affert oblonga, rotunda, incurua, acuminata instar boum, in quibus semen concluditur, Græcis κερατώδης, velùti *cornuta* herba, & βόκερως, *bouis cornua*; Hebræi etiã bubulũ cornu vocant à similitudine bouini; è summis partibus bubuli cornu cinis tussim frenat, ex Plinio : fœnigræci farina ad diuturnam tussim valet : bouis cornu ea parte, qua capiti adhæret puluis splenetico, salutem affert, Marcellus; fœnumgræcum decoctum ex vino impositum, eidem medetur; sic podagris, & sexcentis aliis morbis mutuo ferunt opem. Papauer κεραπώδης cornicula exigua inflexione fœnigræci modo intorta habet, vnde nomen mutuatur, vt bouis cornu videatur : argema & nubeculas iumentorum abstergit perunctum, ex Dioscoride & Galeno : fel, & substantia quædã fellea lapidea, quæ in bubulo felle reperitur, ad oculorum aciem valet, ex Plinio : papaueris folia vlcera maligna purgant, ex

SVPERIORES *plantarum figuræ ad subiecta animalium cornua spectant; anterior coronopi, ceruorum posterior fœnigræci, bouis; sequens ari, monocerotis; postrema cytisi, capræ cornua simulantes, singulæ singulis è regione respondentes, vt diligens intuitor eas prompte & mutuo conferat, & perpendat.*



Galeno; ad idem taurinum fel valet, ex Dioscoride. Leucoion

ceratici papaueri & fœnugræco siliquas teretes, & obtortas similes affert: podagris medetur taurinus adeps ex Plinio, & fel menses trahit ex Hippocrate : leucoii flores menstrua cient, radices podagricos iuuant, ex Dioscoride. Fructus chelidonij maioris instar cornuti papaueris, longus & teres, qui ad visum, regium morbum, herpetas, & iumentotum albugines, & dolores dentium valet, ex Plinio; scobs tali bouis ad dentes, ex Galeno; fel ad regium morbum, ex Hippocrate, & reliqua vt in superioribus. Dicitur & tribulus *tauroceros* & *bucephalon*, id est, bubulum caput, & cornu taurinum, quibus nominatus est inter nomina Dioscoridis : vaccina medulla ad oris vlcera; & quercus cortex decoctus lacte vaccino serpentum morsibus valet, ex Plinio; & stercus ad phlegmonas ex Galeno, & ad acutum visum, ad quæ omnia tribulus valet, ex Dioscoride. Coronopus, seu *herba stellaria*, à multis cornu ceruinum dicta, quia incisiones instar ceruini cornu habet: cerui sanguis inassatus cœliacorum profluuia sistit; coronopus pro cœliacis facit, ex Dioscoride; sic & cornu ceruinũ vstum, & lotum ad idem, ex Galeno. Cerui cornu ferulacea omnia mentiuntur, & contra venena valent, vt diximus primo libro. Monoceros, si Philes, & Ælianus vera produnt, fera est è cuius frontis medio cornu protenditur, non incuruum, sed plane rectum; fera & solitaria est, sed coitus tempore mansuescit, & fit gregalis; virginum odore allectus, in earum sinu caput inclinat, & capitur : eius cornu venenis resistit, & comitialib. prodest. Sinapi rectam siliquam profert; prodest comitialibus, venenatis morsibus, & Veneri. Eruca Veneri, & venenatis item morsibus, ex Plinio. Brassica, napi, rapum siluestre, & satiuum. Dracunculus ex flore punicante mucronatum corniculum exserit : Arum etiam mucronata in turbinem vaginula semina complectitur, eiusdem cum prædictis facultatis. Sic & flos grani Indici, siue *mayz* antequam semina proferat. Alleluya rectis, longis, & rigidis vaginulis ad serpentum morsus, & comitiales, & ad venenum, ex Plinio valet. Geranij rostra etiam contra venena valere alibi diximus. Rhinoceros supra imum nasum habet cornu, recentio-

rum

rum experimento contra venena valere fertur. Piperaſtrum piperis vires habere diximus, oblonga ſiliqua, pyramidali, acuta:& piper ſerpentum morſibus auxiliatur. Auenæ in cacuminibus dependent paruulæ, veluti bipedes locuſtæ, vtilis ad cataplaſmata, vt hordeum: pulte eius ſiſtitur aluus, prodeſt tuſſientibus:cochleæ adduntur emplaſtris, Plinius & dyſentericis vtiles ait.Frumenti genera fere omnia grana ferunt ariſtis horrentia,imitanturque cornua cancrorum, & præcipue,quæ ante oculos habent:rabioſis canis morſibus,& viperarum præſtant,vt etiam frumenta.Aſtacus longiora,tenuiora quam locuſta habet; leones vtique duo longiſſima,ſquillæ è medio bifida, vt ex duobus quatuor fiant. Cancelli, vt frumenta venenatis ictibus medentur: cruſtata etiam prædicta ad Venerem valent,vt ceres, oryza, ſecale, zea, hordeum & reliqua. Etſi inter ſcillas ſint aſtaci, cancelli,& cammari,qui quatuor habent cornua; ſunt & frumēti genera,quæ in duos, vel quaternos verſus ariſtas diſpoſitas habent:cochleæ etiam podagris conueniunt, quibus & triticum. Sex. Pomponius prætorij viri pater,Hiſpaniæ citerioris princeps, quum horreis ſuis ventilandis præſideret, correptus ore podagræ, merſit in triticum ſeſe ſuper genua; leuatu ie ſiccatis pedibus, hoc poſtea remedio vſus eſt, ex Plinio

Flores & folia, quæ animalium criſtas effigiar CAP. XII.

IN capite paucis animalium,nec niſi voli ibus,apices dati ſunt,diuerſi quidem generis;pauonibus crinitis arbuſculis, ſtymphalidæ cirro; phaſianæ, corniculis; præterea paruæ, quæ ab illo appellata *galerita* quondam, poſtea Gallico vocabulo etiam *legioni* nomen dederat alauda. Fulicarum generi cirros, pico Martio, & grui Balearicæ, ſed ſpectatiſſimum inſigne gallinaceis, corporeum, ſerratum,nec carnem id eſſe, nec cartilaginem, nec callum iure dixerimus, verum peculiare.

Inter nothas Dioſcoridis nomenclaturas fumarię generum corydalion eſt. & Galenus libro Medicamentorum vndecimo, eiuſdem corydalis capni meminit, cuius flores criſtati, turbinatiq; qui alaudæ auiculæ capitis galericulatum vertice

Hic corydalem, horminum, & fœniculum offendes, è regione alaudæ, galli, & pauonis cristas effigiantes, vt mutuas similitudines mutuo contempleris.



æmulantur. Inquit igitur Galenus: Adieci hæc sermoni, quod vellem clare hoc animal, nempe galeritam manifestare, quod ferat in capite pilos erectos; quandoquidem expertus sum

eius aduersus colicos vtilitatem, velimque iis, qui ipsam non
172 norint, demonstrare; nam & ipsa *corydalis* appellata herba, colicis conuenit. Vt nos id clarius aperiamus, κορυδαλὺς vocãt Græci, quod Latini *alaudam*, Plinius ab apice *galeritam* vocat, nomen ἀπὸ τ κορυθῆ, id est à galea, vel potius à galero: nomen alauda, quia milites galeam habentes, dicebantur *alaudæ*. Ex cristæ in capite ortæ occasione orta est fabula, vt apud Aristophanem Comicum, alaudam priorem terra enatam, vnde mortuo patre, quum vbi sepeliretur non exstaret, illum in capite contumularit, & adhuc spectari in ea surrectum capitis apicem. Alauda cristata assa, & in cibo sumpta, colicos adiuuat, ex Dioscoride; sed Galenus elixam in iure id præstare, sic Plinius, Aetius, & Ægineta. Sed Alexander Trallianus viuente adhuc alauda, cor eximentes, alligatorium faciunt femori sinistro ipsius circumdantes. Capnon aliquibus *corydalion* dici à coriando satis inepte putatum, quum à corydali aue à cristæ florum similitudine dicatur; & mirifice ad colum auxiliarem vim præstat. Nec dubium quin vtilis esse possit, iis præsertim qui propter excrementa alui indurata, & flatus hac ipsa de causa collectos, in hunc affectum inciderint: soluit enim aluum succus fumariæ, qua soluta flatibus via patet. Sed cur alauda colo valeat, patet ex hac methodo. ἀλεκτωρόλοφος folia habet similia gallinacei cristæ, ex Plinio; folia affert aspera, hirta, verrucis; & rugis nonnihil aspera, verbasci pube; aliquibus dicitur *scarlea*; cit Venerem. Diximus gallis spectatissimum insigne cristam, nec carnem id esse, nec cartilaginem; solus inter aues peculiarem sibi cristam sortitus est, ex Aristotele. Et inter animalium mores est gallinaceus gallus luxuriosissimus inter aues, ex Oppiano. Et cristæ luxuriem designant; nam dempta gallo crista, demitur & luxuria. Et sus ad luxuriam inflammatissimus, ceruicis setis sic inhorrescit, vt galearum cristæ esse videantur. Ad venena etiam valere conjicerem; sola enim inter serpentes basiliscus, quæ cristam in capite habet, & venenosissima est. Horminum aliquibus vulgo *centrum galli* dicitur, quod folium gallorum cristę similitudinis sit: duplex,

genus, satiuum & silueſtre, plurimumq; Veneri cõducit. ἵμερος, eſt impetus, inſtinctumq; ferri in Venerem ingenti libidine; & alectorolophos lapis in ventre galli repertus, ad luxuriam valet. Verbenaca à Dioſcoride criſta gallinacea, à ramulorum figura dicitur. Ius gallinacei contra ſerpentum morſus valere monet Plinius, & contra toxica Aetius, & Ægineta: cerebrum theriacæ munus explere, Dioſcorides, & Æſculapius. Præterea docet Rhaſes felle galli illito virgæ, ſi quis coeat cum vxore ſua, non diligere aliam præter eum. Alectorius lapis vxores viris conciliat, ex Siluatico. Lapidarij;

Hic circa Veneris facit incentiua vigentes,
Commodus vxori, quæ vult fore grata marito.

Valet ad eadem verbenaca; folia cum radice pota illitaue, aduerſus ſerpentes pollere, *ſacram* vocari *herbam*, & multam ad amuleta, & expiationes commendari, tradit Dioſcorides. In ſacris, & incantamentis pharmaceutriæ vtebantur, & *philtrodes* eam dicebant, quod amorem hâc ſagæ conciliarent: datur potandum tertium à terra geniculum cum foliis circundantibus; tertianis, & quartanis quartum: aculeis & vnguibus gallinaceorum crematis, tritiſque cum oleo perungi febrientes Magi iubent, ex Plinio. Adiantum etiam galli criſtam imitari videtur; datumque gallis pugnaciores fieri omnes prodidere. Satyrij genus alterum, quod fœminam dicunt, ſpicatos flores, cucullatos, ſeu criſtatos erigit; nam patentis modo galeæ floſculus hiat; & foliola, quæ à lateribus ſurgũt, auriculas, quæ vero à medio attolluntur, criſtam referunt: diximus horum radices ad concubitum valere, ſi cui deſit facultas; ſic & aliæ orchidum ſpecies. Pauo in capite Pennas, quaſi comam floribus ornatam gerit: ob id Plinius, pauonis apicem crinitæ arbuſculæ conſtituunt, videntur vmbellas florum ementiri. Vmbella cauliculis ſummatim inſidet, quæ eſt floris pedamentum, in plures longiores pediculos digeſtum, qui ex eodem ſimul faſtigio orti, in latius radiantur; quod quoniam vmbellæ, cuius vmbra mulieres vultum vindicant à ſole, effigiem gerat, Græci hunc floris habitum σκιάδιον mox Græcos imitati Latini, *vmbellam* dixerunt. Pauo ad viſum va- 17

let, vt iam dictum est: eius ossa adusta, & aceto trita, & illita ad lepras valere dixit Simeon Sethi: cachrys vmbellam gerit, & ad visum valet, & ad eadem. Possunt & vmbelliferæ plantæ serpentes referre, quæ flosculos, & cornua aliqua habent, vt ceraſtæ, & basiliscus triplici frontis acie munitus, vnde ad venenatos ictus valent. Nardus Celtica vmbellifera est, & ad venenatos morsus valet; sic montana costus, prason, ampelopraſon, allium, panax Heraclium, ligusticum, pastinaca, anisum, carui, cuminum siluestre, ammi, apium, leuisticum, smyrnium, imperatoria, elaphoboscon, fœniculum satiuum, & erraticum, daucum, rosmarinum, cachrys, ferula, peucedanum, laserpitium, sagapenum, euphorbium, galbanum, heliochryſos, angelica, sambucus, &c.

Plantæ quæ florum, frondiumque similitudine animalium aures indicant; CAP. XIII.

ANIMALIVM aures aliis maiores, aliis minores. Ceruis tantum sciſſæ, ac velut diuisæ, soricibus piloſæ, vitulo marino ac delphino cartilagineæ, & viperæ cauernas tantum habent aurium loco. Pennatorum animalium buboni tantum, & oto plumæ velut aures, cæteris cauernæ ad auditum, simili modo squamigeris, atq; serpentibus. Nos flores, frondesque ordine recensebimus, quæ animalium aures ostentabunt; ex quibus eadem virium præsagia concipiemus. μυὸς ὦτα angustis foliis, non sine dorsi prominentia, elatis, nigricantibus pullulat; nomen apud Dioscoridem inuenit, quod folia quum prorepunt, musculorum aures exprimerent: ægylopas sanare dixit; sed murium, eorundemque capitum cinere ex melle inunctis, visus restituitur, ex Plinio, & multo magis muris siluestris, aut gliris. Alsinen aliqui μυὸς ὦτα vocant, quoniam musculorum aures imitetur: oculorum inflammationibus, & aurium doloribus medetur: muris cinis cum melle instillatus, aut rosaceo decoctus, aurium dolorem sedat, ex Plinio: delinitæq; murium carnes cum crudo oui luteo, præsentissime oculorum inflammationi medentur, ex Galeno. Vulgatissimam herbam, quam ab hirsutie, & piloſa foliorum superficie *piloſellam* vocant aliquantulum cõcauam, murinam


auriculam effigiantem, myosotida quidam dixere: recentiorum experimento ad calculum valet, sed muris fimus cũ mulso, & thure potus, calculos expellit, ex Dioscoride, Galeno, Plinio, & Auicenna; mutuasque alias quamplures virtutes, apud eosdem reperies. Est inter cicerculę species, quam aliqui Dioscoridis phaselum opinãtur, cuius folia venenosa, tenuiaque, auriculis leporum similia, & nomen apud aliquos prędualet: ambo ad luxuriam valent. Dictamnum Siluaticus *leporis auriculam* vocat, quod vulgus id nomen ab illius hirsutie & forma indiderit: neoterici pingue leporinum adhibere solent, vbi quid corpori infixum est, & eximendum cupiunt. Si clauus pedis plantæ infixus inhæret, pingue leporis cum crudo cancro impones loco saucio; parti vero ex aduerso respondẽti, tres aut quatuor fabaceos flores superalligato, & sanabitur, ex Plinio; quod est peculiare dictamno herbæ; nam capræ in Creta sagittis confossæ, huius herbæ pastu eas excutiunt. Anagallidẽ, aliqui *nycteridem* vocant, & Aetius in eo vnguento, quod *Helenes* appellat, in ischiadis curatione nominat, idemque ad oculorum cruciatus valere dicit; nam inter Dioscoridis nomenclaturas nycteridem anagallidem, quasi vespertilionem vocat, tanquam ita à Magis appellaretur: vrina vespertilionis albuginem curat, ex Auicenna; & sanguis ad serpentis ictus, ex Plinio; argema & nubeculas expurgat anagallis, bibiturque cœrulea contra anguium morsus ex vino. Multi sunt, vt Galli, qui asini auriculã *alterum symphytum* vocant, quod magna folia faciat, & instar asini auricularum incuruentur: lac asini potum cœliacis & dysentericis prodest; & fimus cohibet ex naso sanguinem erumpentem, ex Plinio; ad quæ valet & symphyton. Saniculæ genus, vulgo *auricula vrsi* dicitur; folia crassiuscula, carnosa, læuia, nonnihil repanda, & limbo crassiore fimbriata, circinataque: peculiarem habet affectionem ad arthriticos affectus: adeps vrsinus ad articulorum morbos & podagricos valet, ex Plinio.

Animalium oculos ostentantes plantæ. CAP. XIV.

POST aures, de oculis dicemus, ne partium aliqua animalium omittatur, quas herbarum partes demonstrent.

Buphthalmon, vt Galenus libro septimo Simplicium medicamentorum testatur, appellatum esse à floribus, qui figuram quandam boum oculis adsimilem habere videntur, Romani *boariam* appellauere, rustici vulgo *oculum bouis*: flores cum cerato tumores & duritias discutiunt, & regio morbo correptis colorem reddunt. Sunt qui morbum regium pelli tradant, fascia linea bubulo felle inuncta, corpori sub costis cincta per triduum, quotidie renouata, ex Hippocrate. Sanguis taurinus discutit, mollitque tumores cum polenta illitus, ex Dioscoride. Galeopsis, à γαλη, *mustela*, & ὠψ, *lumen*, quasi mustelæ, vel felis oculum dicas ex plantæ figura, animalis oculum non nihil effigiante: mustela in cibo sumpta, vel sanguis illius, ad strumas valet, ex Plinio & Marcello; parotidas mustelæ sanguine illini meminit Archigenes: galeopsis herbæ folia, semen, & succus ad parotidas valent, ex Dioscoride. Vocatur quoque *pulegium galeopsion* inter spuria Dioscoridis nomina: bibitur idem ex vino contra serpentum morsus, subuenitque per se podagris: mustelæ virga siccata & pota, morsis à serpente medetur, ex Hali; & acopon ad podagras mirabile facit Aetius ex mustela. Lycopsis à luporum oculis nomen, quod fortasse paruo floris orbe purpurascente lupi oculos imitetur: medetur igni sacro. Iuuat igni sacro anchusa, cuius & lycopsis species. Elaphoboscon vulgus *cerui oculum* vocat, ab oculi ceruini similitudine: valet contra serpentes, quibus & cervus valet, cui hostes Natura dedit, & ob id *ophiætonos* vocatur. Aster Atticus hyophthalmos dicitur inter notha Dioscoridis nomina, quasi suillum oculum dicas, quia cum suillis oculis similitudinem habet: contra comitialem morbum dantur suum testiculi inueterati in lacte, ex Plinio; lotioque suillo inguinum loco illito, aut cum eo lana succida apposita, medebitur, ex Marcello: flores asteris Attici comitialem morbum sentientibus pueris opitulari dixit Dioscorides; etsi aridus flos sinistra manu dolentis decerpatur, & inguinibus alligetur dolore liberari; sed Galenus non solum illitum, sed suspensum bubones sanare scripsit, ob id *bubonium* etiam dici. Cynopsis, quasi caninus oculus à Theo-

En tibi tres plantulas offerimus suis floribus animalium rictus ostentantes; antirrhinon, leonis os referentem; dracunculum, draconis rictum similantem, & acanthum hiantis oris rictum mentientem; ex his reliqua tuo marte coniicies.



phrasto memoraturi, Theodorus *cantharum olitum* vertit: hoc olus statim primis imbribus post æquinoctiũ emicat, & inter

spicatas herbas illud ponit. Mihi omnino psyllium videtur; nam Dioscorides cynoma, & cynocephalos vocare solet: psyllium spicatum est, & flos canino oculo similis, capillis subrectis, semen pulicis effigie, & psyllium, auctore Plinio *cynoides*, & *cynomium* appellatur: vomitum canis hydropico super ventrem pone, & statim incipiet per secessum aquam emittere: fel podagras lenit, vt ne terram attingat, ex Plinio; psyllium hydropicis datur in vino, & podagricis auxiliatur.

Os, & rostrum animalium referentes plantæ;

CAP. XV.

NVNC eas plantas referemus, quæ floribus, & foliis os, vel rostrum animalium referunt. Cornea & acuta volucribus rostra; eadem rapto viuentibus adunca, collecta, recta; herbas ruentibus, limumque, lata, vt suum generi. Iumentis vice manus ad colligenda pabula ora apertiora laniatu viuentibus.

Antirrhinum insignitur purpureis floribus, ex rubro violaceis, vel roseis oblongis, superne flaccidis; buccas, rictumue vitulini, vel leonini oris æmulantibus, & conniuentibus; nunc patulis, nunc vero quasi valuulis occlusis, vt potius *leonthostomos* nominari debuisset. Traditur (quasi ab hac leonina forma) perunctos eo cum oleo lilino venustiores fieri, (vt venustius inter plantas lilium) nec vllo medicamento lædi posse, si quis appensum gestet: & leonis adeps amuletum esse aduersus insidiantes, & Plinius ex Magis perunctis eo adipe faciliorem gratiam apud reges, populosque promittit; præcipue tamen eo perungi, quod sit inter supercilia. Helianten vocat Democritus herbam in Themiscyra regione, & Ciliciæ montibus maritimis, folio myrti; hac cum adipe leonino decocta, addito croco & palmeo vino perungi Magos, & Persarum reges, vt fiat corpus aspectu iucundum, ideo eandem *heliocallidem* nominari. Meminit eiusdem herbæ Columella in hortulo suo;

—& hiantis fæua leonis

& alibi;

Oscitat & leo.

Memorat etiam eam inter vernas herbas, & florum genera seri, vt Candida leucoia, & flauentia lumina calthæ, inter narcissi, & lilij comas, & violas & rosas, Apparet quippe nomen à floris figura inditum, quæ leonis instar oscitet. Alij purpureo flore esse scribunt; sed qualis herba fuerit, fatentur omnes se nescire; ego hortense antirrhinon, quod magis purpureum est, & primo vere emicat, & vere spectabilis coloris flos est, leonisque os ostendit, vel iridem esse dicerem: nam memini me legisse inter spuria iridis nomina, eam *leonem* esse appellatam, ab aliis *lycostomos*, scilicet lupi os: purpureo flore est, à Theophrasto inter vernos flores, & hortensis est, & inter rosas, lilia, & calthas seritur, & leonis os ostentat. Fel leonis ictericis iuuat, ex Plinio; iris in potu data, ictericos sanat, ex Dioscoride. Iris etiam *lycos* dicitur in Scholiis apud Nicandrum; quia resupinata foliorum labra, lupi oris speciem referunt: valet mirifice ad partus festinandos & pellendos flos inditus: & carnes lupi edidisse parturientib. prodest, vel si sit iuxta, qui edat. Est & orobanche herba, quæ inter nothas Dioscoridis nomenclaturas *leo* dicitur; in summis enim caulibus flores fert leonis rictum ostendentis, ex Sotione Græco, in Geoponicis. Leguminum leo, *ostrioleon* dicitur; quod si quis velit in totum hanc herbam non apparere, quinque testas accipiat, & in ipsis pingat Herculem colore albo leonem strangulantem, atque testas ad quatuor angulos, & in medium ruris deponat. Est & alia cura à Democrito tradita huiusmodi: Quia leo animal gallo viso expauescit, & contrahitur, si quis gallum manibus strenue comprehensum circa agrum gestet, λεόντειος πόα mox abolebitur, tanquam & ipsa leonem timente. Alij experientia docti, semina terræ mandanda, gallinaceo sanguine irrigant, tanquam tuta sit à leonina herba futura. Nicander veneno aduersari orobanchen tradidit, vt leonis caro. Acanthi flos hiantis ranæ, vel rubetæ os refert: hecticis conferunt ranæ, & acanthus tabem sentientibus, ex Dioscoride. Dracunculus in hortis studiose seri-

tur ad ludentis Naturæ miraculum: singulari caule attollitur, è foliato scapi fastigio vaginula quædam in mucronem sensim turbinatum prosilit; quæ cum dehiscens se pandit, spectabilis hians draconis forma solido cornu, perinde quasi lingua, concauo vaginæ sinu, ceu rictu serpentis emicante: vt qui eam ignorauerit, non possit inficiari se nunc cognoscere draconem; vt *serpentalis* nominis vsus, quibus increbuerit, non potuerit aptius vsurpari: valet ad serpentis ictus, vt diximus. In arisaro planta prodit flos è radice oblongus, quasi ex vno folio conuoluto, supra hians serpentis os ostendit; ex ore stamina, vt linguam imitentur, exeunt; adeo affabre effictum, vt si anguem spectes, os exserere illud iudicabis: diximus ad serpentum morsus valere. In calaminthæ floribus apertum serpentis os ostenditur cum lingua exserta; ad eius morsus valet. Eadem effigies videtur in aliis floribus, & eiusdem effectus, quos tuo marte inuestigabis; sat sit his exemplis rem indicasse. Inter fungorum genera suilli sunt, ab Aprili vsque ad Maium mensem eos reperies, colore ex pallido fusco, pileo oblongo, & in conum se colligente, forma in medio protuberante, videnturque suilli rostri formam quadamtenus referre, ob id *suillos* vocatos conijcio apud Græcos, Latinos, omnesque gentes: ijdem ad morsus serpentis ex aqua illinuntur: ad venenatos morsus suillum recrementum aceto coctum laudat Aetius. Hyosirim vulgus *suillum cardum* appellat, ex Plinio: genus est sonchi spinosi, quod Itali *cicerbitam* vocant, referunt florum calyces antequam aperiantur, quandam rostri porcini figuram, ob id ὑὸς ῥὶς, hoc est *suis nasus*; Ruellius *rostrum porcinum* eandem herbam ab aliquibus nominari ait, & ab aliis *leonis dentem*. Plinius, intubo similis sed minor, & tactu asperior: vulneribus contusa præclare medetur; lac elicit, ex Dioscoride, quæ omnia sus præstat. Aquilinam herbam vocant recentiores, cuius flores in caulium cacuminibus quatuor fundum inferiori parte cornicula sursum reflexa, vt aquilæ rostrum videantur æmulari, & inde aquilæ nomen inditum: semen drachmæ pondere potum in vino
77 Cretico, addito croci momento icteritiam sanare dicunt,

dummodo ægri in lecto sudent: cerebrum aquilæ in cyathis vini tribus regio morbo resistit, ex Plinio. Medelæ rationem alibi diximus.

Quæ animalium linguas effigient plantæ;

CAP. XVI.

LINGVÆ omnibus animalibus non eodem modo. Tenuissima serpentibus, trisulca, & atri coloris; & si extrahas, prælonga; lacertis bifida & pilosa; vitulis quoque marinis duplex, sed supradictis tenuitate capillamentis. Piscibus paulominus quam tota adhærens, crocodilis tota; leonibus, pardis, felibusque imbricatæ asperitatis, ac limæ similis, attenuansque lambendo cutem hominis. Ranis prima cohæret, intima absoluta à gutture, qua vocem mittunt; apibus prælonga, eminens cicadis. Quibus aculeus in ore fistulosus, iis nec lingua, nec dentes; lata elephanto præcipue.

Nunc plantas memorabimus, quarum flores, vel folia animalium linguas demonstrent. Κυνόγλωσσον, quasi caninam linguam dicas, folia plantaginis arctiora habet, minora, lanuginosa, mollicella; ad tactum omnino aspera, mollicie, & effigie, vulgato consensu, caninæ linguæ assimilatur, vnde id nomen adeptum est: ad canis morsum valere tradidit Dioscorides; corium linguæ caninæ, vt tota caro, ad suos morsus valet, vt diximus. Βύγλωσσον, verbasco simile, folium asperum habet, bubulas imitans linguas: Dioscorides ad tertianam quartanam, & ad animi voluptatem valere dixit: Apuleius ad cordis affectus, & ad venena valere, & vulgus *boraginem* vocat, quasi *bouaginem*, quod boum linguis simile sit. Ego similitudinem hanc ad figuram pariter & asperitatem refero, & boragini nostræ, & bugloſſo vtrique conuenit, omnes iisdem viribus præditæ: aduersus quartanas ex vino, & lacte bouino confusus liquor valet per aliquot dies. Symphytum oblonga folia habet, lanuginosa, aspera, exemplo linguæ bouinæ: valet ex Dioscoride ad agglutinanda vulnera: diximus glutinum ex tauri collo, & corio ad agglutinanda valere. Ὑρεόγλωσσον, quasi agninam linguam dicas, ex Theophrasto, *plantaginem* vulgus vocat, peruagatæ notitiæ, feracitatis, &

HASCE *plantulas tibi proponimus, animalium linguas imitantes; cynoglossum canis linguam exprimit; innox subsequenti, buglossum bouinam; post, elaphoglosson ceruinam; postremo, ophioglosson serpentinam, insuper apparentibus vnà è regione animalium nominatorum linguis; propositum spectaculum intuitor, & contemplator.*



vtilitatis vbique gentium herba, vt agni & oues: magna vis in pecudum fimi cinere ad carcinomata, pellis recens ad quartanas, & ad dysenterias ex Aetio; lana succida inculcata post septimum diem ad rabidi canis morsus valet; fel præcipue agninum cum melle comitialib. laudatur, ex Plinio; vrina prodest hydropicis, ex Rhase, quæ omnia præstat plantago. Humiliorem fraxinum ornum vocauere, & ab ipsius fructus figura ὀρνόγλωσσον, quod auis linquæ imaginem referat, ex Plinio. Orneoglossum Ruellius arborem dicit vlmi specie, amygdalæ foliis, prælongis siliquis in surculorum cacumine pendentibus, oleagina magnitudine, in quibus medulla inest, linguę auis similis, vnde nomen: Venerem stimulat, & genituram adauget, quod de auibus iam diximus. Lingua passerina oblõgis foliis, & teretibus; à passeris lingua, quam imitatur, omnium hominum consensu inditum est nomen, στρθιόγλωσσον dici posset; Dioscorides passerum linguas maxime imitari dixit; alij *polygonon* vocant, vel *polycarpon* ex seminis abundantia; nam ad Venerem & conceptionem valere diximus. Quintilij aiunt, polyspermon, siue polygonos herba animalia reddit multis numeris fœcundiora; quod idem de passere diximus. Phyllis Dioscoridis, vulgo *lingua ceruina* dicitur, in oblongæ linguæ similitudinem deficit: vnde officinis *lingua ceruina* quoque dicitur, sesquipalmaris, recta, læuore semper virenti: Dioscorides in vino potam serpentibus maxime aduersari dixit, quod idem cerui carnes facere diximus: præterea eadem caro ad febres valet; & diximus fœminas principes illas, continuo ceruorum carnium esu semper febre caruisse. Ex hoc nobis excogitatum, & multis periculis confirmatum, aquam chymisticis organis ex phyllitidis foliis extractam, ad pestilentes febres maximam opem ferre. Nomen *ophioglosson* vulgus herbariorum impertitur à forma, & figura serpentum linguæ, quas refert; nomenclatura aptissime quadrat, quum floris argutula cuspis serpentem linguam exserentem imitetur, quæ tenero cauliculo promitur; non paruæ ad serpentum morsus commendationis. Echio folia oblonga, hirsuta & subalbida; officinæ & rura, *linguam hircinam* vocant ab hircorum

linguæ similitudine, & quod earum pabulo maxime delectentur hirci, & capellæ: Dioscorides contra serpentes valere, & lac mulieribus augere dixit. Capræ caro lac auget, & præcipue caseus ex eius lacte, ex Hippocrate libro De morbis muliebribus: aduersus serpentum ictus ex caprarum cornu vel pilis, cinere poto, remedium ex Plinio Sunt & quamplurimi flores, qui stamina quædam in medio habent, in summo diuisa, vt bifidas serpentum linguas præclare ostentent, ex qua horum animalium ingluuies coniicitur, ab Aristotele, & quasi duplicem ex cibo capiunt voluptatem. Ego contra serpentum virus præstare iudicarem, vt ex phalangio videre est, anchusa, pseudacoro, *caryophillis* vocatis; nam aduersus venena, & pestis contagia commendantur.

Animalium dentes ostentantes plantæ;

CAP. XVII.

DENTIVM tria genera, serrati, continui, & exserti: serrati pectinatim coeuntes, ne contrario occursu atterantur, vt serpentibus, piscibus, canibus. Continui, vt homini, equo. Exserti vt apro, hippopotamo, elephanto. Piscium multis serrati, & eorum in lingua, & toto ore, vt turba vulnerum molliant, præterea in os vergentes, ne excidant cibi, nullum habentibus retinendi adminiculum. Similes aspidi, & serpentibus, sed duo in supera parte, dextra, læuaque longissimi, tenui fistula perforati (vt scorpionum aculei) venenum infundentes. Quidam vnum esse eum; & quia sit aduncus, resupinari, cũ momorderit. Scorpionis caudæ inesse eum, & plerisque ternos. Viperæ dentes gingiuis conduntur, volucrum nulli dentes præter vespertilionem. Dentium vice aculeus insectis, elephanto intus ad mandendum quatuor, præterquam eos, qui prominent, masculis reflexi, fœminis recti, atque proni. Musculus marinus, qui balenam antecedit, nullos habet, sed pro iis, setis intus os hirtum, & linguam etiam, ac palatum. Hactenus Aristoteles. Sed videamus cur spinæ à Natura productæ. Alexander Aphrodiseus dicit naturam spinis plantas, tanquam spiculis contra animalium

morsus armasse; quæ dixerat Plinius, iam adduximus. Nos vero dicimus plantis aliquibus esse datas, vt obuiis caudicibus adrepere possint, vt omnes amplexicaules sunt, nec per sese sine fulcro sustineri valent, & ob id ad radices spinas spectantes habent, & hamatas; aliis, veluti spicis aristas dicit, vt se ab auibus tuerentur; aliis in stipite vt ne dum se scabant animalia, dorso fructus ab arbore decutiant, nec ad iustam perueniant maturitatem; vel quod postremum arbitror, vt ad cortices terrestres, & fæculentas partes transmitterent, vt fructib. pinguius & purius alimentum subministrare possint. In humanis corporibus Natura ad cutis scabiem, pustulas, & similia in plerisq; morbis demandat, humores defæcando. Sed quid ex earum Physiognomonia coniiciendum discutiamus. Quia multi sunt animalium dentes, siue aculei, siue spinæ, quæ magnopere generi humano infestæ, ob id prouidens & sagax Natura, multas & innumeras produxit spinosas plantas, è quarum effigie pernicioßissimo malo succurratur, vt vbique nobis obuiæ forent, non solum in viridariis sed, etiam sepibus, siluis, nemoribus, cæterisque locis, vbi frequentius eiusmodi animalia stabulantur. Nec clarius, aut manifestius demonstrare ipsa medicinam homini potuit: propterea summopere adnitendum, sedulaque inuestigatione imaginandum spinarum similitudinem, quibus dentibus animalium magis assimilabuntur. Sunt in mari animalia, aculeis venenum immittentia, vt pastinaca, scorpius, draco, & porcus marinus, quæ porrectos aculeos infigũt; sunt & serpentium innumera genera, tum hamatis, tum serratis dentibus, rigido mucrone infestis: sunt & quadrupedũ dentes venenosi, vt rabiosi canis, ob id non mirum videri debet, si tantas & innumerabiles natura produxerit spinosas plantas, & diuersimode efformatas; hamatas, pro viperis; rectas, pro canibus; exiles, & quasi lanuginosas, pro aranearum, vesparum, & phalangiorum aculeis. Sed quibus fortasse hæc per similitudinem medendi ratio minus arrideat, ad naturales causas confugiemus, & ad quæ alia valeant. Spinosæ herbæ siccitatem ostendunt, aliquando ex frigida, aliquando ex calida

lida cauſa, vt iam diximus,& ob id aſtringentes. Videre iam licuit in aculeatis,& cornutis animalibus hiſtrice,herinaceo, raiis, xiphiis, & aliis animalibus, quod cæteris eſſent ſiccio-ra, ob id ſtomachum adiuuant, lepram & ſcabiem dirimunt, hydropiſim ſanant, gingiuis tumidis & dentib. medentur; alui profluuiis,nimium fluentib. menſtruis & venenatis,ſiue tota ſubſtantia id agant, ſiue corporis partes roborando promptius venenum expellant, vel clauſis meatib. minus eis afficiantur. Sed vt magis ordinate procedat præceptio noſtra, videamus quæ fuerint ſpinoſæ plantæ. Theophraſtus aculeatarum aliæ ex toto aculei, vt corruda, nepa; aliæ par-10 tib. aculeatis, vt in arborib. fruticibus, & herbis, arbores, quæ ramos aculeigeros habent, ſunt pyrus ſilueſtris, malus Punica, & paliurus; frutices, vt rubus, roſa, & capparis; herbæ vel foliis aculeatis, vt acanthium, eryngium,cnecum, acuta ſpina. A quo Plinius: Ergo quædam herbarum ſpinoſæ ſunt, quædam ſine ſpinis: ſpinoſarum multæ ſpecies. In totum ſpina eſt aſparagus, ſcorpio; nullum enim folium habet. Quædam ſpinoſa foliata ſunt, vt carduus, eryngion, glycyrrhizon, vrtica, iis omnib. foliis ineſt aculeata mordacitas. Aliquæ & ſecundum ſpinam habent folium, vt tribulus, & ononis. Quædam in folio habent & in caule, vt phleos. Hippophyes ſpinis geniculatum, tributa proprietas, quod & fructum ſpinoſum habet. Exempla adſunt.

Rubus habet virgas aduncis, & acuminatis aculeis refertas; folia in dorſo, & ſubtus armantur aduncis, & minutilis ſpinis, peſtiferis ſerpentum morſibus accommodatiſſima. Peculiare eſt tribulo terreſtri ſemen habere ſpinoſum, & ſecundum folia ſpinas rigidas, & præduras: cuius ſuccus potus, illituſque ictos à vipera recreat. Spina alba fert folia hiſpi-11 da,& aculeata;capitulum ſpinoſum, echini marini æmulum; non ſolum potum è ſerpente demorſis auxiliatur; ſed geſtatum pro amuleto, ſerpentes abigere creditur. Paliurus frutex aculeatus eſt, & citria rigidis armantur aculeis: ſemen potum venenatis beſtiis reſiſtit, vt ex Athenæo habetur. Chamelæon albus folia aſperiora, & acutiora ſylibo habet,

exinde ſpinas echini marini erigit. Erigeron ex aculeatarum genere. Carduus benedictus hirſutis foliis, & cum adoleuerit aculeatis, capitulis acutiorib. aculeis rigentibus. Smilax aſpera ſarmenta habet, rubi, aut paliuri modo aculeata, non ſolum venenoſorum antidotum eſt; ſed ſi infantibus nuper in lucem editis ex hac vinum propinetur, nulla poſtmodum nocitura venena; traditurque ad medicamenta, quibus venena arcentur. Lycium arbos ſpinoſa, valet ad rabioſorum canum vulnera. Ribes ſpinis circa ramos robuſtis armatur: Plinius ad rabidi canis ictus miris laudib. extulit. Scorpionum aculeis medentur plantæ, quæ minutiorib. ſpinulis rigent, vt aſperæ videantur, vt non ſpinæ, neque dentes, aut aculei ſint, cædemque veſparum, & phalangiorum puncturis medentur. Peculiare ſpinaceis eſt habere ſemen ſpinoſum: bibitur eius ſuccus ad ſcorpionum & phalangiorum inflictus. Sonchus aſpera, lactuca ſilueſtris, atractylis folio ſpinoſo, & capitulis in ſummo ſpinis rigentib. paliurus ex Plinio ſcorpionum morſib. fert opem. Duo ſcorpij genera aculeata aduerſus ſui generis animal.

Aſparagus, quibus phalangium icerit, auxiliatur; lactuca ſilueſtris, vrticæ, vrida lanugine punctionis dolorem incutiunt, cuiuſmodi veſparum, & apum aculei, & ſi per quam exili, & mollicella, nec penetrare poſſe iſthæc lanugo videatur. Lupus ſalictarius ſarmenta aſpera habet, hirſutaque, & quadamtenus aculeata: ad eadem valere poteſt, cum ad hauſta venena ſuam ferat opem.

Plantæ collum, mamillas, lienes, & corda animalium exprimentes;


CAP. XVIII.

SEQVITVR, vt plantas enarremus, quæ collum, guttur, lienes, mamillas, & corda animalium repræſentant. Inter ſmilacis aſperæ nomenclaturas, nomen *merginæ* eſt, ſic apud Romanos dicta, fortaſſe à collo deductum nomen. Ouidius de Æſaco loquens in mergum conuerſo,

—longa internodia crurum
Longa manet ceruix; caput eſt à corpore longe.

Habet enim & longum & incuruum collum mergus, & ſmi-

SENTICOSAS *plantas, & dentata animalium capita, adeo solerti & viua pictura delineauimus; vt hæc spinosa, illas dentatas confitearis. Primo rubum, & asperam smilacem vipereos dentes imitantes; mox lycium, caninos referentem; postremo spinaceum olus phalangiorum aculeos ementiens, obuias proponimus; ex his alia assimilare discas.*



lax per dumeta reptando incuruatur, & instar mergi colli flectitur: mergi sanguis amphictoton est, venenatis feris resistit, & præsertim rabido cani, ex Aetio: asperæ smilacis folia, & acini antea, & post epoti, venenosorum antidota sunt. Inter notha fumariæ nomina Dioscoridis *peristereon* est, id est, columba, à foliorum scilicet specie, quæ columbinam quodammodo ingluuiem repræsentet: Aretæus elephanticos perdicibus & columbis vesci iubet: Mesues, quia bilem & adustos humores fumaria deiicit, elephantiasi, & carcinomatibus mederi dixit. Fructus *sebesten* vulgo dictus Persica voce; Siluaticus *mamillam canis* dicit, etsi σβαστος vox Græca sit: qui distillationibus auxiliatur, quibus præstat canina cutis cuilibet digito circumdata. Asphodeli radices vaccarum mammis similes dicunt: cuncta venena expugnari eis tradunt Græci, maxime quæ rosiones, vstionesque referunt; vt si cantharides datæ, vomitione omnia egeri, ex Dioscoride & Plinio. Sed contra serpentes & scorpiones Nicander commendauit, substrauitque somno contra metus. Anacardia fructus cuiusdam arboris auicularum corculis non dissimiles, vnde & nomen; colore rufescente, vt cor; labantes reuocant sensus, memoriæ iacturam resarciunt, & cerebri affectibus opem ferunt, ex Arabibus: multarum auium, vt accipitris caro, animum corróborant; melancholiæ, & perturbationi mentis resistunt, & morbum sacrum curant ex R. Mose in aphorismis. Maluæ folia, Magi *lien capræ* vocant, ab ea, quæ cum liene similitudinem habet: Sextus torminosis capræ lien bibendum præbet; Plinius maluam vtiliter torminibus illini; præterea ad venena & venenatas puncturas, ad fœminarum purgationes, voluptates, conceptus, comitiales, calculosos præstare, vt etiam capra, & alia promiscue habere. 18

Plantæ animalium testes repræsentantes;

CAP. XIX.

VARII sunt plantarum bulbi, qui animalium testes mentiuntur, præsertim luxuriosorum, & ita affabre eos mentiuntur, vt nemo sit qui videat, qui se eos cognoscere non fateatur. Natura hominum generationi satagens, hac

testiculorum imagine ad vires venereas, ad conceptum, & ad prolem eos valere significauit. Testes pecori, armentoque ad crura decidui, subtus adnexi, delphino prælongi, vltima conduntur aluo, elephanto occulti: oua parientium lumbis intus adhærent, qualia ocyssima in Venere, buteonibus terni.

83 Cynosorchis, id est *canis testiculus* ab omnibus vocatur *bulbulus*; qui vere canis testiculum ementitur, foliis oleæ mollioribus, terniſque, per semipedem longitudinis in terra stratis, radice bulbosa, oblonga, duplici ordine; superior, quæ plenior est; inferior, quæ mollior, ac rugosior. In Thessalia mollem mulieres in lacte caprino bibere ad stimulandos coitus: aridum adhibendum, alterum alterius potu resolui. Dioscorides omnes bulbos cum melle, & piperis polline illitas valere aduersus canis morsus præcipit. Qui suam vrinam in canis vrinam ingesserit, ad Venerem fit impotens. *Palma Christi* testiculos canum refert, demptis digitis. Tragorchis, seu hircinus testiculus hircum olet, & spirillis aruncis caprillam barbam ementiens, ad Venerem inflammat; quod maxime præstat hircus; bulborum omnium valentissimus, vt hircus animalium luxuriosissimus. Sunt & vulpini testiculi etiam exigui. His accedit altera radix terno donata didymo, ob id *triorchis* appellata, *serapida* Ægineta vocat ab Ægyptiis. Serapidæ deæ Augusti cognomine. Hæc omnium facultates longe superiores habet, nec vt cæteri orchides ignauiores, & mucore elumbes. Triorchem accipitrem dictum inuenimus à numero testium, *buteonem* hunc appellant Romani, ex Plinio: qui in Venerem infirmior erit, testiculos miluionis ex aqua fontana quæ perennis sit cum melle decoctos edat ieiunus per triduum, & statim roborabitur. Triorchis miluo similis est, quibus maxime testiculati testes, ad prouocandam Veneream facultatem tribuunt. Colchicon multi sunt, qui *testiculum canis* nominent propter similitudinem gemelli seminis; venenosa herba est, & incautos vescentes perimit: venenosa item saliua canis; nam rabiem, & mortem inducit.

ORCHIDVM *species denuo sub aspectum veniunt; contemplator, in prima facie hircinos testes cum sua planta; caninos, & tandem triorchidem, ex accipitrum genere.*



Animalium veretrum ostentantes stirpes;

CAP. XX.

POST testes, de pene loquemur, plantarum partes illas enumerando, quæ animalium veretrum ostendere possunt, & ad coitum, prolemque valent. Orobanche est herba, quam *cynomorion* appellauit antiquitas à canini genitalis similitudine; non mala, neque inconcinna similitudine, si plantam contempletur aliquis, quæ à radice surgens, nudo, glabro, singularique caule, in summo foliorum conferto, & inter ea emergentes habet flores simul, & quasi in glomum collectos. Cyprij *thyrsitem* appellant, quod fere tota thyrsus sit, id est plane scapus rectus; qua forma caninum genitale in summo galericulo tectum quis confitebitur. Sunt qui hanc *toram* vocent; quoniam certo constat, quum primum vaccæ hanc herbam gustauerit, tauros ab eis requiri. Theophrastus enumerans ea, quæ quercus, præter glandem, producat, inquit; Ad hac aliud effigiem colis repræsentans; quum vero perficitur, durum quid parte æmulante perforatum, & tauri caput quodammodo æmulans, profert, quod præruptum nuclei oleæ speciem ostendit. Diximus iam supra ad fœcunditatem valere. E medio lilij flore quædam stamina educuntur; quib. excussis, emicat quædam colus, relicto capitulo in cacumine, quasi asinini icroti effigiem demonstrans. Nicander describens lilium contra Pharicum venenum antidotum esse, ait: Recipe irida, floridumque caput, cui Venus inuisa est, eo quod secum de colore & forma certaret, huic mediis eius foliis fœda probra obiecit, deformenque illic rudentis asini clauam crescere fecit: scilicet hac periphrasi asini clauam, id est genitalia, liliis, id est flori medio imposuit: vteros emollit, menses que prouocat, vnde vterum conceptui præparat; contra serpentum ictus valet. Valent ad coitum asinini testiculi; & asinino lacte poto restinguuntur venena contra hyoscyamum, leporem marinum, & pharicon præcipue.


Plantæ scorpionum caudas flore, vaginulis, & semine effigiantes;

CAP. XXI.

QVAM PLVRIMÆ sunt plantæ, quæ floribus, vaginulis, seminibus, & radicibus animalium caudas imitantur, vt illorum virtutum compotes se esse ostendant, vel virulentis eorum ictib. aduersari. Ex multis aliquas recensebimus, & primo à scorpionibus.

Scorpioides herbula est, caudæ scorpionis effigie; profert siquidem quædam siliquosa cornicula, scorpionis caudæ instar inflexa, & sic apud omnes *scorpioides* nomen obtinuit: illita scorpionum ictibus præsentaneo est auxilio, ex Dioscoride. Telephium eandem radicem habere videmus, quæ scorpionis caudam æmuletur, & ad eius morsus valere iam traditum est. Est & alia herbula segetum alumna, quæ ex cauliculis rectis, gracilibus, pedalibus, vel sesquipedalibus in summo producit incuruis mucronibus adunca cornicula retroflexa scorpionum caudicellas, transuersis articulis imitata; flores etiam luteos, pusillos foliola in neruulis vtrinque ordine digesta tribuli, sed exiliora, inexpertis dotibus, sed extantis eandem possumus vim augurari. Insunt heliotropij magni coliculorum summo elegantes florum series, fastigiauerace-mosa, caudicellas scorpionum inflexas imitatæ; nutant nobis ad scorpionum puncturas magni esse experimenti, vnde ab effectu *scorpioctonos*, vel *scorpij interfector* dici posset: obid Dioscorides; Heliotropio maiori flos est effigie scorpionis caudæ, vnde *scorpiuro* ei nomen, flos incuruus, vt scorpionis cauda; contra ictum scorpionum potum, & illitum prodest. Ocimastrum σκορπίουρος, id est scorpij cauda à figura vocatur, inter nothas Dioscoridis nomenclaturas, quod nomen aptius echio conuenit; quippe florum series in cauliculo digesta & inflexa rectius scorpionum caudam imitatur, quod etiam & in anchusis visitur: vis earum contra serpentum virus; nec incredibile est etiam ad virulentos scorpionum ictus valere. Tragos, ex Theophrasto, in aculeatarum censu est; aliæ ex toto aculei sunt, vt scorpius, quæ nullum, præter aculeum, folium gerit. Dioscorides

TRIVM *plantarum icones huic capiti communes præfiximus, quæ non particulares, sed solius scorpionis caudæ sibi vendicarent imagines; primo, heliotropij summis florum spicarum retortis apicibus; secundo, siluestris cumini alterius corniculatis vaginulis; tertio, scorpioidis siliquulis eas imitantibus; in calce scorpionem ipsum affinximus, vt arctam similitudinem intuearis.*



ſcorpionem *tragum* vocari dixit. Ab his Plinius: Spinoſarum multæ ſpecies, in totum ſpinoſa tragus; hanc *ſcorpion* vocant: maxima aſtringendi facultate prædita eſt; ob id fortaſſe venenis opitulari coniectamus. Et alibi: Ex argumento nomen accepit ſcorpius herba; ſemen enim habet ad ſimilitudinem caudæ ſcorpionis, folia pauca: valet & aduerſus animal ſui nominis. Eſt & alia eiuſdem nominis effectuſque, ſine foliis, aſparagi caule, in cacumine aculeum habens, & inde nomen. Eſt quoddam cumini ſilueſtris genus, quod corniculata producit ſemina, ſcorpionis caudæ æmula, inter mediis conſepta; quod potum ſerpentum morſibus remedio eſt; quod ad ſcorpionum etiam conjicio; quum conſtet apud autores, ſcorpionum, ſcolopendriarum, omniumque animalium venenis eorum naturam aduerſari. Caltha ſemen affert, cuius vaginulæ ſcorpionum caudas imitantur; neoterici eius veneno reſiſtere dicunt. Affert inſuper caudas, vel brachia cancro ſimillima, ob id à Fuchſio, & aliis *herba cancri* dicta. Sed ego herbam cancri dictam puto, quod carcinomati medeatur. Sunt enim ſcorpionum caudæ, & cancrorum brachia ſimilia; & cancrum cancris mederi docuit Dioſcorides. Cancri in ſcorpiones mutantur ob quandam ſympathiam. Ouidius;

Concaua litoreo ſi demas brachia cancro,
Cætera ſupponas terræ, de parte ſepulta
Scorpius exibit, caudaque minabitur vnca.

Cucumim ipſum quoque qui magnificant, naſci in Arabia dicunt, mox Cyrenis, alij in Arcadia tradunt, ſimilem heliotropio; cuius inter folia, & ramos prouenire magnitudine nucis iuglandis ſemen; eſſe autem ad ſpeciem ſcorpionis cauda reflexa, ſed candida. Aliqui etiam ab eo *ſcorpionium cucumim* vocant; efficaciſſimum contra ſcorpionum ictus ſemine, & elaterio, ex Plinio. Sunt & quamplurimæ plantarum vaginulæ, quarum loculis turgentia ſemina interſepta ſcorpionum caudam imitata mentiuntur, quæ ad ſcorpionum, & venenoſorum morſus valent, vt raphani, napi, rapi, erui, lupini, erucæ, viciæ, geniſtæ, & aliarum, quæ in antidotis ponuntur aduerſus aſpidas, & ſcorpionum venena.

PASTINACA, *alopecuros, & equiſetum accuratiſſime ſculpturis indicantur, marini trigoni, vulpis, & equi caudarum ſimilitudinem ſibi vendicantes; quæ omnia abs te attentiſſime ſpectari velim, vt horum exemplis alia naturæ pernoſcenda, veſtigandaque perſcruteris.*



Animalium caudas delineantes plantæ;

CAP. XXII.

NE ceptum ab initio ordinem interturbemus, aliquas plantas memorabimus, quæ animalium caudas ostendunt. Caudæ præter homines, ac simias omnibus fere animalibus; nudæ hirtis, vt apris; paruæ, villosis, vt vrsis; prælongis, setosæ, vt equis; amputatæ, lacertis & serpentibus renascuntur; boum caudis longissimus caulis, atque in vna parte hirtus; idem asinis longior, quam equis; leoni, infima parte, vt bubus, & sorici; vulpibus & lupis villosus, vt ouibus, quibus procerior; sues retorquent, canum degeneres sub aluum reflectunt.

Τρυγών Græce, Latine *pastinaca piscis*, Plinio interprete; sed Latinis *pastinaca* dicitur à caudæ colore, & rotunditate pastinacæ radici simili. Trigono in cauda radius adnascitur, quo nil in mari execrabilius nasci idem dixit, & Oppianus, cuius veneno, & vi pernecabili cedunt Persarum venenata; nam etiam mortua seruat suas vires, quæ non solum in animantes, sed etiam in saxa, herbas, arboresque exerit; illius enim contactu exarescunt, & contabescunt. Hunc tradunt Circem Theligono dedisse, vt eo aduersus hostes vteretur, quo tamen incautus patrem necauit. Ælianus hunc radium periculosissimum, infestissimumque dixit, vt non solum homines & animalia, sed arbores interimat; quippe si ad maximam arborem, & vegetam, & summe virentem aculeum admoueas, non multo post amittit folia; quæ postquam defluxerint, totus truncus similis est arboribus, Solis ardoribus exsiccatis; quod idem confirmat Nicander. Pastinaca herba serpentum morsibus, ictibusue prodest; præsumentes nulla iniuria affici à serpentibus traditur; & Dioscorides ipse inquit, ei, qui pastinaca marina icitur, omnia, quæ de viperarum morsibus diximus, simili modo conuenire. Celsus etiam erraticam pastinacam ad eiusmodi plagam prodesse scribit. Sed ad mutuas alias vires accedamus. Dioscorides pastinacam herbam partum eiicere appositam dixit: & pastinacæ piscis radium adalligatũ vmbi-

lico, faciles partus facere, si viuenti ablatus sit, ipsaque denuo in mari dimissa. Equisetum iuncea profert circa cauliculos folia, crebra, & exilia; dependent ex eo comæ multæ, nigræque, in ambitu per intercapedines radiatim cingunt multiplices exilium foliorum, quasi setæ asperiusculæ, prolixiores, equinam caudam satis ementientes: sanguinem è naribus erumpentem sistit, & semen illius ex aceto & lana ad omne profluuium imponitur; sanguinem item sistit, ex equino capite pilorum cinis illitus. Alopecuros nec in acus, aut aristam exit. Sed horret spissa lanugine, & asperitate; plantaginis in modum spicatur, florem tamen non quemadmodum illa particulariter edit, sed per totam spicam frumenti modo spargitur, & vtrinque lanugineus prodit flosculus, vt Theophrastus depingit, inde nomen auspicatur, quod vulpium caudis similis existat. Plinius ab eo: Alopecuros spicam habet mollem, & lanugine densam, non dissimilem vulpium caudis, vnde ei nomen; nullis aceribus, aut aristis armata. Quia ex triticeis, vt triticum tussientibus prodesse potest, quod non abhorret à viribus vulpis, quæ medetur tussientibus. Peucedanum, Siluaticus *caudam porcinam* vocat, quod radicis caput multis ceu setis rigeat, quod etiam in omnibus seseli generibus apparet. Vrina verris, vel apri arefacta, ex aceto pota facit ad comitiales morbos, ex Galeno. Talus suis vstus cephalalgiam dissoluit, ex Aetio: neruis vulneratis axungia cum terræ lumbricis prodest, ex Sereno, contra serpentes adeps cum melle, resinaque, vel iecur, vel cerebrum ex vino potum, ex Plinio; quæ omnia operatur peucedanum, ex Dioscoride.

Plantarum partes animalium pedes indicantes; CAP. XXIV.

SVNT & plantarum partes, quæ postremas animalium partes, scilicet pedes ostendant. Solidas habent vngulas, quæ non sunt cornigera, nec talos habent eadem, at quæ bisulca sunt, habent; lynx simile quiddam talo habet, leo etiamnum tortuosius; talus autem rectus est in articulo pedis, ventre eminens. Auium aliæ digitatæ, aliæ palmipedes, aliæ inter vtrunque, diuisis digitis adiecta latitudine. Sed

omnibus quaterni digiti, tres in priore parte, vnus à calce. Auium quibusdam grauioribus, in cruribus additi radij.

Dicunt λεοντοπόδιον, quasi leoninum pedem, propter villo- 183
sam foliorum, non florum effigiem, crus pedi annexum aliquantum referentem. Sunt & in floribus quædam foraminula impressa, quasi leonis vestigium, vel soleam imitata: Dioscorides ad amatoria valere dixit, & ad tubercula: Magi promittunt apud Plinium, perunctos leonum adipe, faciliorem gratiam apud reges, populosue obtinere; idemque ad hæmorrhoidas, & tonsilla; λεοντοπέταλον dicunt, ac si aliquam in foliis cum leone, vel leonis pedibus similitudinem habeat, etsi autores non exprimant: habet enim brassicæ folium, diuisum papaueris forma. Dioscorides dicit in vino potam serpentum ictibus auxiliari; nec alia re dolorem citius finiri. Facultas leoninæ inest carni, ab omnibus bestiis tutum hominem reddi. Lagopum Apuleius leporino pedi similem dicit, & nomen ei à similitudine leporini pedis inditum: nam in pilosa spica glumas, villosasque quasi aristas, & mollicellas habet, leporini pedis colorem & hirsutiem æmulantes: profluuio laborantibus præsidium præstat, cauis vlceribus prouentum carnis, & cicatricem accelerat, ex Hippocrate; tumoribus inguinis, & laxis herniis cohibendis peroptima. Leporis coagulum alui profluuiis valet; dysentericis & cœliacis fimus, & sanguis: tusum cum melle enterocelis illinitur, & fimus rupta intestina sanare potest, ex Plinio. Lycopoda Græci nominant herbam, lupi pedi assimilem; quod folium ad lupi pedis modum effictum, dissectumque habeat, marrubio siluestri par, grati odoris, caule angulolo, geniculato, fungosa intus medulla, radice frequenti capillamento fibrata; folia tusa præsentaneo sunt remedio stomacho dissoluto, nunc *cardiacam* nominamus, quod cardiæ (sic enim veteres ventriculi os nuncupabant) imposita medeatur: laudat 184
Auicenna leporis carnes stomacho frigido, humido, & debili. Lupus robusti stomachi est, vorax, & concoquit omnia: & stomacho valet. Tussilago vel *vngula caballina* recentioribus dicta, quod folia ab imo promat rotunda, lateribus senis,

In propatulo tussilaginem, mox hederam, paulo post eryngium marinum, siue aquaticum, & postremo situm adduximus; ac animalia, quorum pedes effinxerint; in conspectu sunt; nam prima equinæ vngulæ; secunda marinæ scolopendræ multiplices pedes; tertia, aquaticarum auium, siue anserum; postremo, corui pedes expressimus.



septenisve, angulis acutis claudentibus, *caballinam vngulam* effigiantibus, vnde nomen: Dioscorides arida suffita, ita vt fumus per infundibulum hianti ore accipiatur, hos sanat qui sicca tussi laborant, atque orthopnoicos; & potu, mortuos partus ejicit. Equinæ vngulæ suffitu mortui partus eiiciuntur; saliua equi triduo pota, tussim sanat, & equum mori tradit Plinius; vngula mortuos partus eiicit. Allearia, *pes asini* etiam dicitur in Pandectario, fortasse quod à tussilaginis forma folij non multum absit, tussientibus prodesse dicitur; quod idem præstat pulmo asini tritus si bibatur, ex Hali. Veterum acanthum est *branca vrsina* Italiæ, & Gallis vocata, quod hirsutiæ vrsina quodammodo referat manum vrsi; vel quod extremis ramulis ternis digitorum pedis figuram: Dioscorides ambustis prodesse dixit, & vrsi adeps ex Plinio ambustis prodest. κορωνόπους, siue *pes coruinus*, aut *cornicis*, vulgo dicitur *herba stella*; foliis est crassis, pinguibus, hirsutis, vtrinque fissis, & laciniatis, coruinos vngues præ se ferentibus, vnde suam fœneratur nomenclaturam. Alij *coronopoda* vocāt, id est, cornicis pedem; *coronopodion* à Tarentino dicitur ad inescationem piscium. Dioscorides cœliacis prodesse dixit: Ad idem conferre potest cornicis fimus, quum dysenteriis iuuet. Pes miluinus à Columella dicitur eademmet herba, etsi nullis delineamentis designarit, cum extremum folij in aviculæ, aut milui pedem articuletur, & cruda edatur in acetariis, & cocta cum aceto & sale. Nec edendi quoque nobis ratio exoleuit; nam potulacæ modo condita, seruatur. Fico sunt folia laciniosa, & cruciformia, Theophrasto σκελοποδῶν, nisi quis κορωποδῶν magis legendum putet; nam fico Hippocrates donat folia cornicis pedib. similia. Ficus siccæ valent ex Dioscoride iis, quos longa valetudo decolorauit: & cornicis carnes esse in longissimis morbis vtilissimum putat Plinius. Atriplex, vulgo *pes anserinus* dicitur, quod instar anserini pedis laciniata sint folia; siluestris atriplicis species est; ad omnia, quæ anserinus adeps valet: igni sacro medetur, tubera, & quęcunq; emolliri opus est, efficacissime anserino adipe curātur, ex Plinio: valet ad vuluę vitia; & mollitoriis veteri

medicamentis

medicamentis crebro Hippocrates admiſcet; & Medicorum aliqui axungia ad podagras vti iubent, admiſto anſeris adipe. Sed atriplicem Hippocrates vuluæ vitiis infundi iubet, duritias omnes vel decocto, vel crudo illini putat, ignem ſacrum cum melle, & aceto, nitroque, ſimiliter & podagras. Anſerinum etiam pedem refert eryngium, contra ſerpentes & venenata omnia naſcens: omnibus vero contra toxica & aconita efficaciorem Heraclides Medicus in iure anſeris decoctam arbitratur, ex Plinio; qui etiam viſas ſerpentes dicit pedibus anſerinis: quæ eadem operatur anſer. Capnos duplex, alia hortenſis; alia, quam *pedem gallinaceum* vocant, in parietinis, & ſepibus naſcens, teſte Plinio; nam gallinacei pedis ſimilitudinem habet: gallinacei fel aqua dilutum, luminum aciem confortat, & leucomata tollit, ex Marcello: veterum gallorum ius expertus eſt Galenus ventrem ſoluere; herbæ ſuccus oculis claritatem facit, & aluum ſoluit, ex Meſue. Inter thlaſpeas nomenclaturas etiam pes gallinaceus legitur ob ſimulacrum frondium cum illius pedibus. Ius gallinaceum ſi æſtate cum vuis immaturis decoquatur, bilem vtrinque extinguit, ex Nicolao Maſſa; & bilioſo febricitanti iuueni propinatur capo à Mundella: thlaſpi potum acetabuli menſura, bilem vtrinque extrahit, ex Dioſcoride. Iſchœmonem Thracia inuenit, qua ferunt ſanguinem ſiſti; non aperta modo vena, ſed etiam præciſa. Serpit è terra milio ſimilis, foliis aſperis & lanugino ſis; farcitur in nares, quæ naſcitur in Italia, & ſanguinem eadem ad alligata ſiſtit, ex Plinio. Exiguum eſt gramen apud nos, ſurgens calamulis geniculatis, ſurrectis, ſingulis in quinas ternaſue exiles florum ſpicatas caudicellas, digitatim ſparſis, ſapore aſtringenti, & exiccante, vnde non vana coniectura Plinianum *iſchœmonem* poſſumus exiſtimare, vulgo *pes galli* dicitur, quod in ſummo frutice trifariam gallinacei pedis imitationem habet: ius gallinacei dyſentericis medetur, ſed veteris vehementius, ex Plinio: ad membranarum cerebri ſanguinis profluuium prodeſſe dicunt ſanguinem galli, ex Galeno: ad ſanguinis reiectiones ore & naribus valere aſſa oua ſuadent Medici. Hedera ſuis radiculis

scolopendræ animalis,quum arborem scandit,imitatur, millepeda dicta; scolopendra ad psilothrum valet, ex Dioscoride;idem hedera præstans. Consolidam regalem,siue alterum cumini siluestris genus, recentioribus *sprondi cauagliero* vocatum, sed melius gallinaceorum calcar, quod ab altera floris parte cornicula sursum spectantia promat instar galli, vocetur *galli calcar*: Dioscorides potum serpentum morsibus præsidio esse dixit,& calculosis auxiliari:ius è gallinaceis potum præclare medetur serpentum morsibus,ex Plinio; sic & lapilli, qui in gallinaceorum ventre reperiri solent. καυκαλὶς pes gallinaceus, vel pes pulli Romanis dicitur inter Dioscoridis nothas nomenclaturas, quod nomen Ruellio adnotatur; nimirum quod extremum folium in gallinæ pedem conformetur: nam folia quæ prope imum scapum sunt,apium quadantenus effigiant: Dioscorides vrinam mouere dicit; Nicander aduersus venenata in theriacis admittit. Galli ius contra venena diximus,ex Dioscoride; quippe venenorum acrimonias hebetat,& contra serpentum morsus, ex Plinio; præterea ad calculos deturbandos validam affert opem, quod præstat & caucalis, multaque alia communia habent. *Cimbalaria* folio tenus anguloso, hederaceo, in muris nascens, lactis nonnihil habens, flosculo calathiformi, ex purpureo ad cæruleum inclinante,radice alba dulci,vt siluestri rapulo congener videatur;creditur oculis vtilis.Foliorum species per ætatem mutatur,ex rotundiori in longum: sed vero qua parte pedem gallinaceum referat, non facile dixerim, nisi forte mucrones illi, in quos diuiditur calyx,qui florem sustinet,eum repræsentare dicantur; præsertim cum flos deciderit, aut aruerit; tunc enim in diuersa tensi,rigentesque magis apparent. Diximus gallum ad oculorum aciem valere. Portulaca, Macro *pes pulli* dicitur, item & Siluatico. Aretæus in curatione cephalææ, carnes galli laudat contra serpentes, dysentericos, ad oculorum remedia,& stomachum; quæ omnia præstat portulaca,ex Dioscoride. Sesamoides *minor coronion* dicitur inter spuria nomina,quod à cornicibus mutuatur,quum huius folia coronopodi,id est,coruino pedi herbæ adæquentur: quippe si linea-

menta perpendantur, folia inciſura, & ortu coronopi ſunt, Plinius. Seſamoides minus panos diſcutit, & cornicis ſimus alphos. Lychnis ſilueſtris *hieracopodion* dicitur, id eſt, pes accipitris, nimirum à figura folij inter Dioſcoridis nothas nomenclaturas, & lichnis ſilueſtris à noſtris *accipitrinus pes* dicitur, & contra ſcorpiones valere pronunciatur; & recrementum accipitris contra morſus ſtellionis. Poteſt etiam accipiter quæ miluus; cuius iecur, vel cor geſtatum aduerſus ſerpentum morſus prophylacticon eſt, ex Plinio. Inter lychnidis coronariæ nomina apud Dioſcoridem, geranopodion legere memini. Diximus ex Dioſcoride valere ad ſerpentum ictus; idem grus contra animalia venenoſa: nam qui ſibi noctu metuunt dormientes à venenoſis animalibus, nutriant ſecum grues, docet Auicenna & Rhaſes.

Perpetuifoliæ arboris ratio cum animalibus;

CAP. XXIV.

DIXIMVS de plantarum partibus, quæ animalium membra demonſtrabant; nunc de earundem actionibus agemus, quæ animalium actiones imitantur, eaſque in plures partes diuidemus; ſcilicet de modo viuendi, coeundi, generandi, ſuperfœtandi, ambulandique; & primo de iis, quæ ſine cibo hieme viuunt, vt perpetuifoliæ. Inueſtigabimus rei rationem, mox Phyſiognomoniam. Sunt enim arbores, frutices, crenia, & herbæ, quibus folia non decidunt, ex Græcis Latiniſque aliquas commemorabimus, vt palma, olea, oleaſter,
791 myrtus, pinus, pinaſter, picea, abies, cedrus, iuniperus, ceratia, phillyrea, ſuber, taxus, myrica, buxus, ilex, aquifolium, celaſtrum, alaternus, paliurus, ſpina acuta, adrachne, arbutus, terebinthus, hedera, roſmarinus, lentiſcus, & cæteræ. Theophraſtus omnes anguſtifolias pingues, & odoratas dicit. Sed perennis comæ rationem ſcrutemur, quod arduum iudicamus, quum variæ & multiplices ſint noſtrorum maiorum ſententiæ. Theophraſtus ait, quod arbores, quæ perpetua coma frondent, tum germen, tum fructus ſero proferunt, ſcilicet ſpiſſitatis & ſiccitatis cauſa; paulatim enim in his profluit alimentum, quod foliis quoque venit, etſi è genere

ſemper virentium aliqua germine, fructuque præueniant, vt hedera, & rhamnus; vel ratione perpetuæ caliditatis, humiditatiſque, vel omnibus his de cauſis euenire. Et hiſtoriarum libro dicit, quod in agro Elephantino, Memphique prouenientes plantæ folia nunquam dimittunt, & in inſula Delta; parumque intercipit temporis, quin perpetuo vireant plantæ. In Creta inſula platanum ſtare, quæ nunquam folia deperdat; & quercum in agro Thurio, quum regio, ſolumque madidum plurimum ad perdurandum præſtent; nam quæ in ſiccis & tenuibus locis, prius foliorum iacturam faciant, & veteres prius, quam nouæ. Plutarchus rationem reddens immortalitatis hederæ comæ, ait non caliditatis, frigoriſue ex hoc argumentum nanciſci, quum myrtus, quæ in frigidiorum claſſem aſſeritur, perpetuo vireat. Empedocles ſpiraculorum, meatuumq; quandam mediocritatem cauſari, quæ nutrimentum æqualiter eliciant, & humidi iacturam reſarciant. Plinius quorundam opiniones referendo ait; Quæ non decidant eſſe callo craſſa & anguſta: ſed falſa definitio eſt, non decidere his, quibus ſuccus pinguior ſit. Quis enim poteſt in ilice intelligere? Decidere Timæus Mathematicus Sole ſcorpionem tranſeunte, ſideris vi quodam veneno aëris, putat. Cur ergo non eadem cauſa aduerſum omnes polleat iure miremur. Ariſtoteles in Problematibus cauſam afferens, cur ſues hieme pilum amittere non ſolent, ait, quod omnes calidi ſunt, & pili parti calenti adhærent; nam pingue calidum neceſſe eſt eſſe. Ecce apparet ratio quod in calidis, & pinguibus non cadunt frondes. Aphrodiſeus aliam affert rationem, cur pars prima capitis calueſcat, poſterior minus; an quod anterior pars capitis mollis, & laxa ſit, & cum pilus alimento vacat, vt qui non ita ſolide parti innitatur priori, facile defluit; poſtera vero ſiccior, & ſpiſſior eſt, ob id etiam denſis, ſpiſſiſque plantis frondes non cadunt. Quærit item Ariſtoteles in Problematis, cur alia animalia mutantur, alia non vtique; an quorum natura vincere, perdominarique humorem non poteſt, hæc incommutabilia ſunt? Et alibi Theophraſtus aſſignans cauſam, cur aliquibus locis ficus, & vitis

frondes non amittant, dicit, quia nunquam his nutrimentum, quantum sufficit, deest, & aliæ plantæ propter suam naturam, aliæ propter locum id fortiantur. Sed Aristoteles & Theophrastus, aut ex pluribus, aut ex omnibus rationibus euenire posse dixerunt, vt propriam causam ignorantes. Meã proferam opinionem: Dico succum esse in causa, qui suo lentore facit, vt planta sibi ipsi sufficiat, quemadmodum animalia, quæ sine cibo hieme viuunt; sic etiam in ipsis arboribus æterna coma virentibus intelligendum, latius retinere hieme frondes, propterea quidem ad eas multum alimenti, & satis habent suo calore, & lentore seruare succum in pediculis, quo minus aboleatur. Et Natura, vt sæpius diximus, elicit ex necessitate commodum: nam plantas, quæ aquilonaribus locis, & frigidis nascuntur, oportebat esse densas & spissas, nec comis orbari; quæ enim egregio robore valent, plus frigoribus resistere possunt, minusque vim frigoris admittunt, vt agrestes sunt arbores. Alia suppetit ratio, quod omnes hæ plantæ non germinent frigoris superuentu, nec folia deperdant. Sed scisciteмur quid secretarum virium ex hac Physiognomonia nanciscí poterimus. Plantæ, quæ hieme comis non orbantur, demonstrant animalia illa, quæ sine cibo hieme viuunt in cauernis, ex eorum substantia viuentia, vt serpentes, glires, herinacei, histrices, testudines, lacerti, crocodili, & hirundines, mutuoque alopeciis, stranguriis, purulentis auri-
192 bus, & excreationibus, oculorum claritati, sordidis vlceribus mederi; & obstare ne pili renascantur, & ex manifestis qualitatibus excalefacere, reficere, digerere, & similia, quæ quisque parum diligens inquisitor ex se poterit coniicere.

Plantæ, quæ animalium conceptus imitantur;

CAP. XXV.

NVNC plantas, quæ animalium conceptus imitantur, prosequamur. Theophrastus notabile in aparine euenire dixit. Nascitur enim flos in eo ipso hirsuto & aspero, non exiens, neque euidens, sed intus matureſcens, & semen pariens, vt illis simile sit, quod in galeis, & viperis euenit: illa enim vbi intra se oua peperere, mox animalia gignũt, & hæc

florem in se continens, concoquensque, fructum deinde parit. Hippocrates *philistion.* & *philetærion* appellat, quod, vt Galenus putat, non euidens, sed occultus in ea flos matureſcat, & intra se germinet semen, velut animalia, quæ in se pariunt, vt viperæ: *Philanthropos* etiam dicta, quia velut amici solent, commeantium laciniis obhæreat. Sed hæc de grandiori lappa audiri debent, quæ etiam semine vestibus adhæreſcit, & in ipsa flos nascitur non euidens, sed intus occultus, & intra se; quod in ea lappa notabile inuenitur, cõcipit; non autem aparine Dioscoridis, in qua flos albus emicat, exiens non conditus; semen vmbilici forma protuberat canaliculatum, & omnibus conspicuum; huius frondis tenacitas vestibus adhæreſcit, illius lapparum tantum, non foliorum tenacitas. Aristoteles Animalium libro de vipera hæc habet: Vipera è serpentibus animal edit, quum intra se primum oua peperit; ouum hoc molli cute contectum, vt piscium est; fœtus superne gignitur, nec duro cortice continetur; parit paruas viperulas, membranis obuolutas, quæ tertia die rumpuntur; euenit interdum, vt qui invtero sunt, abrosis membranis prorumpant. Ad viperarum morsum valere primo demonstrat Natura: sed Dioscorides suæ aparinæ succum potum, & folia contra viperarum, & phalangiorum morsus valere dixit, aurium dolori, & strumis: medetur & aurium doloribus ipsa anguis senecta in vino decocta, & infusa; vipera strumis, & suo ipsius veneno, quod Dioscoridis culpa euenisse reor, quum aparinem Theophrasti ignorauerit. Aliud floris genus est, quod in Parthis nasci tradit Apollodorus, *philadelphum* appellatum ex argumento, quod rami eius ex interuallo sponte coeant, ceu animantes, post digrediantur, concipiant & pariant.

Quæ animalium superfœtationes ostendant plantæ;

CAP. XXVI.

EST & in plantis superfœtatio, vt in animalibus; inter animalia lepus, & cuniculus superfœtãt; inter plãtas citrius, pinus, ficus Indica, siliqua, & multæ aliæ. Citrium fert poma omnibus horis, aliis decidentibus, aliis subnascentibus, aliis matureſcentibus, ex Theophrasto, à quo Plinius: Arbor citrij

omnibus horis pomifera est, aliis cadentibus, aliis matureſcentibus, aliis ſubnaſcentibus, Daſypodes, inquit Plinius, omni menſe pariunt, & ſuperfœtant, ſicut lepores, à partu ſtatim implentur; concipiunt quamuis vbera ſiccante fœtu. Et alibi: Lepus ſolus præter daſypodem ſuperfœtat, alium educans, alium in vtero pilis veſtitum, alium inchoatum gerens pariter: ſic Herodotus, Xenophon, Ælianus & Philes. Leporis capitis cinis, adiecto nardo, graueolentiam oris mulcet, ex Plinio; cerebrũ contra venena valere docuit Platina; in Theriacis Nicander leporem contra venena extollit ſerpentum,
193 ſcorpionum, & araneorum, murium & paſtinacæ. Citrij grana Parthorum proceres incoquere eſculentis ſolent, commẽdandi halitus gratia, potaque venenis reſiſtunt; cuius hiſtoria apud Athenæum. Pinus tres fructus eodem tempore habet, flores recentes, fructus iam maturos, & alios tabeſcentes, ex Plinio. In maxima admiratione pinus eſt, habet fructum matureſcentem; habet proximo anno ad maturitatem venturum, ac deinde tertio, nec vlla arborum auidius ſe promittit; quo menſe ex ea nux decerpitur, eodem matureſcit alia, & ſic diſpenſatur, vt nullo non menſe matureſcant. Quæ ſe in arbore ipſa diuiſere, *zamiæ* vocantur, lædunt q; cæteras, niſi detrahuntur. Valent leporis teſticuli ad coitum in viro, & conceptum in muliere promouendum: eiuſdem fimi cinis in vino veſperi potus, nocturnas tuſſes ſanat, ex Plinio. Pinei nuclei, Veneri & conceptui proſunt, vt diximus; & tuſſi, & tabi auxiliantur, ex Dioſcoride. Arbutus fructus integro anno matureſcit, vt ſimul hunc haberi, atque alium florere propediem contingat, ex Theophraſto. Audiui ex floribus, & fructibus aquã extractã diſtillatione, comitialibus prodeſſe, quod idem leporis pulmones ſale conditi, & per dies triginta dati præſtant, ex Plinio. Iuniperus, & ilex anniferæ habentur, nouuſq; fructus in his cum annotino pendet. Ilex, quercus ſpecies, ad ſerpentum morſus ſimul cum iunipero valet, idemq; præſtant cuniculus, & lepus, vt diximus. Scolymus floret ſero & diu, mirumq; quod ſine interuallo tota æſtate, aliud floret, aliud concipit, aliud parturit, & ad idem valere notum fecimus.

Plantæ super alias viuentes, animalia super alia viuentia demonstrantes; CAP. XXVII.

SVNT & plantæ super alias viuentes, & cadytes, viscus, dryopteris, filicula, fungi, hypocistis, & eiusmodi talia, quæ animalia referunt super alia viuentia, vt cochleæ, pediculi, &c. Aristoteles animalia esse inquit, quæ non nisi in aliis animalibus, nec alibi, nec aliter oriantur, & ab eo Theophrastus; Multis datum à Natura est, vt non nisi in aliis valeant prouenire, sicut & animalia quædam, non nisi in animalibus possunt creari, ceu quæ in conchis nascuntur, neque in cæteris aptis præstare animalibus pabulum. Sunt & cancri, qui in alienis testis viuunt, ex Aristotele. Pediculi marini alij delphinis, alij alijs piscibus inhærent, vt abigi non possint, nec prius abscedunt, quam tabidum, & exsuccum piscem reddiderint, reperiunturque in mugilum, luporum, & saxatilium piscium corticibus affixi. Valent pediculi instillati ex aceto auribus. Et alibi: Emolliturque rigor ceruicis cum marinis, qui pediculi vocantur, ex Plinio: valentque ad vlcera capitis manantia. Viscum emollit tubercula, cæterasque collectiones ad maturitatem perducit; vetera vlcera, abscessusque emollit.

Variorum animalium actiones referentes plantæ; CAP. XXVIII.

PLANTAS illas in præsenti referemus, quæ varias animalium actiones repræsentant. Trifolium inhorrescit contra tempestates, vt vituli marini pellis. Adeps vituli marini miscetur intermortuæ vuluæ vitio; coagulum vero comitialibus. Asphaltites trifolium & fœminarum quoque vitiis opportunum. Chamęleon herba vocatur à variatione foliorum; mutatur enim cũ terræ colore, hîc viridia, illic albicantia, alibi cęrulea nonnunquam inueniuntur, ex Dioscoride. Sed chamæleon non ex terræ variatione colores mutat, sed cum hęret alicui colorato; ob id non recte impositum nomen, nec cum ipso animali aliquid commune habet; sed viperæ sunt, quæ 194
colorem dorsi, & totius pellis mutãtur soli mutatione, vel regionis, in qua viuunt; quocirca aliæ virides, rubrę, ruffæ, albę,

& nigræ reperiuntur, vt sæpius obseruauimus: valet chamæleo herba contra viperarum, & serpentum morsus; terra vlcera, & phagedænica purgat, vt vipera ipsa contra elephantiasin. Sed chamæleon animal omni, quo hæret colore, tingitur, exceptis candido & rubro; repræsentat polypum marinum, qui colorem omnium scopulorum recipit, dum piscibus insidiatur, quod etiam & in metu facit, vt ipse chamæleon. Delectantur polypi arbore olea, vt sæpe reperiantur oleæ truncum amplexantes. Ad Venerem valet polypus, & elephas chamæleonte deuorato, occurrit huic suo veneno oleastro herba, vel olea; & deuoratis chamæleontis ouis, subuenitur oleo. Tarando animal etiam colores mutat.

Animalium odores ementientes stirpes;

CAP. XXIX.

MVLTÆ sunt etiam herbarum frondes, flores, fructus, & radices, quæ animalium odores imitantur, ad eorum vires manifestandas; & primo eas ostendemus, quæ hircum olent, ad luxuriam se valere indicantes; est enim hircinus odor luxuriantium. Crebro enim veneream rem peragentes, aut qui in ætate sunt, quæ sufficiat Veneri, male olent, hoc est hircinum virus redolent. Cerui mares quum impleuerint fœminas, separantur per se ipsi propter libidinis graueolentiam, & quisque solitarius scrobes fodit, fœtetque vt hirci. Hæc ceruo accidunt, quia salax animal suapte natura est, ex Aristotele. Et quia prædicta quoque animalia contra serpentes valent, & eædem stirpes olentes hircum, ad serpentum morsus. Nardus Celtica adulteratur *hirculo* herba vocata, ab odoris grauitate, ad venenatos ictus valet. Est genus nardi, cui *Sampharitico* nomen, hircorum virus supra modum redolens, miscenturque antidotis. *Tragorchis*, seu testiculus hircinus dictus, quod hircum redoleat, odore graui, & viroso, Venerem proritat. Pimpinellarum notissima hircina, quod hircum spiret: venenosorum animalium morsibus obstat: deturbandis etiam calculis peroptima, vt hircinus sanguis. Multi sunt fructus, radices, & herbæ, quæ moscum olent. In siluestribus capreis, quæ montibus oberrant, vaganturque, pas-

cuntur odoratis herbis, & nardo præcipue; sanguis putrescit intra cutem, & carnem; concepta sanies, antequam vomica rumpatur, suapte natura ad maturationem spectat; ad quam cum ventum fuerit, fera titillantis humoris lancinantu noxio lacessita, saxis & cotibus, longo insolatu candentibus sese affricat magno oblectamento, donec facto vomicæ emissario, tota saniei vis à folliculo supra lapides effundatur, non aliter quam abscessus pure cocto fractus dissilit; vlcus postmodum cicatricem ducit, rursumque ruens sanguinis impetus eo se recipit, impletque vmbilicum, dum abscedens in consimilem vomicam extuberet. Indigenæ, ex saxis, quibus fusa colluuies candenti Sole resiccata cohæsit, colligunt, ex Simeone & Serapione. Theriaca est venenorum & proprie napelli, ex Auicenna; odore suo spiritus, & vires corporis omnes corroborat, idque momento, propter partium tenuitatem; vtilis est lipothymiæ, ex Simeone; vertiginem emendat, somnum inuitat, & Venerem stimulat; cerebrum roborat, ex Auicenna, & Mesue; timorem melancholicum pellit; abstergit albuginem, & roborat visum; appetitum restituit: flatus destruit ad matricis suffocationem, ex Plateario: & oris halitum commendat: & alia quæ piget referre: moschatuli polypi Venerem excitant; rosæ *moschatulæ* dictæ lipothymiæ prosunt. Geranij genus, *acus muscata* dicta, iucundum moschi odorem reddit, fortasse Plinio geranij genus Latinorum: vua Apiana, pyra myrapia, & reliqua, quæ odorem moschi spirant, & ad eadem valent. Bryon, siue *splachnon*, muscus arboreus odore præstans est, comburiturque, odoris oblectamento somnum inducit: ventriculum & cerebrum roborat: inter cordis medicamenta vtiliter inseritur, quod sua odoris fragrantia animi defectus iuuet, ex Auicenna. Hyoscyamum Latini *caniculatem* vocant, vt Macer, & Siluaticus, qui caniculatem quoque vocat, nominis causa odor, qualis catulorum lactentium, quod in cynoglosso quoq; percipi videtur. Primiparæ canis lac potum contra venena antidoti vicem obtinet, Dioscorides: & canino sanguine nil præstantius contra toxica putatur, ex Plinio. Caluaria canis

trita testiculorum tumores mire sanat, Sextus: cynoglossi folia cum suillo adipe veteri canis morsui inedentur, ex Dioscoride. Mire contra venenum valet hyoscyamos, ex Plinio; tumorib. testium illinitur, & alia quæ omittimus. Coriannon à cimicum viroso putore: seminis grana tria in tertianis deuorari iubent aliqui ante accessionem, vel plura illini fronti, ex Plinio; & cimices cauis fabarum inclusi, si ante febrium significationes septenni deuorentur, quartanis auxilio sunt, ex Dioscoride. Nos septem melle & cinnamomo obuolutos quartanario dedimus ex vino Ainæo, & multos sanitati restituimus.

96 IO. BAPTISTÆ
PORTÆ NEAPOLITANI
PHYTOGNOMONICORVM
LIBER V.

PROOEMIVM.

SIMILITVDINES *plantarum absoluimus, quæ animalium membra demonstrabant; nunc eæ se ingerunt, quarum munus est morbos & incommoda ea indicare, quæ in humanum corpus grassantur. Aperuimus iam in humana Physiognomonia methodum, qua ex apparentibus facie extimis moribus ad internos prosligandos descendere poteramus; nunc plantarum partes, similitudine indice, eos morbos ostendunt, quorum vitiis & cruciatibus suis dotibus occurrere poterunt, ferunt que secum suæ virtutis argumenta; adeo nil esse occultum Natura voluit, vt quæ prius*

ad cæciores causas nos relegabant, & in earum disquisitione nostros sensus consopiebant, in præsentiarum ad suas diuitias contemplandas, abstrusiore penu reseratas commouent, & excitant : sed morbos quos plantæ ostendunt, alios in semetipsis, alios suis partibus effigiando; ab iis incipiemus, quos in suis membris partiuntur; mox, qui suis partibus indicantur; & hi vel vniuersales, scilicet totum corpus peruadentes, particulares alij; vnde de vniuersalibus dicemus primo, mox de particularibus, externis, internisque. 19

Arborum morbi qui fuerint, & eos ad humanos morbos valere; & primo longæuas arbores ad vitæ nostræ longæuitatem valere;

CAP. I.

INFESTANTVR namque & arbores morbis, adustione, algore, sideratione, vermiculatione, dolore membrorum, & aliis, vnde partium debilitas societate nominum quoque cum hominum miseriis. In his maxima Naturæ subtilitas aperienda est; iure quidem eam exsecraremur, si arbores morbis obnoxias generasset, quum nec motu, nec manibus fruerentur, quibus sibi mederi, opitularique possint, nisi hoc spectaculo mortalium oculos euocaret, vt contemplarentur omnia ad nostram medicinam, & salutem confecta esse, vt iis admoneremur nostris morbis subueniri posse. Nec sibi satis officio functa videri poterat, nisi tot tantisque modis etiam arborum morborum ostentatione debitum munus absoluisset. Sed ne pro his morbis dignoscendis lectores ad nostros Agriculturæ libros relegemus, breuiter eos, atque capitulatim attingemus. Plantarum interitus aut est naturalis, aut præter naturam : præter naturam duobus modis euenit; aut enim extrinsecus habet causas, aut intus; externæ violentiæ non vniusmodi; quædam enim violentiores, scilicet quæ exciduntur; minus violentæ, quæ ab aeris qualitatibus proficiscuntur. Internarum triplex partitio est; aut dyscrasia, aut inanitione, quæ duplex; vel quia non accedit alimentum, vt in squalloribus aut, quia absumitur nimia fœcunditate; tertius modus ex nimia bona habitudine. A naturali interitu incipiemus; is enim est, qui euenit senectute. Senectus enim naturalis est morbus cuius terminus est mors,

vnde à Natura arbores constitutæ sunt, vt aliæ breuiore, aliæ longiore vita fruantur ; ex earum corporis habitudine, & qualitate, ab his loquendi ansam sumemus de nostræ vitæ longitudine, & breuitate, scilicet quomodo breui, & longo tempore viuere possimus ; his innixi principiis, satis ab illis Medicorum diuersis ; veluti falsa reijcientes, quæ Genethliaci dicunt, qui vitæ metam præfigunt ; dicimus enim qui infirmitates cauent, & noxia vitant longiorem vitam ducere possunt. Quia vero vita cunctis fere cara est, ideo cariores iudico nostras præceptiones futuras. Fatemur igitur plantas illas, animalia, omniaq; terræ nascentia, quæ longius viuunt, ac se renouant, aut quæ putrefactioni obnoxia sunt, nobis suas qualitates imprimendo, efficere, vt nos diutius viuamus, renouemur, ac minus corrumpamur. Iis vti poterimus pro esca, balneo, inunctione, suffumigio, aliisque modis. Incipiemus à plantis, quæ fuerint diuturniores ; inde ad cætera deueniemus, & ex earum Physiognomonia, & auctorum historiis vitam inuestigabimus. Hippocrates libro De humoribus, arbores, quæ corticem tenuem, & siccum habent, intrinsecus autem carne sicca constant, sanæ, diuturnæque sunt; nec facile putrescunt, vt testudines, & quicquid eiusmodi est. Democritus arborum radicem vitæ auctorem statuit ; censuit enim tortas arbores longiores, ac vegetiores radices habere, & sibi plurimum alimenti tum parare, tum retinere quo fruerentur; quoniam lente, ac minutim intercipit, ac sursum transmittit stipiti ; quippe talium stipes densior, & compactior est : rectarum meatus porrectiores sunt, sine anfractibus, atq; ideo breuiores, quocirca citius ab radice submittitur alimoniæ commeatus; non igitur radices harum tam bona constant habitudine, atque illarum : & cum à radicibus vitæ primordia constituantur, in quibus eæ fuerint robustiores ; futuras item arbores habitiores, ac vitæ productioris. Radices enim rectas imbecilles affirmat, quæ se ab incommodis tueri nequeunt, ob conseruationem. Concutiuntur enim arbores à
8 frigore & calore; quorum vtrumque de partibus superioribus per rectos meatus ad radices demissum, eas corrumperet. At-

que præter noxas frigoris & caloris, ventorum vi, atque reciprocis fluctuationum flexibus agitantur stipites, eaque concussione, & iactatione commouentur, & mutilantur radices. Sed Aristoteles & Theophrastus secus sentiunt; nec esse verum longæuarum arborum radices longas & crassas esse, & pro exemplo ficus adducunt, quę prolixa crassaque nituntur radice, neque perennis vitæ sunt, neq; directæ, erectæq; vitam habent breuē, vt abies, palma, & cupressus, nec celeri auctu proficiunt, sed densitatem, siccitatem, soliditatem, atque pinguedinem vitæ causas dixerunt, ijsque vitæ longitudo assignari debet. Sed Theophrastus alibi dixit aquatilibus plantis breuiorem vitam quam terrestribus esse: sicut & in animalium genere manifesto sentimus, & terrestrium siluestres omnes rustici dicunt; & quippe siluestribus simpliciter dici potest vita longior, quam vrbanis; atque omnino iis, quæ in opposito genere distinguuntur, vt oleaster, quam oleæ; caprificus, quam fico; quippe robustiores, spissiores, ac fructu infœcundiores. Sed nos ex auctorum scriptis arborum vetustatem inuestigabimus. Plinius ex Theophrasto: Cariem, vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus, hebenus, lotos, buxus, taxus, iuniperus, oleaster, & olea. Cedrum maxime æternum putant, claro de omnibus materiis iudicio in templo Dianæ Ephesiæ, vtpote cum tota Asia exstruente quadringentis annis peractum sit. Conuenit tectum eius esse è cedrinis trabibus. Memorabile & Vticæ templum Apollinis, vbi Numidicarum cedrorum trabes durant, ita vt positæ fuere à prima eius origine, annis mille, centum, octoginta octo: quia eius materia æterna erat, simulachra deorum ex ea factitauerunt. Cedrinus est Romæ in delubro Apollo Sosianus Seleucia aduectus. E Tripoli Syriæ ciuitate in radicibus Libani montis sita, in cacumine adhuc durant in quincuncem cedri Salomonis manu plantatæ. Libri, qui eius oleo perfunduntur, à tineis non attinguntur. Numæ libros repertos post DXXXV. annos cedratos fuisse memorant, propterea arbitrarer tineas non attigisse, in quibus scripta erant philosophiæ Pythagoricæ. Ob hanc materiæ æternitatem Pythagoras mone-

bat Deos honorandos cedro, lauro, cupresso quercu, & myrto, vt habetur ex Iamblicho. Cedriæ vim tradit Dioscorides, quæ defuncta corpora conseruet; ex qua causa *mortuorum vitam* aliqui eam appellauere. Iunipero eadem virtus, quæ cedro, & eius medulla solidior, quam cedrus. In Hispania Sagunti aiunt templum Dianæ à Zacintho aduectæ cum conditoribus, annis ducentis ante excidium Troiæ, vt auctor est Bochus, infraque oppidum ipsum id haberi, cui pepercit religione inductus Annibal; iuniperi trabibus etiam nunc durantibus. Cariem, vetustatemque non sentit cupressus; valuas è cupresso fuisse in templo Dianæ Ephesiæ constat, & iam quadringentis prope annis durare materiam omnem nouæ similem: Id quoque notandum, valuas in glutinis compage quadriennio fuisse. Nonne simulachrum Veionis in arce è cupresso durat, à condita Vrbe quingentesimo quinquagesimo primo anno dicatum? Narrat Thucydides arcas fuisse è cupresso, quibus eorum adseruantur ossa, qui in bello fuissent cæsi; quod solitum fieri astruunt, quod putredinem nesciat. Plato leges publicas, atque instituta in sacris ponenda censebat tabulis cupressinis, quod futuras putabat æterniores, quam æreas. Nec vetustatem sentiunt oleaster, & olea, vt diximus: Durant in Liternino Africani prioris manu satæ oliuæ. Argis olea Plinij tempore etiam durare dicebatur, ad quam Io in vaccam mutatam Argus alligauerit. Olympiæ oleaster, ex quo primus Hercules coronatus est, & tunc custodiebatur religiose. Athenis quoque olea durare traditur in certamine edita à Minerua. Firmissimæ ergo ad viuendum oleæ, ac quasi durare annis cc. inter auctores conuenit. Adeo morose crescit, vt negauerit Hesiodus oleæ satorem fructum ex ea percepisse quenquam, tam tarda res erat. Sed nulla inter arbores diutius viuit, nec ligno vlli æternior natura, quam viti, & præcipue siluestri. Theophrastus de eius vita à posito caudice pro principio temporis
99 annis maxime ducentis consummari. Iouis simulacrum in vrbe Populonia ex vna conspexit Plinius, tot æuis incorruptum: item Massiliæ paterani: Metaponti templum. Iuno-

iis vitigineis columnis stetit. Etiam nunc scalis tectum Ephesiæ Dianæ scanditur vite vna Cypria, quoniam ibi ad præcipuam amplitudinem exeunt; verum ista ex siluestribus facta creditur. Dianæ Ephesiæ simulacrum Mutianus ter consul ex his, qui proxime viso eo scripsere, vitigineum, & nunquam mutatum, septies restituto templo. Naturæ prouidentia liquores duos humanis corporibus gratissimos contribuit, oleum & vinum. Mulsum ex vetere vino vtilissimum, & melle. Et multi longam senectam toleruere mulsi tantum nutritu, neque vllo alio cibo: celebri Pollionis Romuli exemplo, centesimum annum excedentis; eum Diuus Augustus hospes interrogauit, quanam ratione maxime vigorem illum animi, corporisque custodisset; at ille respondit; *Intus mulso, foris oleo.* Olei potestas tepefacere, & contra algores munire. Semina caloris vinum habere testatur Homerus, quum dixit, ἄῤῥενα οἶνον: nec minorem oleum habere inquiunt vim in calefaciendis corporibus. Vitæ venenum vocant tristitiam, eiusque præcellens antipharmacum est, suaue clarumque vinum, cui tantum attribuisse dicitur Æsculapius, vt æqua cum numinibus lance statuerit. Suffragatur huic Platonis sententia: *Ingenio, ac viribus temperato vini calore, fomentum suscipi mirificum.* Vini odor spiritum excellenter nutrit, ac velociter alit corpus, tum voluptate sensus delinit, venenis reluctans, ac naturæ salutare censetur; nec id gustu modo, sed odoratu; sicut homini venenum cicuta, consimiliter cicutæ, vinum. Summi Medicæ artis auctores vinum miris extulere laudibus. Homerus conciliandæ beneuolentiæ, dulce vinum prædicat; vehemens vero stupefactiuum, quod Cyclopi apposuit Vlysses. Niceratus vinum Poetis conuenire dixit, ac magni equi vice esse. Democritus abstemios acrioris naturę arbitratur. Vinum ergo sit suaue, clarum, & odoriferum, sed aquosum, frigidum fugiendum; quia intra venas putrescit, & fit cito acidum: est enim aquosum putrefactioni obnoxium; temperatum frigidam corporis habitudinem calefacit, calidam refrigerat, humefacit siccam, & humidiorem desiccat; & vt Galenus dicit, humorem naturalem recreat, & calorem

lorem fouet. Senibus non temperandum aqua; *frigida* namque *senectus est*, inquit Plato: Senectus mero feruet, atque mollior redditur, vt ferrum igne. Democrito iamiam exspiraturo, medulla panis vino madefacta, ad olfactum adhibita, spiritum retinuit, quoad placuit, fugitiuum; vt obsequeretur amicis. Sed nec solum è vitibus vinum, sed ex aliis fructibus conficitur: mira vis in eo ad eliciendas rerum virtutes internas, quas Chymistæ *quintam essentiam* dicunt, quibus maxime vti debemus. Oleum vetustate fit potentius, purum transit in alimentum, & robur addit; impinguat; bonum habitum restituit; colorem bonum præstat; oleo perungimus, quæ incolumia seruari volumus: plantæ oleo constant, adipe animalia: ob id plantæ animalibus viuaciores, oleum minus resoluitur, quam pingue; & pingues arbores vitæ diuturnioris, oleosæ arbores sunt, quæ oleosum refundunt humorem, splendescitque intus pinguedo. Tardissime vetustatem sentire laricem tradit Theophrastus; & iuglandem, piceam, pinum, aduersus cariem & tineas firmissimas, & obrutas terris plurimis durare annis. Ob id Plinius ait: Siluas eas duntaxat, quæ picis, resinæque gratia radantur, vtilissimas esse phthisicis, aut qui longa ægritudine non recolligant vires; satis constat & illum cœli aream plus ita, quam nauigationem Ægyptiam proficere, plusquam lactis herbidos per montium æstiua potus. Ex hoc enim veteres Medici nucleos pineos senibus aptissimos iudicant: habent enim familiare nutrimentum, calidum humidum, & pingue, vt omnem leniant asperitatem, atque dum naturalem humorem augent, superfluum desiccant, & putridum expurgant. Vnde qui nucleorum eiusmodi drachmam vnam quotidie post cibum exhibent senibus, iecori, & stomacho multum adferunt adiumenti. Idem etiam de pistaceis dicendum. Ab interitu & senio immunis palma est, quod etiam Orphica testantur carmina:

Animal æquale longicomis palmæ ramis.

Et Deli palma ab Apollinis Dei ætate conspicitur. Gloriæ & victoriæ symbolum palmam dicunt Græci, quod inte-

arbores cunctas sit macrobia maxime, quod gloriam addeceat esse perpetuam, nec vnquam consenescere. Præterea epitheta illa palmæ ἐμπεδόφυλλον, & ἀείφυλλον, quod firmis, & perpetuo virentibus foliis insigniatur, congruunt maxime, quum inter cæteras arbores nullam plane videmus eadem custodientem folia, sed decussis prioribus succrescunt alia. Dactyli amici sunt senectutis, eamque prorogant. Dos his præcipua succo pingui lactentibus, quodamque vini sapore in melle prædulci, ex Plinio. Vetustior autem Vrbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis literis Hetruscis, religione arborem iam tunc dignam fuisse significat. Tiburtes quoque originem multo ante vrbem Romam habent. Apud eos exstant ilices tres, etiam Tiburto conditore eorum vetustiores, apud quas inauguratus traditur. Fuisse autem dum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit vna ætate ante Iliacum bellum. Iuxta vrbem quercus in Ilio tumulo tunc fatæ dicuntur, cum cœpit Ilium vocari. In Ponto circa Heracleam aræ sunt Iouis Stratij cognomine, ibique quercus duæ ab Hercule fatæ. In Septentrionali plaga Hercyniæ syluæ roborum vastitas; intacta æuis, & congenita mundo, prope immortali sorte miracula excedit. Constat attolli colles occursantium inter se radicum repercussu, aut vbi tellus sequuta non sit, arcus ad ramos vsque, & ipsos inter se rixantes curuari, portarum patentium modo, vt turmas equitum transmittant. Fuit glandiferarum arborum fructus primus homini cibus, vt Arcades balanophagi dicerentur, ex Plutarcho; & Plin. glandes multarum gentium opes fuisse dixit, pace gaudentium; & longæui, incorruptique perdurabant, vt ex auctoribus patet. Nec solum glandiferæ arbores, sed siluestres omnes longe vrbanis perenniores sunt; vt ex Theophrasto patuit: & longe vrbanorum animalium siluestrium vita longior est, ob id siluestres arbores longe vrbanis præstant ad vitæ longitudinem. Vrbanæ enim lætamine, irrigationeque corruptibiliores fiunt, ideo Hesiodus vates sterquilinium in suis de Agricultura præceptis omisit, qui salubritati potius, quam fertilitati consulit; quum & lupinorum, fabarumque tempestiue

subactis stirpibus pinguescere agrum posse putauit. Sunt auctores Delphicam platanum Agamemnonis manu satam, & alteram in Caphys Arcadiæ luco. Regio est Aulocrenes, per quam ab Apamia in Phrygiam itur, vbi platanus ostenditur, ex qua pependit Marsyas victus ab Apolline, quæ iam tum magnitudine electa est. Arantiorum arbor longo viuit tempore, vtpote ad ducentos annos; cuius facultas est ad putrefactionem in corpore euitandam. Aloe perpetua, & immortali vifore donata, à terra eruta viuit, vt pene immarcescibilis; contra putrefactionem valet, vindicat à putredine non solum virorum, sed mortuorum corpora, addita myrrha, ex Mesue. Scilla immortali coma viret, & appensa extra terram diu viuit, in domo sata mali medicamenti noxam tollit; & herbas, vel plantas quibus iuxta apposita, immortales reddit, & tutas à vermibus & earum putrefactionibus: in homine mira operatur. Nunc ad cerealia transeamus, inter quæ nullum tritico melius surgit, dein milium, quod diu seruatur, prope ad centum annos, si optime conditur. Sarmatum gentes hac maxime pulte aluntur. Æthiopes non aliam frugem, quam milij nouere, vnde oportet optimum eligatur, quo vescamur, saltem quod vsque ad triennium seruatur incorruptum, natumque ex agro minime paludoso, stercoratoque, sed ex siccis collibus. Est graminis æterna natura, perennis prouentus, restibilisque fœcunditas, quouis anni cardine, cœlo, solo, & sidere luxuriat, vt totum orbem amœno ornet virore, & gradatim se propagando grato amicit decore. Triticeo generi cognata res, & nobilitate proxima: ob id Glaucum vulneratum huius herbæ cibo immortalitatem consecutum fabulata est antiquitas, vt ex Æschionis versibus Athenæus refert, & manifestiori signo docebimus.
101 Graminis species est, quam Græci vocant *coronopoda*, quasi cornicis pedem; signum quod è mediis foliis stylus exurgens in corui pedem articuletur, reliquam exhibens cruris effigiem. De ceruo dicemus paulo post inter longæua animalia. Ex harundinibus saccharum extrahimus, non solum id incorruptibile, sed aliis præstat, ne corrumpantur; vulneribus

niectum à putrefactione liberat; ex eo solo ingentia vulnera sanari vidimus. Sit igitur familiare saccharum vitam prolongare cupientib. quia nec humores, nec cibum in ventre putrefieri permittit. Nunc de melle loquemur. Frutices, ex quibus mel colligunt apes, æternæ comæ sunt; odorati, pingues, & perpetui, vt apud agriculturæ studiosos legitur. Præcipua mella reddunt thymus; thymo deinde proxima thymbra, serpillumque, & origanum. Tertiæ notæ, sed adhuc generosæ marinus ros, satureia: sed deterrimæ notæ mel rusticum est, quod sumitur ex oleribus marcescentib. & stercoratis herbis; quæ, vt diximus, putrefactioni proximiores sunt. Nullo magis gaudent flore apes, quam melissophyllo; sic etiam ex erica, arbuto, pinu, ilice, hedera, glandiferis, terebintho, lentisco, cedro, amello, & casia, ex Columella. Nec ex his excipimus oleam; quippe oliuæ prouentu plurima examina gigni certum est, ex Plinio, etsi aliquibus improbetur. Loca, in quibus habitant, longe à cloacæ, sterquilinij, & balnei odoribus absunt, cauas rupes, & valles odio habent, sed optimis viuunt regionibus, salubribus, & repurgatis, vt in insulis Sicilia, Hymetto, & Hybla; ab locis, mox Calydna insula & aliis. Est ideo & in melle cœlestis vis, & naturæ potentia inenarrabilis, cum à putrefactione exanima corpora, & viua mire custodiat, & in æternitatem proroget. Græci, vt mellis diuinam naturam ostenderent, Nympham Melissam nomine adinueniſſe dicunt, vt grata Nympharum memoria illustraretur. Scribit Plinius Claudio Cæsari allatum in melle ex Ægypto hippocentaurum. Papinius Alexandri cadauer melle litum putredini non obnoxium perseueraſſe prodidit. Inquit Poeta;

Duc & ad Emathios manes, vbi belliger vrbis
Condiror, Hyblæo perfusus nectare durat.

Ex hac corpora à putrefactione vindicandi ratione compertum est, vt mulsi tantum intinctu multi longam senectutem experti sint, celebri, vt diximus, Romuli Pollionis exemplo. Pythagorei ad integra & illibata corpora reddenda, vescebantur melle, fauo, & pane, vt ex Iamblico habetur. Democri-

tus morti proximus, mellis & vini odore vitam prorogauit, donec Thesmophoria Cereris sacra finirentur, ex Athenæo, & Laertio. Vita apibus longissima; & sunt qui mortuas, si intra tectum hieme seruentur, donec Sole verno torreantur, ac siculneo cinere toto die foueantur, putent reuiuiscere. Mellis odor plurimum alit, & spiritus & cerebrum roborat: vnde iuuat, vt per ea loca ambulemus, & oblectemur, vbi apes habitant; nam selectissima loca, nitida, odorata, puri aëris, & innoxij eligunt, vbi optimi frutices, & flores nascuntur. Ibique sæpius mel degustandum, nisi bilis timeatur incendium: nam ad vitæ incolumitatem plurimum iuuat. His, quæ diximus, non solum ad esum, sed ad odoratum vti debemus; iuuatur enim humana natura odoribus, iuuanturque spiritus; odor enim naribus haustus, ad cor & cerebrum trahitur. Immo sunt & regiones in calidis, vbi homines solis odoribus viuant, vt ex Plinio habetur. Odor spiritum compressum, suffocatumque excitat, exhalantem retinet. Videmus matricis os, deorsum, sursumque verti, vbi suauis odor spiret, exiguus spiritus, & fugax odoribus retinetur, vt multoties experti sumus. Odore *Elixiris vitæ* nuncupati, ex variis aromatibus compositi, multorum exhalantem animam retinuimus. Myrrha & thus ad conseruanda corpora valent, ne putrescant, & incoruptibiles sunt arbores. Possumus etiam iis in balneis & inunctionibus vti, aquam extrahendo, vel vnguenta componendo, & mire corpus recreatur, etiam oleum eliciendo, & in frictionibus vtendo post lauacra. Praterea loca incolant saluberrima, vbi longæui homines viuant, & animalia, & arbores vetustæ; nam ibi saluberrimus aer, & minime putrescens, temperati Soles, venti, & frigora. Plato enim longæuos homines in altis & editis regionibus reperiri
202 dixit. Animantes, herbas, poma, fruges, & olera ex his locis eligere oportet, quæ venti temperati serenant, suaues Solis radij fouent, vbi aquæ nullæ stagnent, culta sterquiliniis non pinguescant, sed humore natiuo, vbi quæcunque nascuntur, diu perseruantur incorrupta; hic duntaxat habitandum, in his regionibus ambulare debemus, inter plataneta, oliueta,

pineta, cupreſſeta, myrteta, citretaque. Sic & inter longæuas herbas, & ſuaueolentes, roſmarinum, ſatureiam, ſerpillum, ſaluiam, & ſimiles: eas manibus contrectando, fricando, odorando: quæ cum à putrefactione immunes ſint, à corde, cerebro, ſanguine, humoribus, & ſpiritibus omnem auferunt putrefactionem, & longæuitatem conciliant.

Longæua animalia ad vitæ prorogationem valere;

CAP. II.

IDEM de animalibus intelligere debemus, quæ enim longo durant æuo, eorum ſanguis, caro, lac, medulla, & cæteræ partes vitæ perennitati conferre poſſunt. Hippocrates, vt diximus, diuturnioris vitæ animalia dicit ſicca, & quæ corticem ſiccum habent, vt teſtudines. Diximus plantas animalibus vitæ diuturnitate præcedere, quia minus putrefactioni obnoxiæ, ideo Porphyrius Pythagoricus, antiquorum auctoritate fretus, animalium eſum deteſtatur, vt homines diutius viuerent. Sed videamus quæ ſint longæua animalia. Ceruus viuendi diuturnitate cætera præcellit animalia, quia felle caret, ex Ariſtotele, vt etiam delphinus. Heſiodi exſtat carmen de vita quorundam animalium longæuorum:

Ter binos, decieſque nouem ſuperexit in annos,
Iuſta ſeneſcentum quos implet vita vixorum.
Hos nouies ſuperat viuendo garrula cornix.
Et quater egreditur cornicis ſecula ceruus.
Alepidem ceruum ter vincit coruus: ar illum
Multiplicat nouies phœnix, reparabilis ales.

Ceruis vita in confeſſo longa eſt. Ad dignoſcendam eorum viuacitatem Alexander Magnus torques plurimi ceruis innexuit, qui poſt centeſimum annum capti, nondum ſenij indicium præferebant, Solinus. Arcades aiunt Arceſilaum quendam in Lycoſura habitantem vidiſſe ceruam ſacram Dominæ appellatæ, ſenio grauatam, cui torques circa collum fuerit, hoc verſu inſcripto: Hinnulus fui captus, cum in Ilio eſſet Agapenor: quo quidem teſtimonio confirmari poteſt, ceruum etiam elephanto longe viuacius animal eſſe,

ex Pausania in Arcadicis. Ceruus esu serpentum renouatur, quum sentit se grauari senectute, spiritu per nares è cauernis serpentes extrahit, ac superata veneni pernicie, illorum pabulo reparatur. Quasdam nouit Plinius principes fœminas, omnibus diebus cerui carnes depastas, & longo æuo febribus caruisse. Vnde & cerui carnes, præcipue iuuenis, ad longitudinem vitæ valent. Aristoteles animal nullum homine viuacius arbitratur, excepto vno elephanto. Asachæ (Africæ populi) montes inhabitant, viuuntque elephantorum veratu; sic Nomades, Æthiopes, & Æthiopiæ contermini Troglodytæ elephantis vescuntur, vt elephantophagi dicantur, & iuxta Macrobios sint; ex Plinio. Serpentes longo tempore viuunt, quod renouentur quotannis: Dioscorides dicit longam senectutem agere, qui viperarum carnibus vescantur. Plinius Cyrnos Indorum genus Isigonus annis centenis quadringenis viuere; nam Æthiopas Macrobios, & Seras
203 existimat; at qui Calon montem incolunt, quod viperinis carnibus alantur, neque capiti, neque vestibus noxia esse animalia. Renouantur, & ceruis præstant, vt renouentur, & ad nostri corporis renouationem valent, & senectutem retardandam. Sed si eius esum horremus, cibabimus eis gallinas, & nos gallinarum carnibus vescemur; & sic de aliis animalibus faciendum. Cornicis vita longissima, vtpote cui nouem nostras ætates dederit Hesiodus, vnde Iuuenalis de Nestoris polychronia;

Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ.

Hinc ἐννεάγηρος κορώνη apud Aratum, quod nouem ætatum annos viuat. Cornicis carnes esse in longissimis morbis vtile putauit Plinius. Aquila longo tempore viuit, quod diuturnitate nidi eiusdem declaratur, ex Aristotele; senectam quoque deponit, & iuuentutem recuperat, vt aliàs diximus. Oppetunt, non senio vel ægritudine, sed fame; in tantum superiore accrescente rostro, vt aduncitas aperiri non queat; potest quæ vultur & accipiter, qui animum corroborant, & ad vitæ diuturnitatem valent. Anseres longæui sunt; Albertus anserem domesticum vidit, qui annos sexaginta

excessisset: Celsus inter carnes enumerat plurimi alimenti. Anseres Medici spelta prius nutriunt, & aqua purgata, inde cibo propinant. Pauonum caro incorrupta, etiam per annum asseruatur, assa; propter duritatem putredinem vix sentit; plurimi est alimenti, ex Celso, præsertim si domi nutriti. Diximus testudines ex Hippocrate siccas, & diutius viuere. Antiqui Agriculturæ studiosi serenda semina in testudinis operculo seruant, & sic immarcescibilia manent, ex Anatolio. Dicunt Medici ad reficiendum humanum sanguinem, vti posse sanguine animalium, præsertim longæuorum. Stryges, quia infantum sanguinem sugere dicuntur, iuuenescunt semper, & longæuæ fiunt. Et si crudus, stomachosus sit, vt qui minime concoqui possit, coqui potest cum melle, saccharo, sale, aromatibus, & eiusmodi non putrescentibus. Idem de lacte dicendum. Possumus & eiusmodi animalia ex incorruptis frugibus nutrire, vtpotè milio, & fructibus longæuarum arborum, eorumque lacte, sanguine, & carnibus vti. Et quia oua nutritioni multum conferunt, possumus aues eiusmodi cibis enutrire, earumque ouis vesci.

Sale, & auro, quia nunquam putrescunt, possumus contra putrefactionem vti; CAP. III.

NEc omittetur sal; qui quum putredinem nesciat, maxime omnia à putredine vindicat, & naturali corpori salutaris; cum eo enim per annum seruantur carnes, humanæ naturæ adeo conducibilis, vt sine eo viuere nesciamus. Corporibus inditus, quicquid adest humidi, absumit; & quod reliquum est solidæ substantiæ, adstrictione contrahit, vnde corpora condita siccat, & à putredine vindicat. Cum omnibus coniuncto vesci potest, velut omnium condimentorum condimentum; immo omne stomacho insuaue, insuatumque, facile fit suaue, & aptum nutritioni, eo addito. Potest sal ex rebus omnibus extrahi, & præcipue ex lignis iam nominatis, animalibus, & herbis, sed cum virtute sua: *Hoc opus, hic labor*, quod Deo dante in distillationibus patefaciemus. Nec aurum omittendum, quum inter metalla omnia temperatissimum, & imputrescibile, diutiusque in igne detentũ suam

immortalitatem tueatur; & sub terra depositum per multa annorum secula rubiginem non contrahat. Ob eius temperiem mirifice humano calori iuuare posse credimus & humores temperare, & à corruptione tueri. Vi sua latentes cordis sedes penetrat, & id maxime exhilarare potest. Vnde si potabile fieri posset, humanæ naturæ conducibile foret; sed adhuc non inuentum, vt puto; falso enim putarunt veteres Medici cum aliis rebus commistum, & in foliola redactum suam virtutem communicare, vt ostendemus libro peculiari huic operi dicato, ostendemusque modum quo id præstare possimus.

Breuioris vitæ plantæ, animaliaque ad vitæ breuitatem valere;

CAP. IV.

ETsi ex contrariis, quę diximus, contrarium patere posset, exempla tamen aliqua apponemus, vt certiores fiant, & sibi consulant homines. Breuioris vitæ plantæ, & animalia, quæ maturius senectute conficiuntur, & quę putrefactionem nascuntur, & putrescentes sunt, ita putrefactionem, perniciem, & interitum inducere possunt. Fungi imbre proueniūt, cito nascuntur, & putrefiunt; intra septem dies eorum ortus & interitus, immo ex putrescentibus lignis, aliisque rebus nascuntur; & quanto citius putrefiunt, ac marcore vitiantur, peiores sunt & pernicioſiores. Etsi nocent; ægrius concocti, strangulant, & choleram morbum citant. Tuberibus putrescendi ratio communis cum ligno; nascuntur omnes quum imbres autumnales fuerint, & quibusdam locis seruntur riguis, gustu aquoso, nulla insigni qualitate, vnde crassos humores, & atrabilares, vt frequenter deuorati, apoplexiam & paralysim inducant. Fructus quoque qui cito crescunt, cito etiam marcescunt; sicut cucurbitæ, pepones, mora, cerasia, & eiusmodi; & qui in humidis nascuntur, putrescentes humores gignunt in corporibus. Ex carnibus pisces breuioris vitæ, & qui cito senectute conficiantur, citissime putrescunt, & membris alienum humorem imbibendo, etsi quem necessarium humorem membris ingerunt, citæ corruptioni subiectum donant; vnde cita canities, pallor, & senilis rugositas.

Eisdem vitiis obnoxiæ cochleæ, anguillæ, & similes, quæ ex luto & putrescentibus aquis gignantur; sic humidorum animalium, vel aquis degentium carnes, & præsertim quæ ex putrefactione suos natales habent; quia maxime humidiores improbantur. Ranarum carnes, quia laxæ & humidæ sunt, putrefactioni obnoxiæ. Vnde tutius, & longe laudabilius existimandum hos cibo interdici, aut parcius sumi, quam vitam tali periculo committere, præsertim ij, qui vitæ perennitati studeni.

Pingues arbores, & animalia ad impinguationem valere;

CAP. V.

NATVRALEM morbum iam diximus, si morbus est, qui humido naturali deficiente, tabescit, vt senio, non morbo interjisse videatur. Nunc dicemus morbos præter naturam; & primo de eo, qui ex nimia bona habitudine euenit, & intrinsece. Morbi enim plantis vel ex copia, vel inopia alimenti eueniunt. Est enim genus arborum, cui intrinsecus sponte euenit ex nimia pinguedine, quum radices succi copia in tædam abeunt, vt quædam animalia, quæ pinguedine suffocantur. Theophrastus picearum genus enumerat, & aliarum quarundam arborum, quæ nobis non parum commodi afferunt, quum Naturam se pandentem, & prodentem contemplabimur ad nostram pinguedinem, & decorationem valere posse. Quæ enim satis pinguescunt, & nos pinguefacere possunt. Oleosæ arbores pingues sunt, & corpora nostra dulcibus & pinguibus, cibo & potu augescunt, pinguescuntque: & iam vulgatum est Medicorum dogma, minui aridis, siccis, & siti; pinguescere dulcibus, humidis, & potu. Pinorum generi corruptio accidit sponte ex nimietate, & excessu nutritionis; quum enim per tædam pabulum transmittere nequit, perit; & rustici strangulari aiunt obesitate atque pinguedine; quippe omnia spiritum aliquem desiderant, vel solutionem, vel meatuum libertatem. Auicenna pini granum esse impinguatiuum docet. Et de picea eadem prodit, quum eiusdem generis, & etiam nimia pinguedine tædescat. Amygdalus arbor pingui succo turget, ex Theophrasto: adeo virium solidi-

ditate valet, vt eximio alimento in germinum luxuriam proruat. Rustici castigando eam, tollunt nimiam alimenti copiam, paxillos arbori adigendo, vel confossas radices ostendunt imbribus, & frigoribus; Auicenna dicit, quod qui dulces amygdalas vorant, pinguescant. Pistaceorum arbor in nucum genere nota; est enim domestica terebinthus: obesitate perit, vt diximus; nam resinifera est, & resiniferæ ex Plinio pereunt obesitate; eosdem vsus pistacea habent, quos pinei nuclei; ad inducendam enim pinguedinem valent. Sunt & Indicæ nuces ex oleosa arbore, & pingui, earumque substantia pinguis, vt butyrum referat, cuius vis præcipua macros impinguare est. Auellana ex nucum genere oleo copiosa, nisi retonsa, & resecata fuerit, adeo pinguescit, vt in corpulentiam omne alimentum absumat, & ob id sterilescat. Pinguedini adeo confert, vt fidem superet, & plusquam verisimile corpulentiam augeat. Fagorum fructus pingue oleum resudant, vt alibi diximus, & copiosius, quam par sit; quorum esu mire pinguescunt sues, immo ex fracibus, extracto oleo, maxima animalibus inducitur pinguedo. Glires quoq; saginant, & ideo animalis vna eius prouentus, & mire saginati capiũtur. Plurimum olei ex lini seminibus exprimitur; cuius fraces & retrimenta reponuntur saginando iumentorum generi, præcipue bubus, obesitate sola futuris insignibus; quales interdum coronati ad ostentandam altilis saginæ molem per vrbium compita circumferuntur, Oleosa & iuglans, cuius fraces saginando pecori valde accommodas experti sumus, Laser, pinguis lachryma, desudans è plantis; yesci pecora solita, quo pinguescant: ex Cyrenaica prouincia non defertur; quoniam publicani, qui pascua conducant, maius ita lucrum sentientes, depopulantur pecudum pabulum. Hypear, siue viscum, quod in larice, & abiete nascitur, oleosum, & pingue est. Ad saginanda pecora vtilius; quia & alimenti plus, & pinguetudinis in larice, & abiete sit. Vicia purgat primum, deinde pinguefacit, quæ sufficere purgationi, Irio recentiorum, faginæ glandis consimile nucleo granum facit; cuius esu boues, iumenta & pecudes vehementer sagina gliscunt.

Sed pinguedines aliæ in noſtris corporibus durabiles, aliæ cito abolentur; ex tarde creſcentibus arboribus, tardeq; matureſcentibus pinguedo diutiùs permanet; ex cito creſcentibus vero & matureſcentibus, cito abit. Ficus cito creſcunt, maturanturque, quanto citius ſaginant, ſed extemplo abit eorum pinguedo; quod Galenus ex vinearum cuſtodibus probat, qui per duos menſes quum ficubus veſcantur, obeſi, & pingues fiunt; ac caro, quæ ex ipſis gignitur, haud firma, ſed celeriter, cum eis veſci deſierint, contrahitur. Ficus corpus augent, & ob id antea athletæ hoc cibo vtebantur. Pythagoras exercitator primus eos ad carnes tranſtulit. Citrijs fructus pinguis, & cortex oleoſus; extrahitur ex eo multum & odoratiſſimum oleum, ob id eius decoctum impinguat, ex Auicenna. Sic etiam pinguibus animalibus veſcendo, ſaginari homines ſolent; pinguia dicimus animalia, quæ nimia pinguedine ſtrangulari ſolent, vel ſupra modum pingueſcunt, & turgida ſunt. Inter animalia ſus maxime pingueſcit; & adeo ad ſummum pinguedinis peruenit, vt ſe ipſa ſtans ſuſtineri non poſſit. Varro narrat in Arcadia ſuem ſpectatam, quæ præ pinguedine non modo ſurgere non poſſet, ſed etiam in eius corpore ſorex, exeſa carne, nidum feciſſet, & peperiſſet mures. Creſcit pingue ad pedem & tres digitos, & ſexaginta diebus pingueſcit, ex Ariſtotele, & Plinio. Animam illi Chryſippus pro ſale datam dixit; ſcilicet, vt interpretatur Cicero, ne illa pinguedo putreſceret, animam datam pro ſale, qui ſeruat eam. Nos eius pinguedine vtimur ad omnium rerum condimentum. Galenus eius carnem concoctu facillimam, & ſuauiſſimam dixit, præſertim media ætate; ſanguinem quoque probum generare, omniumque ciborum potentiſſime nutrire, propter ſimilitudinem, quam cum humana carne habet; & qui in famis neceſſitate humanam carnem guſtauere, ſimilem ſuillæ prodidere, ex Simeone Sethi. Caſtrati citius pingueſcunt. Albertus; ſi rapacem auem obeſam vis habere, paſce eam carne porci. Alij fictili nouo butyrum coquunt, in hoc decocto lauant carnem porcinam, quam auibis in die propinant. Poſt ſuillam carnem hœdina eſt, ex Ga-

leno ; teneri, pinguissimi sunt, & grati saporis : solis hœdis in macie vtare, dixit idem; nam facile eius caro coquitur, bene alit, sanguinem bonum generat, & præsertim lactentes esui optimi sunt, caprina caro adeo alit, vt Clitomachus Carthaginensis Thebanum quendam athletam hac carne vescentem reliquos suæ ætatis athletas viribus superasse scripserit. Capræ adeo pinguescunt, vt pinguedine sterilescant, ex Plinio. Ad nimiam accipitris maciem, veruecum carne pascito paruis buccellis, & restaurabis. Vitulorum carnes hœdinis meliores sunt, & commodius concoquuntur ; post hœdinas præstare dixit Galenus : Ad impinguandum aues rapaces dat Albertus carnes vitulinas. Inter aues gallinæ maxime pinguescunt, & vt pinguiores fiant, vsum Veneris prohibet, vel lumbis adustis candente ferro, aut intus cruribus : caponis carnes corpus obesant, ex Platina. Si pingui lacertæ, halinitro, cuminoque farinam tritici miscueris, gallinæ hoc cibo saginatæ, adeo pinguefaciunt homines, vt disrumpantur. Lacerti maxime pinguescunt : impinguat vehementer caro, & adeps lacerti, & proprie mulieres, ex Auicenna. Scinci supra modum pinguescunt : scinci caro impinguat corpus, ex Rhasi. Anates supra modum obesantur, multumq; nutriunt, crassiores sunt, quam reliquorum domesticorum animalium carnes, ex Serapione. Auicenna homines obesare scripsit, plurimumque conferre nutrimento ; sed non admodum laudabili. Anatis adeps maxime impinguat, ob id Albertus, cum accipitrem pinguefacere quærit, dat ei in cibum anatis carnes. Butyrum ex lacte pinguissimum est; linitur ex eo corpus, & impinguat. Aqua casei impinguat, ob id pastorum canes pinguissimi, ex Auicenna. Caseus pingue reddit corpus, & comeditur post eum mel. Lac eadem operatur. Testudo turget, & pinguem reddit : vnde qui obesare quærunt equos, testudinem cum molli pabulo decoquunt, vnde equis magna, sed falsa pinguedo accedit, ex Alberto.

Macilentæ plantæ & animalia, macilentiam inducunt;

CAP. VI.

SI contraria his, quæ diximus, propinabimus, plantæ, animalia, cæteraque macra, macilentiam inducunt. Exempla erunt: Fraxinus ficca arbor est, & siccum profert semen, vt muscarum alæ: cuius semen obesum corpus leuat onere, sensim ad maciem reducens. Idem efficit cancamum; lachryma arboris, pinguedinis omnis expers, ex Dioscoride. Animalia, quæ semper macra, macilentiam conciliant. Lepus carnosus & nunquam pinguis: huius carnibus vtantur, qui marcescere vel extenuari cupiunt, ex Blondo. Durities leporinæ carnis facit, vt sero, parumque nutriat, quod dura, omnia faciunt; eademque durities euidentis siccitatis indicium est, ex Galeno; cui Psellus, & Paulus subscribunt; & recolligens Simeon Sethi quicquid ab antiquis scriptum, inquit: Carnes leporis his, qui corpus extenuare volunt, valde conducunt. Perdix non pinguescit. Volaterranus ex Æliano dicit, perdicem allia degustantem, macrescere; vt ab aucupe negligatur propter maciem, & virus odoris: Plinius perdices pinguescere negat: præstare videtur vt elixentur potius, quam assentur, quam assati plus siccescant, & torreantur. Isach Medicus subtilis alimenti esse dixit. Lupus piscis quum nunquam pinguescat, Galeno, & Celso significatur non multi alimenti, sanguinemque gignere tenuiorem. Siluestria animalia, quia minus pinguia, quam domestica, magisque sicca, ideo demacrant; & iis vescenda præcipimus, qui demacrari cupiunt. Sal, quia siccum & durum, & sitim inducit, maciem affert; ideo auceps ad demacrandum falconem, dat ei salsum cibum, vel de perna salsa. Sal, vel oleum omnium vehementissimum ex chalcantho, ob id nil mirabilius ad demacrandum frequenti periculo facto vidimus, quam oleum vitrioli, si quotidie gutta in vino detur. Acetum, vinum est omni pinguedine orbatum, maxime demacrat.

Plantæ, quæ sphaceliſmum patiuntur, ad sphacelum valent;

CAP. VII.

EXTRINSECVS euenientes morbi, aut secūdum Naturam, aut præter naturam erunt; nam quæ temporis ratione eueniunt, non præter naturam censendi, ardore scilicet, & algore. Dicemus postea de extrinsecis præter naturam venientibus. Extrinsecus euenientes secundum naturam, erunt aut publici omnibus communes, vt sideratio, sphaceliſmus, & vermiculatio; aut particulares. Loquemur nunc de sphaceliſmo: translatum nomen ab effectu simili, quod etiam in animalibus reperiatur; est vero quum radicibus ex vulnere, aut vlcere propter putrefactionem calor extinguitur, quasi mortificatio. Cicer non ex vulnere, sed elota salsugine interit, sideratio ex vulnere, totoque cœlo constat, & præcipue moriuntur nouellæ arbores, vt vitis, & ficus, ex Theophrasto. Cicer, qui perit sphaceliſmo, contra carcinomata valet, & vlcera, quæ *cacoetha* vocantur cum melle, & hordeo, ex Dioscoride. Saluiæ foliorum squalor cinereus, pallensque facies, arenti & marcescenti similis, qualis in torridis collibus enatæ, occasio fuit ἡλιόφθαρτον nominandi, quasi Sole afflatam, aut tabefactam dicas: medetur sphacelo, demortuis partibus, quibus calorem natiuum, roburque insitum reuocat, qua pollet familiari facultate. Ex cauliculorum crematorum ficus cinere fit lixiuium, quo spongia assidue imbuta, & superposita gangrænis prodest; nam expurgat, & consumit quæ exarescunt. Sic vua passa sine nucleis trita, & cum ruta imposita, gangrænas, & enatas in articulis putredines sanat. Persæpe sideratas punicarum radices nimio æstu vidimus, cum tenerrimæ fuerint: expressus nucleorum succus mali punici, ad virilitatis & sedis vlcera, & reduuias valet, & ad ea, quæ in corpore extuberant.

Arbores, & fructus, qui vermiculantur, in corporibus nostris vermes generant, & vermes non producentes, contra eos valent;

CAP. VIII.

EST & altera arborum exitialis lues, vermiculorum, pediculorum, aliorumque animalium generatio: nam ab eis

roduntur, voranturque, demonstrante Natura, earundem fructus in nostris corporibus eadem animalia procreare, vt ea vitare possimus. Duplex est vermium generatio ex Theophrasto; alia in ligno, alia in fructibus; vt sit communis omnium fere arborum mors vermiculorum generatio, & quibusdam plus, minusue accidere solet. Peculiaris malo, pyro, ficui, & viti; immo & vermes, qui in fico nascuntur, alios vermes pariunt, qui in cerastem figurantur. Fructus arborum etiam vermiculationem patiuntur, vt oleæ, pyri, mali, mespili, punicæ; sed punicæ, & malo, dulcibus magis quam aliis accidit. Leguminibus etiam vermiculi innascuntur, vt fabis, dolichis, & aphacis, quæ celeriter hoc morbo pereunt. Singula pro sua humore peculiare animal creant, ceu triticum, atque hordeum curculionem; faba animal, quod aliqui *midam* vocant, simili modo & lens, lenticula, pisum, & alia. Auiceana fructus enumerans, qui vermes in fructu creant, humidiores esse dicit, vt mala, pyra, ficus, vitis, & eis similes; & legumina quæ in ventriculo vermes creant, sunt phaseli, fabæ, triticum, & similia. Ficus non admodum probum generat succum; quapropter pediculorum agmen semper eos comitatur, qui continuo eis vescuntur, inquit Galenus, & ab eo Simeon Sethi. Ocimum commanducatum, & Soli expositum, vermes generat, & pediculi semper in eo generantur. Diodorus pediculos, & vermes creare ocimi cibum fatetur; ob id eius esus copiosior declinandus, idque acceptum ferunt excrementitio humori, quo imbuitur, qui male concoctus natiuo herbæ calore, quasi superfacuum, citam nosci putri-
laginem, facile in pediculos, & vermes abeuntem. Diophanes adjicit, si tritum operiatur lapide, scorpionem gignere; & multi, qui miro eius odore oblectarentur, in cerebro natum scorpionem inuenire. Sunt & arbores quæ vermiculationem non patiuntur, ob id neque in nostris corporibus nasci, & viuere patiuntur; & si qui nati fuerint, cito dejiciunt. Theophrastus omnes arbores, quæ acres, & lacteo succo turgentes sunt, vermibus non infestaritra didit, minime etiam vermiculari: quæ acerbæ, & vehementes sunt, non modo quia-

minus

minus putrescunt, verum etiam quia acerbitas partum animalium prohibet. Argumento laurus est; quæ quum breui putrescat, non breui vermiculetur; eaque de causa nec caprificus, nec ficus: lac eius omnino acerbius est. Omnia quæ scillæ inserta terræ mandantur, minus vermiculationem sentiunt, odoris, feruoriſque causa. Optime seruantur lupinus & cicer; quia amaritudinem quandam & acerbitatem habent, quæ quidem qualitates seruare impune possunt: quamobrem & corrupta hæc nullas bestias crant, nec quæcunque sicca, & acria. Auicenna contra vermes recenset grana lauri, cortices punici acidi; ex leguminibus lupinos, ciceres. Et olera, quæ non vermiculantur, valent contra vermes, vt cuminum, sinapi, mentha, fœniculum, apium, semen caulium, nasturtium, abrotonum, absinthium, & similia; sic rapi, raphani, erucæ, porri, origani, satureiæ, & corianni: hæc enim postrema semina ad durandum firmiora, contumacioraque ex Theophrasto sunt, & ad summum quæ acris saporis: & si omnibus oleribus culices, aut vermiculi innascuntur, his minime. Vt olera infesta animalia non generent, mentham pluribus locis, maxime inter caules seras; hoc præstare fertur eruum aliquantulum satum, præcipue vbi radices & rapa nascuntur: valet ad serpentum ictus; & mentha aspersa in potionem, ventris animalia pellit, & serpentes fugat. Olea & oleaster, nec vermes, nec tineas sentiunt; amaritudinis enim causa non rodunt lignum, ex Theophrasto. Auicenna oleum vermes interficere dixit, & præcipue omphacinum, propter suam amaritudinem. Cedrus nec cariem, nec putredinem, aut tineam sentit; fructum enim producit præ nimia acerbitate inguſtabilem: corpora à corruptionis labe vendicat; vermiculosis auribus instillatur ex aceto; peructa lendes & pediculos perdit; contra vermes, & tineas subter in aluum fusa, præsidio est. Citrium nec vermes, nec tineas sentit; succus serpentes interficit: vermes in aluo, vestiariis conditum vermiculorum erosionum noxas prohibet. Cupressi materies nec cariem sentit: foliorum succus rem à vermiculis quibuscunque neque tangi, neque erodi sinit.

Singulares arborum morbi eisdem nostris medentur;

CAP. IX.

DIXIMVS vniuersales arborum morbos; nunc ad particulares accedamus, in quibus magno Naturæ spectaculo admonemur ad eosdem humanos spectare. Cicer radicibus inarescens interit, quum in flore imber salsuginem eluerit; iactura salsuginis velut sphaceliſmus est: ad scabiem, impetiginem, & ad alios salsi humoris morbos valet, ex Dioscoride. Accidit oleæ impetigo, & lichen magna ex parte, ex Theophrasto: sudor ligni iuuenis oleæ accensi manans illitus, sanat lichenes, furfures, & scabiem. Muscum rubrum, etsi oleam Cato infestare tradiderit, multas tamen arbores inuadit, vt etiam lichen. Muscū inueniri in cedro arbrore, populo alba, & quercu Dioscorides dixit; Galenus in piceis, & congeneribus plantis, pinu, larice, & abiete; ego in fraxinis, & fagis potissimum inueni, & iuniperis. Arbores ergo, quarum cortices eiusmodi morbo dehonestantur, ad lepras, lichenes, & scabiem valere nemini dubium esse debet: cedria in elephantiasi linctu proficit, scabiemque quadrupedum sanat, ex Dioscoride. Aqua, quæ in marcescentium quercuum reperitur cauitatibus, scabiem omnem vlcerosam sanat. E pinus, & piceæ ramis dependere canos musci villos diximus, quarum cortices illiti lichenes, & impetigines sanant. Larigna resina alphos abstergit. Fraxini, & iuniperi cinis ex aqua illitus lepras eximit. Nos diligentissime obseruauimus in quamplurimis arboribus, petrisue sæpissime muscum, impetigenes & lichenes gigni, cum humore labant, apparet foris viriditas quædam, paulatim capescit incrementum, & se induit in frondes, vt in pyro, fico, olea, vite, iunipero, & aliis: & lichene ipsa ex arboribus derasa, decocta, illitaque, impetigines emendauimus: lacteus fici succus lichenes, vitiligines, & psoras expurgat; lachryma vitium illita, lichenes & psoras vino perfricatas sanat: lichen ipsa asperginosis locis adhærens, impetigini medetur, ex Dioscoride. Pulmonaria, quæ veluti lichen, arboribus adhæret, ad pudendorum vlcera, & scabrities corporis valet. Ficus glabrationem patitur: si enim

imbres nimij fuere, radix deglubitur, quod vitium *aulam* appellant; morbus hic radicibus paulo ſuperius, iſque ex humorum nimietate accidere ſolet: ficus cum atramento ſutorio deploratis fere tibiarum fluxionibus, & cacoethicis vlceribus medetur. Vitibus morbus peculiaris articulatio, vel germinibus vi tempeſtatis ablatis, vel culturæ imperitia læſis, quarum iniuria in articulis ſentitur: enatas in articulis putredines impoſita vua paſſa ſanat, & podagris illinitur. Ficus ſcabiem patitur humore nimio; accidit quum Virgiliarum exortu acciderint minutiores pluuiæ, quæ vbi inſiderint, hærent & feruent: ſuccus eius lacteus cum polenta lepras, lichenes, & vulgares pſoras expurgat. Viti etiam accidit roratio, quum flores rorem excipiunt, humiditate, veluti rorem procreant; & ſi plus æquo inualuerit, alimentum auertit: hac cauſa acini partim labuntur, partim remanent, vt non attingant debitam magnitudinem: vinum temperate hauſtum, concoctionem in quauis corporis parte auget, ad roborandum corpus efficaciſſimum. Olea clauum patitur, quidam *fungum* appellant, alij *ollam*, hoc eſt Solis exuſtionem: ſilueſtris olea carbunculos, reduuias, & nomas cohibet, & cruſtas emarginat. Quibuſdam arboribus excreſcentiæ quædam innaſcuntur, quæ ad noſtri corporis excreſcentias valent. Agaricum excreſcentia eſt laricis arboris, veluti fungus: eius propria facultas expurgare excrementa, quæ ſpinali medullæ, neruis & muſculis adhæſerint. Fungus caudicum, vel terræ excreſcentia eſt: Plinius excreſcentibus in carne mederi dixit: nam ea ex tempore abſumit. Theophraſtus quercum multa adferre excrementa ſuis ramulis dixit. Gignunt & alæ ramorum pilulas, corpore, non pediculo adhærentes. Fert & cachrym vrendi vim habentem, & multas gallas, vt dicemus. Dioſcorides gallas omphacites tritas excreſcentias in carne cohibere dixit. Plinius omnia gallarum genera excreſcentias in corpore tollere dixit, & Auicenna. Eſchara, ſcopulorum excrementum; ad excreſcentias valet,

Peculiares animalium morbos eisdem humanis mederi;

CAP. X.

SVNT & peculiares animalium morbi, qui etiam homines inuadunt, his nostris mederi posse ostendemus. Caliginem oculorum caprinum pecus patitur, eamque optime curare scit; quum enim conturbatum oculum, & non probe affectum sentit, eum ad rubi spinam & admouet, & reserandum permittit; oculorum vt pupugit, pituita statim euocatur, & nulla pupillæ læsione facta, videndi vsum recuperat. Hinc enim homines hoc curationis genus edidicisse existimatur ab Ælliano; Medici ὑπογένημον in suffusione vocant eam, quæ acu fit, punctura; collyrium ex felle caprarum telam oculorum sanat, ex Rhase. Eædem crebro lippirent, nisi quasdam herbas ederent; sic & dorcades: ob id earum fimus cera noua Luna circundatum deuorare iubet Plinius contra hunc morbum. Caprarum oculi glauci sunt, vt videantur continuo glaucomata pati. Dioscorides fel siluestris capræ contra glaucomata valere dixit. Aliæ quotidianum morbum ingruere dicunt, à quo non prius leuantur, quam posterioris pedis vngulam auriculæ sinistræ immiserint: vngulam, aut partem eius, aut annulum inde factum, qui habet, eiusdem morbi amuletum gestat. Asinus vno maxime morbo laborat, quem *malida* vocant. Vitium à capite oritur, facitque vt pituita multa ruffa effluat; si ad pulmonemm descenderit, moritur: asininum lac commendant ad tussim: sanguis, vel pulmo si trutus bibatur, ad anhelitum & tussim, ex Hali Arabe. Asinus alces species est, & ipse comitiali morbo laborat: ex eo ad comitialem morbum remedia multa: asini cerebrum ex aqua mulsa, infumatum prius in foliis, semuncia per dies potum, ex Plinio, ad id valet, sed non pauciores, quam triginta: sic testes, medulla, vel seuum, vngularum cinis, caro sanguis & lac, aliæque eius partes. Boues duobus morbis tentantur, struma & podagra, ex Aristotele: bouis vngulæ cinis ex aqua illitus, strumas discutit ex Plinio; sic fimus illitus cum aceto ex Dioscoride: fimus recens calidus podagram lenit, ex Marcello. Taurorum sanguis fibris refertior est, ob id celer-

rime coit, & denſatur, ex Ariſtotele; ob id potu peſtifer, ex Galeno, ſi ſanguis eiiciatur; efficacem tradunt bubulum ſanguinem, modice & cum aceto ſumptum; nam ex taurino credere temerarium eſt, inquit Plinius : cornua tauri vſta ſanguinem cohibent, ex Galeno. Canes tribus laborant vitiis, rabie, angina, & podagra, ex Ariſtotele, Plinio, & Polluce: Necantur catuli ſtatim in aqua ad ſexum eius, qui momorderint, vt iecur crudum deuoretur ex eis. Aliqui demorſi à cane rabido, vt à pauore aquæ tuerentur, vermem è cadauere canino adalligauere: corrigiam caninam ter collo circumdatam remedio eſſe ad anginam, ex Plinio. Canis adeps podagram lenit, ex Æſculapio. Scabie infeſtantur etiam canes: ſcabiem curat ante omnes ſanguis caninus, ex Plinio. Capras nunquam febre carere Archelaus eſt autor; ideoque fortaſſis, quod anima his, quam ouibus, ardentior, calidioreſque concubitus, Plinius: capræ ſtercus aridum, tritum, cribratum cochlearij menſura ex vini odorati cyathis quatuor ieiuno & loto exhibe febrienti, ex Galeno libro Parabilium. Fimi hirundinum drachmam vnam in lactis caprini, vel ouilli, vel paſſi cyathis tribus aduerſus quartanas ante acceſſiones dat Plinius. Plutarchus rerum naturæ haudquaquam imperitus, capram præter cætera animalia comitiali morbo tentari refert; propterea vetera ſacerdotes ea vehementer; vt morbida abſtinuiſſe, quoniam guſtantibus, aut tangentibus modo, aliquid morbi eius affricaretur: cuius cauſam affert pororum anguſtiã, quibus obſeptis, ſæpiſſime includatur ſpiritus. Cognouerit autem hoc ipſum quis maxime ex ouibus, & præſertim capris; hæ enim frequentiſſime corripiuntur; quod ſi caput ipſarum diſſecueris, reperies cerebrum humidum, ſudore refertum, & male olens, vt Hippocrates libro De morbo ſacro habet. Comitialibus dantur carnes caprinæ in rogo hominis toſtæ, Plinius & Sextus. Cerebrum capræ per annulum aureum traiectum, priuſquam lac detur infantibus, inſtillant contra morbos comitiales, ex Plinio. Hircis alarum fœtor, ob id dictus hircinus odor: hirci maturioris cornu raſum, vel exuſtum cum felle eiuſdem miſcetur, & pondere æquo

myrrha adiiciatur; deinde alæ, demptis prius pilis, assidue perfricantur, ex Marcello. Cerui vermes omnes continent in capite viuos, qui nasci solent sub lingua in concauo, circiter vertebram, qua ceruici innectitur caput, magnitudine haud minores iis vermibus, quos maximos putres canes edunt. Gigni vniuersi, atque contigui solent numero adeo circiter viginti, ex Aristotele, & ab eo Plinius. Alij inuolucris intestinorum coaceruari dicunt, & serpentium esu necari, quos spiritu narium è cauernis eliciunt. Cornu cerui combustum, cum melle potum, educit lumbricum rotundum, ex Galeno libro De theriaca ad Pisonem, & ab eo Sextus, Marcellus, & Rhases. Elephantes alui fluore tentantur, nec alia morborum genera sentiunt, ex Aristotele: ex ossibus elephanti puluis cum succo plantaginis ad dysenteriam datur, ex Plateario. Equo tres acutissimi morbi, vesica, ileos, & cardiacus; fit & asthmaticus, & rabiosus. Caseus equinus ventrem reprimit, & torsiones tollit, ex Æsculapio; tussim sanat saliua equi triduo pota, & equum mori tradit Plinius. Equi saliuam si biberint phthisici, & qui male tussiunt, sani efficiũtur, Sextus & Marcellus. Leo febri quartana affligitur; etiam quum sanitate frui videtur perpetuo; nisi enim hic morbus vim, & impetum eius cohiberet, longe nobis hæc fera pernicioſior esset, Philes: adeps leoninus cum rosacea quotidianis febribus medetur, ex Plinio, sed Serenus hemitritæis dicit; sed cor in cibo sumptum, quartanis medetur, ex Plinio. Lupus tribus morbis laborat, rabie, synanche, & podagra, Albertus ex Aristotele; sed Aristoteles eo loco de canibus tantum scribit; fieri tamen potest, vt iisdem morbis lupus, tanquam siluestris canis tentetur. Ad podagram magnificant lupum viuum incoctum cerati modo, donec ossa tantum restent, ex Plinio. Qui per lupi guttur biberit, certissima salute euadet, Agricola. Pellis lupi si gestetur ab eo, quem canis rabidus momorderit, non incidet in metum aquæ, ex Hali. Oues comitiali morbo sæpissime corripi, Strabo autor est, quia humidum eorum cerebrum est; cognouerit autem hoc ipsum maxime, qui ipsum dissecuerit, quia humidum, & male olens inueniet,

ex Hippocrate : ad comitiales sanguis pecudum potus valet, Plinius fel laudat. Suillum genus maxime obnoxium anginę, & strumæ, ex Plinio : ex Suillo adipe, vel axungia sanantur strumæ, ex eodem, ex felle etiam. Ad equorum anginam suillum stercus propinat Herocles, melle illitum. Vrso oculi hebetantur crebro, qua maxime causa fauos expetit, vt conuulneratus ab apibus os, leuiet sanguine grauedinem illam : omnium oculorum obscuritatem, incipientemque suffusionem curat fel vrsinum cum aquæ duplo, ex Galeni Euporisto. Vulpes æstate morbo, ab ea alopecia nominato, laborat, quod pilorum defluuio constat; vnde caprarum pelles non solum inutiles, sed noxiæ esse solent, Aetius. Adeps vulpinus alopecias sanat : in alopecia, vbi iam vulnera ad cicatricem venerint, caput vulpeculæ vrito, alcyonium, anchusæque nigræ folia contrita superiunctioni inducito, vt caput pilis contegatur, ex Ægineta. Mustellis morbus accidit, vel ita ex natura habent brachia, vel partes circa cubiti flexuram, siue gibbum tumidiores, & dictæ γαλιάσκοντες. Hippocrates libro De articulis, qui paruum, & macilentum (atrophon) brachium habet, & cubitum tumidum, eodem vocabulo vocat : Auicenna ex cinere mustelæ imponit arthriticis doloribus. Crocodilo oculi hebetes, Ælianus : cuius sanguis inunctus visus claritatem donat, Plinius. Accipiter oculorum hebetudinem patitur, ob id hieracio herba discutit eam Plinius : accipiter decoctus in rosaceo, efficacissime omnium remedium oculorum vitiis putatur à Plinio ; oculorum hebetudini à Galeno. Accipiter patitur febrim : ergo alis à collo suspensis salutare remedium. Coturnices morbum comitialem patiuntur, & propter eum morbum despiciunt eas, quæ solæ animalium sentiunt, præter hominem, ex Plinio, & Solino. Ad comitiales, coturnicum cerebrum, ex vnguento myrteo tritum, stanneo vase reponitur, eoque faciem illinito, & admiraberis medicinæ efficaciam : nam statim æger exsurget, ex Galeno. Circius altero pede claudicat : ad podagras, & articulos valet.

Plantæ super plantas nascentes, easque extenuantes, ad extenuandum valere; CAP. XI.

SVNT & alij extrinsecus euenientes morbi, qui plantis ipsis innascunt, vel irrepunt, alimentique rapina exitium, & perniciem afferunt; nam amplexu suo alimoniam auferunt, succumque extrahunt; vnde extenuant, & strangulant. Vestigandum nobis erit, quid hoc portento, mirabilitate pleno Natura demonstrare voluerit, vt in visco, cuscata, hedera, & similibus videtur; quæ non nisi ad extenuandum interna viscera, extrahendumque plus valere coniiciemus. Hedera è germinibus radiculas emittit inter folia, quibus arboribus adhæret, quasi de industria à natura exhibitis, succum è trunco exhaurientes. Purulentis auribus medetur; foliaq; in vino decocta omnium vlcerum generi illinuntur; pediculus vuluæ inditus, partus extrahit, lachryma pilos. Viscum impositũ lienem absumit; cum auripigmento vngues extrahit. Epithymũ bilem extrahit facile & sine molestia, lienique medetur. Cassutha infartos lienes extenuat: & biliosos humores extrahit.

Plantæ, & animalia; quæ caudicis fissionem & vulnera patiuntur, ad conglutinanda vulnera valent;

CAP. XII.

SVNT & violentæ ablationes, extrinsecus aduenientes, quæ arboribus mortem inferunt, eæque sunt partium ablationes, & vulnera. Aliquæ enim sunt arbores, quæ si vulnus accipiant, intereunt, suæ siccitatis & imbecillitatis causa; vt palma, vulnerato cerebro perit: sunt & arbores, quæ non solum inflictum vulnus, sed partium caudicis exemptionem tolerant; vt quæ humida sint, & perbelle germinent, vt vlmus, platanus, & quæ iuxta aquas viuunt. Sunt quæ vulneratæ melioresçant, vt vitis, ficus, malus, olea, amygdala, harundo, & pyrus, & caudicis fissionem tolerant. Theophrastus docet modum conficiẽdi resinam: Vulneratur pinus, & detrahitur tæda, in vulnus iniectum humor copiosior confluit; sic in abiete, & picea, vulneratur terebinthus caudice, & ramo. Resiniferæ plantæ omnes ad vulnerum conglutinationes valent. Vtuntur enim chirurgi passim ad vulnera consolidanda

terebintho. Ex pinu,& picea fit conglutinatorium. Terebinthina resina cauis vlceribus inditur, generat carnes, & sanat ossa fracta, & sic de cæteris. Siluestris olea vulnera conglutinat. Vlmus non solum vulnera, sed fracta ossa ferruminat; sic platani cinis, ex Auicenna. Vitis, œnanthe, & vinum sanguinolentis vulneribus imponuntur. Ex ficus cinere fit lixiuium, quod conglutinat, purgat, & carne replet, oras committit, non secus atque emplastra. Punicæ cytini sanguinolenta glutinant. Mali folia & cortices consolidant, vel succus ex eis expressus, ex Auicenna. Idem de pyro sentiendum. Inciditur & myrrha bis à caudice vsque ad ramos, ex Plinio; capitis vulnera glutinat, & ossibus nudatis medetur. Balsami frutex vitreis, aut osseis cultellis, sed in solo cortice artificum plaga vulneratur, ex qua suauitatis eximiæ gutta manat: capitis vulneribus conuenit; nihilque efficacius opobalsamo ad glutinanda citra cicatrice vulnera, & sic de reliquis: nam alia tædet referre, suspicantes iam dictas suffecturas. Animalia etiam, quæ dissecta inciſaque iterum coalescere, & conglutinari possunt, facultatem possident nobis posse vlcera, vulneraque conglutinare. Si quis fortuito lacertum, seu consulto in caluariam percutiat, & virga medium discindat, huius partium neutra moritur, sed ab altera seorsum vtraque graditur, & duabus pedibus adreptis viuit; deinde si coitio vtriusque cum altera fiat, consensione quadam tacita, & naturali colligatione veluti conseruntur, contexunturque, atq; ex separatis duabus partibus, vnus atque idem rursus efficitur lacertus: & tametsi loci prius affecti vestigium cicatrix indicat, tamen & vitam pristinam retinet, & ei persimilis est, qui talia nunquam perpessus sit, Ælianus, & ab eo Philes. Lacertus dissectus iterum coit. Sanguis eius ad rupturam valet infantium, cum insident in eius decoctione. In pisce acu Aristotelis, Natura sagax rimam post podicem dilatat, donec pepererit; quia post partum ita coit, vt coalescere videatur, quanquam fieri possit, vt coalescat, ex Aristotele & Plinio. In Anglia ichthyopolæ lucios cultro dissecant, vt pingues esse empruntis ostendant; quos non emptos in vinaria conii-

ciunt, in quibus vulnus coit, & coalescit. Quod Naturæ rerum periti tineis ascribunt: quia iis lucij se adfricant, vt illarum mucore viscido vulnus illinant, & sic rimæ ora committuntur, vt propius etiam inspicienti coaluisse videri possint; hoc ad conglutinanda vulnera coniicimus. Audiuimus lumbricos dissectos iterum coalescere; sic & serpentes, ob id ad vulnera, & incisos valent neruos.

Plantas, & animalia, quæ corticem facile abiiciunt, ad mundandam hominis cutem valere; CAP. XIII.

COrticis circumalbatio communis arborum mors, aut plurimarum, quum principalis maxime pars sit, adrachne excepta, sed verius subere; cortice enim in orbem detracto iuuatur, quum cæteræ necentur arbores: crassescentes enim perstringit, & strangulat. Cerasus etiam delibrari solet, alioquin præscinditur potius, quam filo eodem detrahi possit, reliquumque durare, arboremque tueri valet; nec iactura corticis arbor ipsa emoritur: nam dempta exteriore tunica, eius vice secundo anno tenuior subnascitur, priorisq; damnum resarcit. Inter corticem & lignum tileæ tenues tunicæ, multiplici membrana, è quibus vincula tileæ vocantur, tenuissimum earum philyræ, coronarum lemniscis celebres, cortices pro funibus expetuntur. Viti rimosus cortex, sponteque rumpitur; adrachnæ, vnedoni, & malo cadit. Cortices è fago, abiete, tilea & picea in magno sunt vsu agrestium, qui vasa, corbesque, ac patentioris oris quædam messibus, & vindemiis conuehendis factitant, atque prætexta tuguriorum, Quercus cortex, suberi congeneris, ad malefica vlcera, & ad duritias, quas *cacoethas* vocant, valet. Vitis lachryma, quæ veluti gummi caudicibus coalescit, illita, lepras, psoras, nitro prius perfricato, sanat. Sic etiam lambrusca easdem possidet vires. Resinæ pinus, laricis, & piceæ ad lepras, psoras, & eiusmodi cutaneos morbos valent. Si allio tuniculas demas, nil læseris; nam multiplicibus tunicis regitur; sic scillis, cepis, & similibus bulbis, semper his aliquid eximi potest, ex Theophrasto: ad lichenes, lepras, furfures, valent cum melle. Frumentacea fere omnia follicellis constat, granum sepientibus

glumis & aceribus: tritici furfures acri aceto elixi, calentes illiti, lepras pellunt, & vetuſtas impetigenes ſanant. Hordei cataplaſma ex acri aceto impoſitum, lepris medetur: auena eiſdem vtilis, quibus & hordeum: alica, quæ fit zea decocta in aceto, lepras tollit, & vnguium ſcabrities extricat. Oſtendit etiam prouida Natura quamplurima eſſe animalia, quæ ſenectam exuunt, hominem admonendo, vt quam ipſa poſſident qualitatem, eidem profuturam, ſcilicet ad cutis decorticationem, vel innouationem valere; elephantiaſin, lepram, alphos, pſoras, impetigines, & ſquamas. Sed quæ fuerint animalia docet Ariſtoteles, inquiens: Non nulla ex iis ſenectam exuunt (eſt autem ſenectus cortex, qui velut operculo ineſt cuti) vt ex ſanguineis ea, quæ cortice molli intecta ſunt, ſcilicet ſerpentes, & lacerti. Inſecta autem quædam ſenectam exuunt, ſilpha, culex, & ea, quorum pennæ vagina continentur, vt ſcarabæi, & omnia quidem, vbi iam factum eſt, quod gigni debuerit, exuunt. Quædam inter marina ſenectutem exuunt, vt locuſtæ, gambari & cancri: ſerpentes vere & autumno ſenectam exuunt. Viperarum carnes totum corpus per cutem purgant. Galenus de iis habet: In Aſia homo quidam elephantiaſi laborabat, amici conſtructo illi tugurio, tantum illi cibum ferebant, quantum victui ſuppeditaret. Accidit vt vipera in vas vino plenum decideret, meſſores cum id animaduertiſſent, veriti ne ſi ipſi bibiſſent, aliquid mali euenerit, præ miſericordia elephantiaco propinant, rati expedire illi potius mori, quam in illa miſeria viuere; & cum ille bibiſſet, tuberoſum omne illud cutis non aliter, quam animalium teſta excidit, & ſanitati reſtitutus eſt. Idem etiam in Myſia accidit. Elephanticus quidam profectus ad balnea ſperans inde commodum; erat illi ancilla, quæ miniſtrabat; incidit in vrceum vini vipera, & extincta eſt; ancilla in lucrum id reputans, quod ſors euenisſet, hero id vini propinat: ſed quum ille bibiſſet; eodem modo ſanatus eſt, quem diximus. Antonius Muſa Auguſti Cæſaris Medicus, quibus inſanabilia vlcera erant, viperas edendas dabat, miraque celeritate perſanabat, ex Plinio. Ceruus ſentiens ſe grau-

tum senectute, spiritu suo è cauernis serpentes extractos, & pedibus conculcans, ita enectos vorat, & iuuenescit. Vt aues mutent suas pennas, serpentibus vtitur auceps ab Oppiano edoctus. Refert enim, quod serpens quidam ad nidum prorepens ciconiæ, pullos deuorabat; & quum sequentis anni iterum fœturam perdidisset, ciconia tertio anno reuersa, nouam auem, nec prius visam secum adduxit, quæ rostrum magnum ensis instar acutum habebat. Cum ciconia longius ad victum volaret, serpens aggreditur nidum, quæ pluribus ictibus confossa iacuit; sed auis venenatis dentibus læsa, omnes ei pennæ defluxerunt; vnde quando accipitres cito pennas non proijciunt, serpente natiuum accipiunt, (vt qui minimum habeat veneni) cum tritico coquunt, deinde illo gallinam pascunt, & aquam decoctionis ei dant in potum; sic gallinæ carnibus pastus accipiter, pennas reijcit, & morbo, si quem patitur, liberabitur; nouisque pennis decoratus, longo tempore sanus erit, & hilaris. Stelliones senectam exuunt, vere & autumno, exutam mox deuorant, præripientes comitiali morbo remedia, ex Aristotele, Theophrasto, Æliano, & Plinio. Hæc accipitri in cibum data, facit vt cito pennas mutet. Sic etiam lacerti ad eadem valent. Virides cremati, & carni alicui aspersi mutationes pennarum in accipitre, qui ederit, accelerat. Demetrius Constantinopolitanus libro De cura accipitrum, in cibo ei offert lacertam viridem minutatim concisam, Antipater dat edendam in Sole siccatam; vtunturque ea ad capitis scabritias. Salamandra etiam exuit senectam, ex Æliano. Quacunque corporis parte eius saliua ceciderit, vel imo pede respersa, omnis in toto corpore defluit pilus, ex Plinio. Quamobrem Medici quidam ea ad psilothrum vtuntur. Nicandri scholiastes intestinis vtitur ad euellendos pilos. Dioscorides exenterata in melle ad eundem vsum, vel oleo liquefacta, Paulus Ægineta crematæ Salamandræ cinerem tantum ad hos vsus adhibet. Martialis mulieri imprecans caluitiem, ait; *Hoc salamandra caput, aut sæua nouacula nudet.* Dioscorides addi dicit ad medicamenta, quorum vis est exesse lepras. Galenus ab eo eius cinere vtitur pro

ſepticis, aut pſoricis medicamentis. Scincus eiuſdem ſpeciei; iudicarem, quod etiam ſenectutem exuat, ob id etiam ad eaſdem infirmitates valere, vt pro elephantiaſi. Aetius; in regione Indorum elephantiaſi affectos, aſſidue per ſedem eluere, per aſininæ vrinæ infuſionem heminæ menſura calefactæ conſueuerunt. Item crocodilum terreſtrem accipiunt, eiuſque extremas partes amputant, ac interiora abijciunt, dein fermento obuolutum aſſant cum ablato fermento, & ſcabritie eius deraſa, carnis ipſius drachmam vnam quotidie præbent. Ægineta ad alphos vtitur. Teſtudo ſenectam non exuit, ſed terrenæ teſtudines apud Indos gignuntur, quæ in altis arationibus terræ non difficile excitantur. Eiuſmodi teſtudinum genus aiunt teſtam exuere, ex Æliano. Vt accipiter mutet pennas, Demetrius teſtudines in cibo præbet, & falconibus male affectis dat. Aquila longæua eſt, quia hoc remedio renouatur iuuentus ſua, iuxta illud Pſalmi: *Renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua.* Micheas Propheta meminit abiectionis pennarum eius, renouatur deponendo ſenectutem, ſcilicet mandendo teſtudinem, vt habetur ex Oppiano. Nec ſenio, aut ægritudine perit, ſed ſolum fame, in tantum ſuperiore creſcente roſtri aduncitate, vt aperiri non queat. Sic ſerpentes renouari dicuntur, quum leberidem quotannis deponunt. Aquilæ pedibus teſtudines in altum rapiunt, & lapide conſpicato, ad libellam eijciunt ſuper illum, vt frangantur & mandi poſſint, Plinius. Mos eſt aquilæ teſtudines raptas frangere, è ſublimi iaciendo; quæ ſors interemit Poetam Æſchylum. Sic etiam in mari locuſtæ, paguri, & cancri cruſtam annuam deponunt vere, quando angues membranam vernationis, & aliam renaſci. Ob id choclearum teſtæ lepras purgant, & vitiligines, ex Dioſcoride. Et mituli, murices, & cancri cinerem faciunt cauſticam vim habentem, quo vtuntur ad lepras, lentigines & maculas.

5 *Plantæ quæ gummi, & reſinas reſudant, ad gummi, & pus corporum valent*; CAP. XIII.

EST & veluti morbus arborum quidam, gummi fluxio, & reſinæ, nec vlla ſimiliori via poterat, quam gummi &

resinæ defluxu, gummi & pueri & callis nostri corporis mederi, vt in lue Gallica, & aliis morbis perspicere licet; & quum id nos ipsi conijceremus, fauit euentus spei, quod & authorum testimonio comprobabimus. Gummi quod è cerasso desudet aceto dissolutum, gummi, quod nostris membris innascitur, medetur, & quando est appositum, dissoluit. Hoc recentioribus Medicis acceptum ferimus, quod non præstantius medicamentum sit adhuc inuentum. Laser gummi est, ex ferula Syriæ nascente exceptum: ad callos, & clauos pedum primo circumrasos valet, vel illitum, ex Dioscoride. Ammoniacum aceto dissolutum callos pedum tollit; ex eodem. Idem est opoponacum, & earundem virium. *Tagamacha* Occidentalium gummi est, & ad idem valet. Extrahitur gummi ex guaiaco ligno, aloe, aliisque chymistico artificio, quod gummi, ex venerea lue oborto valet, multiplici experimento à nobis cognitum, vt libro huic dicato docebimus. Sed vt gummi in arboribus, sic & calculi in renibus generantur ex materia viscida, putrida, indigesta, quæ ex indigestione oritur, calore coagulatur, addensaturque. Gummi in arboribus ex nimia putredine oritur, vel indigestione, Solis calore condensatum: valet ad calculos dissoluendos. Quod ex cerasso desudat, ex vino potum calculos expellit, ex Dioscoride; prunorum, amygdalarum, persicorum, abietis, & populi, ex Auicenna. Gummi, quod coalescit in caudicibus vitium, bdellij, laricis, sic & aliarum arborum, ex eodem: quod nil obfuit adnotasse. Sic & arborum sanies resina est, quæ per rimas exsudat, ex Theophrasto: vere pus imitatur ex vlceribus fluens, vnde hanc illi etiam mederi argutamur. Terebinthina resina cicatricibus saniem eructantibus prodest, succinum purulenta ex pectore exspuenti confert; mastiche scabiei pedum, & apostematibus hepatis; larigna ad gonorrhœam, tabidos, & sinuosa vlcera; pini & piceæ ad purulentas excretiones; thus ad vlcera è capite manantia; myrrha purulentis auribus; & quæ cedro exudat cedria ad scabiem, & pulmonum vlcera,

Plantæ, quæ in aliam speciem abeunt, ad eos morbos, qui in alios degenerant, valent; CAP. XV.

MAXIMO Naturæ portento innuitur nobis, plantas illas in alias congeneres, & in longe distantes abeuntes, aut cœlo repugnante, aut inuidente solo, iis morbis mederi, qui in alios degenerant, transeuntque. Demonstrat Theophrastus albam populum in nigram transire; & triticum & hordeum siluestre, domita feritate, in domesticum triticum; idem in auenam, & typham, & zeam; & vice versa, zea & typha in triticum: Hordeum in auenam mutatur; zea in auenam; siligo in zeam, & hordeum rarius, Ocimum solibus transit in serpillum, & sisymbrium; & mentha in sisymbrium & calamintham; & neglecta sampsuchus, in origanum; ex semine brassicæ nasci aiunt rapam, & ex rapi brassicam, ex Varrone. Sunt & morbi plerique, qui in alios transeunt. Febres in se inuicem abeunt, scabies in lepram, & lepra in cancrum, vertigo in epilepsiam, morbus gallicus, & podagra in morbos articulares, cœliaca in lienteriam & diarrhœam, inflammationes in scirrhos. Triticum tubercula, & furunculos concoquit, & aperit; recens panis vetustas impetigines sanat; pollen omnem discutit inflammationem: Plinius magis cæteris vetera vlcera purgare, gangrænas, lichenes, & lepras cum sulphure viuo, dixit. Hordei farinæ cremor ex aqua cum pice contra articulorum fluxiones, & inflammationes mitigat, præsertim podagricas. Linum serpere vlcus non patitur; gangrænas sanat ex aqua; articulorum duritias concoquit, cœliacis imponitur ex aceto; vetera vlcera, lichenes & lepras purgat. Ocimum pulmonum inflammationibus auxilio est. Populi nigræ folia podagricis doloribus illinuntur: semen comitialibus vtile. Aduertimus etiam alterius noxam alterum emendare. Ocimum si tritum cooperiatur, scorpionem generat; mansum, Solique oxpositum, vermes efficit: Afri vero si eo die feriatur quispiam à scorpione, in quo ederit ocimum, seruari non posse: quin immo tradunt alij manipulo ocimi cum cancris decem marinis, vel fluuiatilibus trito, conuenire


ad id scorpiones à proximo omnes. Ocimum Chrysippus valde increpuit; inutile stomacho, vrinæ, & oculorum claritati officere: præterea insaniam facere, & lethargos, & iecinoris vitia, ex Plinio. Serpillum vero aduersus scorpiones valere, decoctis in vino ramis, foliisque, capitis doloribus, phreneticis, & lethargicis: contra tormina, & vrinæ difficultatem, ex aqua bibitur ad iocinorum desiderium, Sic de aliis opinandum.

Maculosæ plantæ, & animalia corporum nostrorum maculas abstergunt; CAP. XVI.

DIXIMVS arborum morbos; nunc eos demonstrabimus, quos suis partibus ostendunt plantæ & vniuersales, & primo quomodo corporis maculæ, extimam superficiem dehonestantes, abolebimus. Est maxima decorationis pars maculas à corporibus abstergere: vnde maculosi flores, folia, & caules plantarum, & maculosæ animalium pelles ad abstergendas nostri corporis maculas valent. Recte quidem, & sine vlla ambage rerum Natura parens corticibus caulium radicibus, fructibus, aliisue partibus maculas, serpigines, fœdasque cutis lentigines obliterat, & abolet. Dracunculi maioris caulis maculosus, maculis depictus, purpureis tamen euincentibus; ad vitiligines efficaciter illinitur, ex Dioscoride. Nos eius radicibus contusis, melle, & sapone ceruino optime maculas è manibus, & toto corpore abstergimus. Minor dracunculus eodem modo variegatus, vitiligines quoque emaculat. Arum frondes variis punctulis distinctas habet; easdem possidet dotes. Allium anguinum eodem modo maculosum: crematum vitiligini, lentigini, & sugillationibus valet. Cyclaminus maculosis foliis, in quibus supra, infraque albicant maculæ: vitia cutis in facie emendat oblitus cum melle. Persicariæ infra folia pullo, vel sanguineo colore maculata sunt: imposita sugillata delent, & maculas recentiorum experimento. Chamæleoni nigro folia nigra, rubro distincta videntur; impetigines abstergit, vitiligines, & vitia in facie emendat. Ranunculi species, quam siluestre allium appellant, folia habes maculosa; stigmata delet. Testiculi

species

OBEX *oculis tabellatum plantas, tum animalia maculosa offert, anguinum allium, arum, arisarum, & dracontium ostendit: infra scorpium piscem, & viperam. maculas in eorum corticibus contemplator.*



ſpecies maculoſis foliis: faciem abſtergit ex Auicenna. Iris in flore punctos habet, lentigines, & vitia cutis emendat. Lilium rubrum, ſiue Poetarum hyacinthus, qui veluti lentiginoſus, ferrugineis punctulis, vel lineis interſtinctus eſt. Ouidius:

Flos oritur; formamq; capit, quam lilia: ſi non
Purpureus color his, argenteus eſſet in illis,
Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit; & ai, ai.
Flos habet inſcriptum, funeſtaq; litera ducta eſt.

Lilij ſpecies eſt, & etiam lentigines emendat. In fabarum floribus maculæ ſunt, & lentigines, vt diximus. Galenus manifeſte conſpici dixit fabaceam farinam cutis ſordes detergere, quod intelligentes mangones, ac mulieres in balneis quotidie his vtuntur: detergit etiam maculas è Sole contractas.

Ricini ſemen verſicolor, vitia cutis in facie, nareſque emaculant. Semina ſilueſtris lupini maculoſa ſunt: ſatiui faciem expurgant, & maculas delent: ſilueſtris ergo operando valentior. Melopepones cortices virides maculoſos habent; abſtergunt maxime faciem, ex Galeno: contuſo ſemine abſterſorij vice vtuntur. Betulæ arboris cortex verſicolor eſt, ex Theophraſto; huiux radix terebro perforata, aquam è corpore eijcit, cuius vis maxima ad delendas maculas, & nitorem corpori inducendum. Eadem in animalibus experimur: nam quæcunque verſicoloribus maculis in pellibus interſtincta ſunt, poteſtas eadem. Sed aliqua ex genere ſunt, vt lynx, panthera; aliqua caſu, vt oues, & capræ. Salamandra verſicolor eſt; Dioſcorides variam dixit. Nicandri Scoliaſtes, & Aetius ſtellioni ſimilem, vel ardeæ ſtellatæ; Plinius ſtellatam, quod cutis interrupta his veluti oculis, videretur: Galenus lentigines & maculas delere dixit. Stellio ſtellatus eſt, ſic dictus quod punctos, ſiue ſtellas in dorſo habeat, vel lentiginoſus ſit. Ouidius:

—aptumque colori
Nomen habet, variis ſtellatus corpora guttis.

Eius ſtercus ad impetigines, ephelidas, & alphos valet. Sunt & lacerti variis maculis diſtincti, ex quo Virgilius;

Absint & picti squalentia terga lacerti.

In lateribus enim vtrinque aliquot puncta sunt splendentia asteriſci, virtute similis stellioni: cuius stercus lentigini mederi dixit Auicenna. Crocodilus orbiculis & squamis croceis subpictus; cuius fimus ad lentigenes valet, ex Sorone & Archigene apud Galenum. Scinco color niger, dorso & lateribus sunt multa puncta alba, & minuta; sunt & inter latera & ventrem, aliisque partibus supinis, reliquumque corpus; & ipsum nigrum est, & cum coloribus etiam punctis exasperatur: ad eadem valet. Scinci sanguis si misceatur cum *baurach*, & illinatur faciei, maculas & lentigines minutissime delet, ex Galeno, Ægineta, Plinio. Vipera colore vario, pluribus ornata maculis rotundis; corpus totum per cutim euacuat, ex Odoardo. Lepus punctis, maculisque nigrioribus interstinctus, ob id *percnon* dictus, ex eisdem aquilarum alarum maculis. Genus vnum Aristoteli *percnon* dicitur, vel ex punctis albis intermixtis, vt lentiginosus videatur. Perunctus eius sanguis lentigines, & fucos pellit; panos & sigilla delet, ex Sereno, & Sexto. Sturnus varius est, niger, albis distinctus maculis, ex Aristotele, vel croceis; stercus ad faciem ornandam, ex Dioscoride, Galeno, & Plinio valet: plura leges ad alphos, panos, impetiginem, & morpheam, ex Galeno, Ægineta & Serapione. Lynx maculosa est, Virgilius;

Succinctam pharetra, & maculosæ tegmine lyncis.

Eius vsus ad sphragida, & sugillata, ex Arabibus. Accipiter pectore maculosus, nigris, albis, vel rubeis maculis ornato: ad nubeculas, suffusiones, & hebetudines oculorum valet. Passeres mares guttatim albis, & nigris punctulis distinguuntur: fimus eius à lentiginibus purgat faciem, ex Hali. Varij in pauone colores visuntur, in caudæ pennis, oculi & gemmantes colores. Plinius tanta colorum varietate, tanto nitore, tam selectis etiam colorum generibus, vt nil pulchrius spectari possit: ossa eius adusta ex vrina, lepras, & vitiligines emendant, ex Sethi. Merularũ genus pectore rufo, maculoso, & nigro, vel varius color ex nigro, cinereoque mistus: fimus

ex aceto miſtus lentigenes exſtirpat, ex Hali. Hyæna maculoſa eſt, tota orbiculis, ex Plinio: fel ad albugines, caligines & glaucomata. Sunt & animalia, quæ partim maculoſa, partim ſuo colore maculata, non ex toto genere, vt diximus. Canis maculoſus reperitur, variuſque. Oeſypus cum melle tritus, appoſituſque abolet maculas, ex Plinio. Capræ & variæ; caprino ſanguine abolentur maculæ, ex Marcello. Cati ad nebulas valent: arietis ſimus maculas delet.

Maculoſæ plantæ, & animalia ad oculorum maculas valent;

CAP. XVII.

ACcidunt & maculæ in oculis, quas & plantæ, & maculoſa animalia obliterant; ſunt oculorum maculæ, nubecula, argema, albugo, glaucoma, & alij morbi; nam vt flores variorum colorum, ita & oculi cæſij, albeſcentes, charopi, flaui, nigrique. Exempla erunt. Dracunculi caulis variis diſtinctus maculis, oculorum nubeculas tollit. Idem & minor facit. Arum eaſdem delet. Cyclamino albicant in fronde maculæ: ſuffuſioni, ac retuſæ aciei cum melle oblitus prodeſt. Teſticulo rubent, & nigricant maculæ, eaſdem delet. Ebenum nigro ligno: inquit Plinius. Non omittemus propter miraculum ſcobem eius oculis vnice mederi, ligoque ad cotem trito, cum paſſo caliginem diſcutit: & ex aqua oculorum albugines ſanat. Corocomagma probatur, quod nigra ſit; vires habet ad delenda ea, quæ caliginem oculis obuerſant. Maculæ, quæ in plantis lactei coloris ſunt, ad albugines & argemata valent. Lactuca ſilueſtris reſudat lac, oculorum argema reprimit, hieracium omnia oculi vitia. Dracunculus lac emanat, contra albugines effectum habet. Chamæſicæ hebetudines tollit; lac ſanat argema & albuginem, ex Auicenna. Quæ diximus ictericis mederi, etiam ad glaucomata valent, vt citrium, ad oculorum icterum valet, ex eodem. Succedunt his maculoſa animalia. Viperæ maculoſa pelle: cinis earum albugines tollit, & comeſtæ claritatem oculis afferunt. Hirundines maculoſæ, ex albo, nigroque: viſus aciei claritatem afferunt. Aquaticæ teſtudines, quæ nigris maculis dorſum interſtinctum habent: fel illitum om-

nem oculi caliginem abolet, ex Plinio. Accipiter ad caligines accipitur; ſtellio ad hebetudines; lacerta ad caligines, ex eodem. Glauca animalia glaucomati auxiliantur, teſtudo ad glaucomata. Glauca lacerta in ſabuletis habitans, comburitur ad glaucomata. Otis, ſiue aſilo ex noctuarum genere, glaucos oculos habet: ad glaucomata vis, ex Plinio. Albugines & leucomata tollunt alba animalia. Ouis, gallus, & lac albugini propinantur. Sanguis nigrarum gallinarum ad maculas, & lentigines, ex Rhaſi. Sunt & animalia, quæ ſanguinem in oculis habent; & ad delendum oculorum ſanguinem præſtãt. Turtures circa oculos ruborem habent: earum ſanguinem oculis ſuffuſis eximie prodeſſe dicit Plinius. Columbarum circa oculos rubor; ſuffuſionibus inungi Dioſcorides dixit: Palumbi eodem modo. Perdici pars ſupra oculos, & prona capitis cum initio colli ruffo colore inſigniuntur, oculos ſuffuſos liberat, Rana non niſi in oculis ſanguinem habet: eruitur ranæ oculus ſpina, & in panno coccineo ligatus, oculis ſuperponitur, vt ſanguinem deleat. Chamelæon non alibi ſanguinem, quam in corde & oculis habet, nec in his vlla copia, ſed pauſillum: eius felle ſuffuſiones ſanantur. Hirundo rubras maculas in pectore habet, ad oculos quæritur cruore ſuffuſos.

Squaroſæ plantæ, & animalia corporis ſquamas delent;

CAP. XVIII.

MOnſtrat etiam non inconcinna ſimilitudine Natura ſquaroſos ſtirpium ramos, cortices, florum calyces, & ſemina; ſic & animalium pelles ad ſquamoſos morbos valere, qui cutim obſident, ſcilicet lepram, pſoram, ſcabiem, & ſcabros vngues. Exempla erunt: Scabioſa in ſummis caulium capitulis florum calyces promit, compactili ſquamarum ordine ſtructos: præſtat aduerſus ſcabiem, vnde id nominis ſibi vendicauit: alphos, impetigines, næuos, & cæteras cutis affectiones delet, vt conſtat recentiorum experimento. Eadem facie, & facultate eſt *morſus diaboli* dicta, adeo ei ſimili, vt plerumque pro eiſdem accipiantur; flores habet in ventriioſis poculis, ſquamulis compactis. Scolymi fructus ferunt in coni formam, ſquamis ſibi imbricatim incumbentibus.

Plinius lepras, lichenes sanare ex aceto dixit. Sunt & flores chamelæonis squamis etiam compactis, qui vitia cutis in facie, & vitiligines emendant. Sedum foliis prodit squamatim consertis, elephantiasim hausto tollit. Origanum flores promit compactili squamarum serie in spicis: decocti ius psoris iuuare potest. Plantago florem affert spicatum, scilicet in summo cauliculo spicam è floribus sibi in vnum incumbentibus, quasi imbricatim decussantibus: elephantiasi illita prodest. Sunt & arbores quæ flores, quasi vermiculos proferunt collo squamatim compactili, è ramis propendentes, vt iuglans: cuius oleum scabiem fugat. Pinus, pinaster, picea, larix, & aliæ conos proferunt squamatim compactiles; è quibus resina fluit, quæ lepras, impetigines, & scabros vngues eximit. Cupressus frondes, & conos, ramosque squamulis loricatos affert; resinam gignit, quæ ad eadem illinitur. Sabina squamosis ramulis, & foliis constat, eadem potest duplicata, quæ cinnamomum, ex Plinio: cinnamomum lentigines & cutis vitia in facie ex melle illitum detergit. Lilium radices squamosas habet, ex pluribus nucleis compactas, lichenes, lepras, & furfures in facie emendat, & vitiligines emaculat.

Ad animalia transeundo: Crocodilus corpus asperum habet, squamis præduris, ostreorum modo obducitur: eius fimus ad impetigines, & similes valet, apud Soranum, & Archigenem, ex Galeno. Scinco tota pars supina, pectus, & venter squamarum serie nitet, cuius sanguis lentigines: & crocodilea alphos tollit, & faciem emũdat, ex Ægineta. Ad id Horatius

—*colorá*

Stercore fucatus crocodili.

Ouidius De arte amandi præcipiens honesta facie esse, quæ nigra sit, ad Pharium piscem relegat.

Nigrior ad Pharij confuge pisc is opem.

Salamandra scabra est, & asperæ cutis in dorso, præsertim propter quædam puncta; & fortasse Nicandro, ob id dicta φαγέν δέρος, quod intercepta cutis, his veluti punctis videatur pro alphis, & psoricis medicamẽtis Galenus vtitur. Viperæ &

PINASTRVM, *scabiosam, iuglandem, & lilium repræsentamus, quæ conos, capitula, iulos, & radices squamosas, & scabritie insignes, explicant. Squamosa præterea animalia, serpentes & pisces, vt ex voto squamas contempleris.*



serpentes squamosa cute sunt à capite ad caudam, ad elephantiasim valere sæpius ex Galeno retulimus. Elephas squarosa cute, ob id lepra morbus *elephantiasis* dictus; ob eam, quam cum elephanti cute similitudinem habet: cuius sanguis illitus elephantiacis corporibus medetur, ex Marcello: ebur ad hunc vsum probat Aetius. Si vero squamosis in cibum vtemur, squamosos nos reddent, quum in alimentum assumantur. Pisces, omniaque acida lacti admista & vino profusa, scabiem & lepram conciliant, ex Medicorum scholis.

Perforatæ plantæ, & fistulosæ ad corporis perforationes, siue vulnera, & fistulas valent; CAP. XIX.

COMMONSTRANT plantæ perforatis foliis, siue radicibus, fructibusque ad perforationes, siue vulnera corporis valere. His vti possunt Chirurgi in vulnerariis potionibus. Est gentianæ species quam *gentianellam* Herbarij vocant à paruitate, quod fere facultatibus maiori gentianæ respondeat, cuius radix secundum longitudinem tripartito, aut quadripartito fissa est, vnde *cruciatæ* nomen vulgus indidit, quod eam foramina in cruris formam disposita quatuor confodiant: imposita vulneraria est. Hypericonis folia perforata sunt, & perforatæ nomen indepta, quod folia Soli obuersa, innumeris fere foraminulis, quasi acu traiectis, & nostram aciem, & Solis lucem transmittant, quasi millefora dicta: vsu medico, & chirurgo notissima: folium & semen ad vulneraria balsama nulli secunda, multiplici peritissimorum chirurgorum experimento. Haud disparis vsus ascyrum, quum sit quoque vlnerum glutinatrix herba, foliis etiam pertusos poros habentibus. Vlmus, vt hypericum, perforata folia habet: Dioscorides ad vulnera glutinanda valere dixit, si cortex fasciæ loco intorqueatur: nam in lori modum inflecti potest: eius etiam decocto fracta ossa solidescunt. Sed fistulosi plantarum caules, & inanes, non solum ad vulnera, sed ad fistulas valent, nec subtiliori consilio Natura potuisset aquæ ductus, cuniculos anfractuose incedentes humani corporis demonstrare, quam fistulosis & cauis plantarum caulibus. Quamplurimis herbis caulis cauus, & fistulosus;

olera fere omnia frumentacea, & harundinacea concauo culmo fastigiantur, continuoque foramine hiant. Gentianæ caulis cauus: imposita vulneraria est, & cuniculatim depascentium medela; succus præcipuo effectu ad eadem prodest. Symphytum caule peruio, & vt sonchus, inani: vulneribus præstat opem. Elleborum album cauum caulem habet, nigrum si in fistulam callo induratam demissum fuerit, duobus, tribusue diebus callum dimittit. Lupinus cauo intus corpore: quæ theriomata vocantur vlcera in capite manantia, sanat. Tandem nulla res nec magis manifeste, nec magis affabre demonstrat fistulosis ductibus suis nostri corporis serpentibus vlceribus posse mederi quam ligni marcor; siue congeries illa, vel caries, quæ in caudicibus, vel veteribus lignis inspicitur & reperitur. Hæc inquam farina vlceribus imposita, vel illita, purgat, & ad cicatricem perducit, vel serpentia vlcera cohibet, ex Dioscoride, & aliis: & eo efficacius effectum præstat, si caries illa ex illis lignis sit, quæ similem facultatem habent; vnde *guaiaci* ligni caries præstantissima est, vlcera omnia sanat, etiam illa, quæ cacoetha dicuntur, quæque ex morbo Gallico proueniunt. Sed aliud occurrit ingens exemplum, quo certius hæc nostra methodus comprobetur, quippe Plinius, Vermes, ait in carioſis lignis nascentes, sanant vlcera omnia, & nomas, ex oleo illitas. Galenus eas caries laudat, quæ ex vlmo, vel aliis astringentibus lignis eruuntur.

Anguloſos caules ad vulnera valere; CAP. XX.

VIDENTVR etiam stirpes anguloſis caulibus, frondibus, aut seminibus nobis ostendere, inflixis vulneribus mederi posse; quippe telo, spiculis, aliisque anguloſis, & mucronatis cuspidibus vulnera infligi solent. Euenit id quoque, & possumus naturalibus causis demonstrare. Diximus nempe secundo libro anguloſos caules in stirpibus ex siccitate euenire; quæ sine morsu desiccant, & has Galenus ad vulnera glutinanda valere dixit. Sic & spinosæ plantæ, quæ vulnera suis aculeis minantur, ostenduntque, ad idem etiam valent. Pro exemplis aliqua sufficient. Sideritis Heraclea quadratum caulem edit, cuius folia illita suapte vi vulnera sine in-

flammationis periculo ferruminant. Centaurium minus angulosо caule; suo illitu vulnera conglutinat, vetera purgat, & cicatrices obducit. Chamædris quadrato caule, Theophrastus eius folia ad rupta, & vulnera valere dixit. Scordium quadrato caule, vulnera iungit. Betonica quadrato caule: Antonius Musa Augusti Medicus corporis vulnera tusâ & illitâ, mira celeritate persanabat. Alterum symphytum caulem angulosum mittit: recentia vulnera illitum conglutinat. Faba quadrato caule, mitigat inflammationes, quas vulnera excitant. Clymenum caule fabæ: tusa folia vulneribus imposita ad cicatricem producunt. Plantago quædam quadrato caule: sinus conglutinat. Pycnocomon quadrato caule: illitum cum polenta, adacta spicula & aculeos è corpore extrahit. Sparganium nascitur foliis, & dorso prominulo, & acuta acie, quæ manum arripientis cæsim sauciat: desiccantis est facultatis, ex Galeno, quod vulneribus prodesse potest. Iris, ex iis, quæ gladioli formam habent, vulnerariis medicamentis inuncta, sarcotica est. Xyris folia habet in cacumine mucronata: ex corpore spicula extrahit. Gladiolum dicunt, quod gladij speciem gerat: spicula è corpore tollit. Spinosæ plantæ vulneribus propinantur, vt rubus, tribulus, aquifolium, dipsacus, poterium, aloe, licium, pecten Veneris, & alię, vt alibi dicemus.

Arbores, & acutifoliæ plantæ, in operando acutæ, tenuesque;

CAP. XXI.

NEc sine vtilitate demonstrat Natura, acutifolia spinosaque in operando, acuta & tenuia esse; nec solum, quæ acutum folium habent, sed quæ caulem, semen & omnia, vel spinulis, & capillaribus foliolis tenuissima. Naturalis causa esse potest, quod quæ spinosis, acutis foliis, & tenuibus fuerint, siccæ sint qualitatis, quodque siccis locis nascantur, vt superius diximus; & sicca, calidaq; valenter operantur. Siluestria, quia sicciora, fortius agunt, & siluestria angustioribus foliis sui generis vrbanis. Peucedanum capillaceo folio: tenuium partium esse, vt sequentia omnia, Galenus dixit; vnde valide & celeriter operantur: ob id comitialibus, & lethargi-

cis valet. Sagapenum ferulaceum est, tenuium partium; comitialibus valet, & olfactu vuluæ strangulatus excitat. Euphorbium tenuifoliæ ferulæ species, tenuium partium, & vrentis facultatis; ischiadicis prodest, squamas extrahit ossium; sed necesse est linimentis communire corpus, quo ossa conuestiãtur: sternutamenta cit, occipiti confricatũ veternosos iuuat. Pyrethrum folia fert, vt daucum silueſtre, & fœniculum: gustu feruidissimo, vrentis facultatis est, & ad dentium dolorem valet. Rosmarinum frugiferum, cui *cachryas* nomen, folio fœniculi: incidentis facultatis est. Galbanum cyrenaicæ ferulæ succus, vrit, vertiginosos olfactu suscitat, nidore serpentes fugat. Melanthion foliis tenuibus, tenuium partium & subtilis essentiæ: lepras & lentigines tollit. Acanthium foliolis spinosis, cum acutis incisuris, tenuium partium. Spina alba fo-
23 lio hispido, & aculeato est, in cacumine echinũ spinosum habet; eius semen tenuis essentiæ est, & calidæ facultatis. Ammi tenuium foliorum, acre & tenuium partium est. Anthemis tenuibus foliolis paruis, & tenuibus partibus constat; calefacit & extenuat. Artemisia tenuifolia Dioscoridis, tenuium est partiũ. Asplenum acuto folio, oblongoque; etsi non calidum, siccum tamen, & tenuiũ partium. Gingiber harundinaceo, vel gramineo folio, subtilium partium, sed minus quam piper. Eryngium spinosum siccum in tenui essentia; comitialibus medetur. Lũcus odoratus, à tenuitate non alienus: cit vrinam. Calamus odoratus, harundinaceo, acuto folio; ineſt ei quædã partium tenuitas. Milium harundineo folio; tenuis essentiæ. Myrtus tenuifolia, tenuis, calida est. Ferula attenuat; oxyacãtha spinosa, tenuium partium; sic resina lentiscina, & picea.

Arbores, & animalia, quæ glutinum ostendunt, ad glutinanda vulnera valere; CAP. XXII.

COMMONSTRAT & maximo hominum commodo Natura glutinum in plãtis, radicibus suis, foliis, succisue, quo diuisæ corporis partes possint conglutinari, ferruminari, solidariue, tam foris, quam intra viscera, & ad laxos naturæ ostij hiatus. Quorum exempla erunt. Theophrastus hibisci radicem aquam posse condensare scribit, si tritam iniecerís, sub

dioque humorem posueris; tota viſco & mucagine prægnat: ſi carnibus concoquas, in vnum aggregare, ac vehementer conglutinare affirmant: vſus, ad rupta & vulnera: Hippocrates vulnerariis medicamentis imposuit, ſic Dioſcorides & Plinius: conſolida maior radices viſcoſas habet; carnes quoque ſi coquantur, eogunt addere: tritæ & potæ ruptis proficiunt, & recentia vulnera illitæ conglutinant, radice omniũ, quas nouimus, maxime viſcida, quæ carnium fruſta, ſi illi incoquantur, ferruminare, glutinareque creduntur: folio & radice vulneraria eſt. Aquifolij flore aquam glaciari Pythagoras dixit, cortice ad glutinum aucupatorium apto: fracta oſſa ferruminat. Huius cortices detrahunt, & facta humi ſcrobe locis vliginoſis maxime obruunt, frondibus arborum inuoluentes, & inibi putreſcere patiuntur, quod duodenis diebus euenit; tum marcidos eruunt, & tantiſper pila tendunt, dum in viſcum lenteſcant; denum in profluente, vt obhærentes corticum reliquiæ, ſordeſque fluitent, proluunt. Viſco nil glutinoſius, pennas maxime volucrum tactu ligante. Colliguntur acini virides meſſium tempore, ſiccantur, & aridi tunduntur, conditi in aqua putreſcunt duodenis diebus; in profluente rurſus malleo tuſi corticibus amiſſis interiore carne lenteſcunt; quidam galbanum adjiciunt, pari pondere ſingulorum; eoque modo ad vulnera petuntur. Chamæleo albus *ixia* aliquibus vocatur, quod viſcum circa radices eius inueniatur. Plinius viſcum gignere ſub alis foliorum dixit, ſub Canis ortu: fert viſcum vulneribus vtiliſſimum. Sarcocolla lachryma eſt arboris in Perſide naſcentis, pollini thuri ſimilis, à conglutinandis vulneribus nomen inditum. Ex corticibus radicum vlmi optimum glutinum paramus ad vaſa vinaria, quæ reſtagnant; fracta ferruminat. Aloe folium pingue, craſſum, glutinoſumque habet: ad iungenda vulnera ſane quam vtile. Myrrha glutinoſa eſt: vulneribus capitis inſperſa, glutini vicem exhibet, & fractas aures iungit. Sunt & reſinoſæ plantæ, quæ glutinum oſtendunt, ob id ad ferruminanda vulnera eorum præcipuus vſus. Pinus cruenta glutinat vulnera. Cedria vlcera, quæ oues exceperunt ex tonſura,

ad cicatricem producit. Gummi, quod vocant *elemi*, vulnerariis medicamentis præcipue vtuntur. Gummi oleæ Æthiopicæ ad vlcera valet. Lentiscus resinosus est, ad fracta ossa valet. Sunt & herbarum folia, quæ glutinum ostendunt. Glycyrrhiza glutinosa fert folia, & gummosa: illitus succus vtilissimus vulneribus. Laudanum folium habet verno tempore pingue resudans, quo vescentes capræ, pinguedinem conspicuam barbis carpunt, & suo lentore villosis cruribus adhærentem reponunt: easdem, quas cistus, vires possidet, ex Dioscoride: cisti folia vulnera consolidant, ex Galeno. Hypericum semen resinosum, odorem, & lentorem habet; ascyrum fructu resinoso, & androsæmum: diximus ad vulnera valere. Animalia sunt, quæ circa colla pellem habent, ex qua optimum conficiunt glutinum, *alij taurocollam* vocant, alij *xilocollam*. quod ex bubalis coriis conficiatur. Plinius ex taurorum auribus, & genitalibus fieri dicit. Inest etiam coriis omnib. mucosus lentor, aliis minor, aliis copiosior, vt in bubus, ex quo fit glutinum: vulneribus prodest melle, aut resina: *ἰχθυοκόλλα*, vel piscium gluten fit ex ventre cetacei piscis: vtile emplastris capitis. Tincæ muco obducuntur, his lucios vulneratos se adfricare scribunt, vt muco illo vulnera conglutinentur. Purpurarum saliua admodum lenta, ob id sumitur ad recentia vulnera glutinanda.

Stirpium tumentes partes, & tumida animalia nostri corporis partibus tumentibus prodesse; CAP. XXIII.

IN visceribus terræ, & stirpium partibus humores in se colligi solent, & collectiones globosas quasdam, absessusque fungosos excitare, quemadmodum in corporibus calor & sanguis sæpe strumosa & glandulosa tubercula creant. Nobis hæc Natura demonstrat ad tubercula valere; sic & animalia, quæ non nisi tumidam quandam speciem ostendunt. Sunt quercuum glandes, glandibus illis similes, quæ in peste, & aliis pestis temporibus variis hominum corporis partibus eueniunt, vt collo, alis, fœmoribus, & eiusmodi locis, caro glandulosa in sue vocata: quibus occurri facile potest stillatitia aqua ex nouellis quercuum foliis extracta, & inde vene-

natis quoque febribus opitulatur. Dioscorides ad duritias quoque prodesse scribit, quas cacoethes vocant. Siluestris cucumeris fructus glandulis adsimiles scribit Dioscorides; & tubercula rumpi, & tumores ex eis; Mesues induratos abscessus, & strumas delere. Lenticulæ in pestilentibus febribus corporibus nostris veniunt, quæ lenticularum effigiem proprie mentiuntur, & vulgus lenticulas vocat, quibus nulla re vtilius occurritur, quam lenticularum decocto. Aristoteles suem grandinem concipere dixit, & hinc verbum χαλαζᾶν factum, id est grandine laborare; reperiuntur in carne suis grandinosæ grana rotunda, grandini similia, vel lenti, & eiusdem similitudinis: aduersus hunc morbum nonnihil admiscent lentis in eorum colluuiem. *Bos* appellatur morbus papularum, quum rubent corpora: sambuci ramo verberantur, ex Plinio, qui grana eiusdem similitudinis affert. Brassicæ caulis circa radicem tumet maxime; præcipue tumoribus confert. Bulbi omnes tumentes sunt; ex Dioscoridis præcepto tumoribus conueniunt. Cepa tubercula rumpit. Testiculi tumores discutiunt: allium tumores sanat, ex Plinio. Ephemerum bulbosa radice; discessus, tumores & tubercula delet. Hemerocallis radix ex collectis bulbulis constat; ad oculorum collectiones valet. Dracunculus valet ad pernio-nes. Nascitur & in oculis tuberculus, quem *hordeolum* Latini vocant, quod longitudine & latitudine hordei grani similitudinem gerat, vulgus *orgiolum* vocat: mulieres pungentes illum hordei grano, discutiunt. Eueniunt oculis tubercula, consimilia vnioni, quæ etiam vulgus ab eorum similitudine *perlas* vocat. vnionis puluis oculis iniectus, diluit, & claram aciem restituit; quod frequenti experimento nobis patuit. Gladiolus radice geniculata constat, paruorum bulborum modo, super alium insidente, inferior gracilis, superior vegetior: strumis medetur innumeris periculis factis. Ficus strumæ modo tument: valent ad easdem, ex Plinio. *Scrophularia* nuncupata, radicem habet tuberculis asperam, & papillosis capitulis donatam, strumoso subtus porrecto cespite: vlceribus strumosis, cauernosis, carcinomati, aut depascenti-

bus sideratis satis opportuna : tuberculis ab humore frigido glaciatis emolliendo opitulatur.

Est & *scrophularia* minor dicta, herbula foliis hederæ, habet radices quodam callo pendentes paruas, complures, vt grana tritici in acerui modum collectas, quarū tres, vel quatuor in longius protenduntur; hac recentiores in eximendis strumis, ficubus, & marisc is, magna vi, & experimento vtuntur. Cyclaminus rotunda radice, strumosis compacta tuberculis; Mesues strumis mederi dixit. Dracunculus radices strumosas habet, illita folia resoluunt strumas. Mandragora eodem modo strumas & tubercula discutit. Iridis radix, velut strumosa, delet strumas. Eryngij species strumosa est radice; tubercula discutit, & decoctio sanat strumas; sic & vitis nigra. Ari species altera, è cuius mediis radicibus diffundentib. numerosis tenuibus bulbulis, & globulis fibris dependentib. commode illinitur tonsillis & hæmorrhoidibus. Ad eosdem & arum minus. Chelidonium minus contra mariscas. Oenanthe, siue *filipendula* compar multiplici experimento; quod sola suspensione discutit hæmorrhoidas. Sonchi species quædam globulos habet, ad collectiones valere scribunt. Rapum appensum, inguini medetur; ex Simæone Sethi. In vlmo folliculi quidam innascuntur aquæ pleni : ad enterocela valent. Nascuntur in podice veluti fructus mori, cruenti, molles; & in scroto, qui ab aliis Medicis dilaniati, combusti, & detruncati, repullularunt; nos autem ex fructuum mori, frondiumque puluere sanitati restituimus. Etini species medetur ficubus in podice nascentibus ex Dioscoride, & Plinio. Fungos in ano nascentes fungus delet, ex Plinio. Verrucas delent heliotropij minoris semina *acrochordonas* vocatas Græce. Cicer in verrucarum formicantium, pensiliumque genere : prima Luna singulis granis singulas tangunt, eaque grana linteolo deligata abjici post se præcipiunt; ita decidere eas arbitrantur, ex Plinio; cicer enim verrucæ speciem refert. Thymus verrucas thymi colorem habentes, pensilesque tollit. Ad animalia transibimus. Solent bubus fastidia cibi afferre venenosa incrementa linguæ, quæ *ranas* veterinarij vocant;

Sonchi speciem, chelidonium minus, & scrophulariam attulimus; quarum radicum innumeri fere globuli imam partem ambiunt, ad tubercula strumarum, & hæmorrhoidum ostendenda.



Columella nona die necare dixit, nisi curentur; tumorem in lingua cum inflammatione præcipue partis, *barachion* Græci vocant: curatur cuspide lignea, qua rana rubeta transfixa

sit,

sit, melius vero si in eadem aruerit. Ad tumores omnes calidos valet aqua ex ranis, ex Russio. Solent ex venenosa materia oboriri abscessus pestilentiales, qui conueniunt cum pestilentiali tuberculo, plerunque sub lingua nascente; cuius etiam meminit Plinius. Sunt ex recentioribus, qui rubetam aridam buboni pestilentiali imposuerint, venenum mire extrahi docentes. Alij ranam viuam eidem imponunt, & si interit, aliam supponunt, idque toties repetunt donec superstes vna remaneat, felici remedio. Cancris tumet corpus; perniunculos, & carcinomata cum decocto melle lenit. Tumida testudo tumidum hydropicorum ventrem refert; hydropicis testudo medetur, pedibus, capite, cauda, & intestinis exemptis, reliqua carne ita condita, vt citra fastidium sumi possit, ex Plinio; facile impinguat equos, & eis magna, sed falsa pinguedo accedit, ex Alberto. Sunt & animalia, quæ galericulis, & cristis, tuberosisque eminentiis, tuberculis mederi posse ostendunt. Picus Martius cirros in capite gerit. ad eminentias intrinsecas & extrinsecas ani, picus martius torrefactus in sale applicatur, ex Actio. Gallina cristato capite est: albugine oui ad curationem sedis vtitur Plinius; infantibus quidem etiam, si quid ibi procidat. Columbæ etiam galericulum in capite habent. Celsus de condylomate tuberculo, dicit recte ouis tuberculum foueri; sed desidere ante homo in aqua debet, in quo verbenæ sint decoctæ.

Plantæ; quæ flammeo sunt flore, ad inflammationes valent;

CAP. XXIV.

SVNT quædam plantæ, quæ flammeo flore sunt, ignemque suo colore referunt; ego ad sacros ignes, & inflammationes valere conjicerem: etsi ad naturales causas referre possim ex iis, quæ de coloribus naturaliter retuli, placet ad similitudinem referre. Exempla, quæ suppetunt; hæc erunt. Rosa flammeo colore rutilat, ad inflammationes valet. Crocum ad easdem, & ad sacros ignes vergentes. Malum sacris ignibus, & ambustis auxiliatur. Papauer erraticum ad oculorum inflammationes, ex Galeno, & sacros ignes. Anemone ei per omnia similis: ad oculorum inflammationes valet. Arge-

mone colore minus saturato; inflammationes compescit. Anagallis, quæ flore rubro, malum punicum flore phœniceo refert; ad idem valet, ex Auicenna. Anchusæ radices ad ambusta, & sacros ignes. Lycopsis eadem radice & facultate. Cistus flore rosaceo: etiam ambustis opitulatur. Polygonum alterum flore puniceo sacro igni fert opem. Amygdala inflammationibus; beta rubra igni sacro, ambustisque. Hedera rubro corymbo; ambustis medetur; rubus sacris ignibus; fraga iocinoris inflammationibus; mori fructus, vua rubra ad lienis inflammationes; sic & rhabarbarum. Tandem carbunculorum genus rubrum, quo consulares absortos nouit Plinius: querneus carbo tritus cum melle sanat, adeo in rebus damnatis quoque, etiam nullis, sunt aliqua remedia. Ligna quæ simul attrita ignem excitant, admonent nos ad eadem valere. Theophrastus commemorat arbores, quibus antiquitus fieri ignaria solebant, hederam, laurum, & tileam, Mnestor & morum addit. Ad ignem excipiendum aptissima ficus, oleaque. Fomites tametsi ex multis fieri possunt, optimi ex nuce, ex Mnestoris sententia: fomites ex attagena vocata, ex qua conceptaculum, terebrum ex lauro faciunt; non enim ex eisdem quod agat, quodque patiatur, ex rhamno, & ilice. Hedera & morus, vt diximus, & laurus, & ilicis glandes inflammationes leniunt; olea & rhamnus, ignem sacrum. Ficus tonsillarum, ex Plinio; & iuglans mammarum inflammationibus, valent. Sunt & herbæ, quibus pro ellychniis veteres vtebantur, (ne quid omittatur, in quo naturæ signum aliquod reluceat) quæ villosa afferunt folia, & oleo delinita accensam seruant flammam. Possumus & ad naturales causas referre. Diximus in humana Physiognomonia villosos homines, calidos esse, & villosas plantas calidas, siccasque. Sunt tamen qui villos in foliis ex humiditate prouenire dicant: nam alimentum parti supinæ per pronam deferri existimant; quia madida semper, lanuginosaque est, sed eos non recte existimasse dicit Theophrastus; nec id absque propria natura euenire. Alimentum per venas & neruos æque ambabus defertur partibus; ex altera enim ad alteram deferri nulla ratio

est, quum meatus non habeat, neque ima, quæ subeat. Ego potius ad cœlestem imbrem, & rorem suscipiendum dicerem, vt siccitas, vel feruor plantæ humectetur, quo se possit sustentare. Theophrastus quercum quandam pilulam ferre dixit, comam gerentem lanaceam, mollem, qua in lucernarum luminibus vterentur: flagrat enim probe, vt galla nigra: Plinius ambusta sanare dixit. Verbasci genera tomentosa; inter ea duæ sunt herbæ *phlomides* dictæ, ellychniis aptæ: ad oculorum inflammationes valent. Althæa lanuginosa; ad vuluæ, & sedis inflammationes præstat; sic pulegium, dictamnum, & vrtica vrida lanugine donata, ad easdem valet. Chrysocome, seu *stachys citrina* mollicello vellere incana, pulmonum inflammationes sedat.

Vinosi nitidi colores ebrietates sedant; & qui caput temulentia oppleant; CAP. XXV.

PRIVS quam à coloribus discedamus, dicamus & illos plãtarum colores, qui faciei inflammationes ex ebrietate referunt, & ad vini temulentiam sedandam valent; etsi morbos diximus, qui totum corpus occupabant, nũc eos, qui partes; & à capite occurrit vultus, quem vini robur occupat. Arbuti fructus crocato rubore infectus, vulgo *imbriagola* dictus, quod facie ebriosos repræsentet: esus capiti noxius est, ex Galeni testimonio. Sunt & purpurei hilares plantarum colores, qui vini colorem demonstrant, vt qui proprie amethystinum colorem referant, non secus ac amethystus crapulam sedat, arcetque ebrietatem; dum sese igitur homines largius inuitant, ne forte longius prouehantur, vt nec pes, nec manus satis officio fungãtur, adhibere debent quædam ebrietatem prohibentia, quæ *amethysta* dicuntur. Amethystinus color est, qui ad vini colorem accedit, prius quam eum deguslet, in violam desinit; fulgorque quidam in eo purpuræ, non ex toto igneus, sed in vini colorem deficiens, velut ex carbunculo refulgens quidam in purpura leniter roseus nitor. Inoleuit mos antiquis, vt post cœnam circumferrentur conuiuis corollæ, quæ struebantur ex versicolore florum commistu; non quod iis illecebris visus, olfactusq; capiatur; vtpote quũ

flores miros efflent odores, inenarrabilemque colorum varietatem repræsentent; sed sapientum curiosa solertia sciens in rerum natura antipathiam, nihilque esse sine pari, flores capiti circumponendo, cum hausti liberius meri vapor arcem sensuum obsederit, mitis aura florum naribus hausta succurrat, caputque ab ebrietate propugnaculi vice tueatur: nam si calida præditi sunt natura, spiracula, quibus vinosus euadat vapor, laxat; si vero frigidis floribus, violis, rosisque serta struantur, cranium refrigerant nimio plus vino iam calens, noxiosque halitus repellunt; quippe & sua vi adstringunt, & odore capitis grauitatem corrigunt. Quod ad compotantium commoditates inuentæ sint corollæ, nemo est qui nesciat. Ouidius;

Ebrius incinctis philyra conuiua capillis
Saltat; & imprudens vtitur arte meri.

Sed florum exempla adducamus, quibus data est ebrietatem propulsandi proprietas. Viola sua fulgenti purpura vini colorem ostentat: sua dote crapulam, & capitis grauedines, impositis corollis, olfactuue discutit, ex Plinio. Rosa etiam purpuræ colore rutilat, roseum vini colorem repræsentans, cuius vsus in corollis nimius, vt *rosalia* dicerent veteres;

Pingueſcat nimio madidus mihi canus amomo;
Laſſenturque roſis tempora ſubtilibus.

Hedera purpureis corymbis vinum æmulantibus, suis acinis præscriptis, à crapula tutos præstat. Tertulliano autore, caput ab heluco, hoc est pridiani cibi oscitantia, & semisomno defensat. Liber vini repertor, quum medicamentum suauissimum simul & vehemētissimum adinuenisset, fertur hederam suis viribus huic repugnantem in honorem ac pretium adduxisse; eaque coronari bacchantes edocuisse, quo minus vini noxam sentirent, hedera sua vi frigorifica temulentiam restinguente. Non ab re demiratur Ammonius apud Plutarchum in Symposiacis, hunc fruticem in corollis torqueri, quū suo frigore merum restinguere credatur. Ex hedera etiam poculum, *cyssibium* dictum in conuiuiis duplici ratione circumferebatur; & quod, vt diximus, vini temulentiam arceret, &

quod cauponum fraudes, qui vinum aqua miscent, eo vase deprehenderentur. Iridis flos peramœno purpuræ colore nitet, non solum vinolentiam discutit, sed dum estur, vt Africanus scribit, os vinum non obolet; quamuis copiosius hausturn fuerit. Brassica, quæ plus cæteris rubescit, expugnandæ ebrietati accommodatissima est, si ex illius cauliculis succus expressus deglutiatur. Amygdala purpureo flore est, vinique colorem imitatur: tribus vel quatuor amygdalis amaris præsumptis, vini noxa aufertur, ex Plinio. Narrat Plutarchus Chæroneus apud Drusum Tiberij Cæsaris filium quendam Medicum comessari solitum fuisse, qui omnes bibendi certamine prouocaret, neminique cedebat in vini potu; is tandem deprehensus est, antequam biberet, quina, senaue comesse amara amygdala, quo minus temulentia tentaretur: cum vero ea deuorare vetuissent, ne pauxillum quidem eiusmodi potu resistebat; quod idem Athenæus retulit secundo Dipnosophistarum volumine; sic de cerato, persico, & cornu putandum. Cæruleum eryngium Apuliæ nitidissimo purpuræ colore vidimus: præsumptum crapulam arcet. Myrti baccæ purpureæ sunt, & vinosæ: genus vnum inter cætera præsumptum, vinum, & crapulam arcet, quod feruefactum aliquantum, eius semine exprimitur; alias enim acorem contraheret. Granati vinum vere vinum imitatur; ebrietati confert, ex Auicenna. Crocum qui prius biberint, crapulam non sentiunt; ebrietati resistit: coronæ quoque ex eo mulcent ebrietatem, ex Plinio. Santalum rubrum vini colorem imitatur, immo scamnidici, qui vinum mentiuntur, ex illius rasura conficiunt; Auicenna crapulæ conuenire dixit. Non omittendum marinam vuam, quę colorem, & vuæ similitudinem satis perbelle mentitur, & botryones, in vino putrefacti, vini tædium afferunt iis qui inscij biberint, ex Plinio. Amethysti herbæ folium meracioris vini colorem æmulatur; hanc contra ebrietatem pollere aiunt. Plutarchus Symposiacorum tertio demonstrat baccharem somnos allicere, & ad placidam quietem potos perducere; causarique leuem auram, blandumque odoris effluuium; quo in temulentorum corporibus inæqualitates obortæ dis-

sipentur, conciliataque tranquillitate, crapula retundatur, excoquaturque; cuius flos in purpura candicat.

Animalia, quæ noctu vident, ad nyctalopiam valere;

CAP. XXVI.

SVMMA Dei bonitas ostendit nobis animalia, quæ noctu vident, ad luscioſos, & nyctalopas valere. Celsus Medicinæ tertio, de imbecillitate oculorum tradens, dicit; qui interdiu optime, noctu nil cernunt: quod in fœminis bene respondentibus menstruis non euenit, eos, qui eiusmodi morbos patiuntur, à Græcis *nyctalopas* vocari, à Latinis *luscioſos*. Nos animalia quæ interdiu fere nihil, noctu clarissime cernunt, ad luscioſos valere pronuntiamus: nam virtutem, & qualitatem eorum nobis communicantia faciunt vt noctu videamus. Sed quæ animalia sint, quæ interdiu parum, noctu satis cernant, cognoscamus. Scitote animalia, quæ cæca nascuntur, noctu vident; & quæ cæcis oculis nascuntur, ea sunt, quæ acutis vnguibus sunt. Sola inter quadrupedes aduncis vnguibus catulos videntes parit leæna, ex Democrito: quia imperfecti nascuntur, quod vterum matris vnguibus lacerent. Ex hoc falsam Philosophorum coniecturam pronuncio: nam si cæcos pareret animal filios, imperfectos ederet; sed in Natura nil nisi perfectissimum nascitur; sed cæcos hos partus ostendit nobis Natura, ea animalia ad nyctalopas valere. Capras non minus noctu cernere, quam interdiu tradit Plinius; immo oculi eorum in tenebris splendent, lucemque iaculantur: ideo si caprinum iecur comedant, restitui vespertinam aciem his, quos nyctalopas vocant. Dioscorides & Galenus: caprini iecoris inassati sanie decidens inuncta, luscioſis prodest; & dum coquitur, apertos oculos habeant, & eos vaporari iis præcipiunt; prodest & in cibo tostum. Celsus ait: Laborantes inungi oportet sanguine iocinoris, maxime hircini, sin minus caprini, vbi adassum coquitur, excepto; atque edi quoque ipsum ieiuno debet. Eiusdem generis oues sunt, noctuque vident, ob id ouium iecur nyctalopas sanat. Decocto quoque eius oculos abluere suadent, ex Plinio: efficacius quidem fuluæ ouis, Ouis candidæ etiam iecur discoctum

cum aqua madefactum, contritumque & superpositum nyctalopas curat, ex Marcello: nam qui candidos oculos habēt, noctu melius vident; ob id *candidæ* dixit Marcellus, non *fulvæ*, vt Plinius. Lupus nascitur cæcus: noctu videt, & vagatur. Oculi lupini splendent, lucemque iaculantur, Plinius, & Oppianus. Acerrimi, & acutissimi visus, vt nocte intempesta, vel Luna ipsa silente lucis vsura fruatur hinc: λυκόφως *crepusculum* appellatur, quum lucem ij solis Naturæ munere perceptam habeant. Lupino adipe fricare oculos contra lippitudinem prodest, ex Plinio. Lupi excrementis circumlini suffusos prodest; cinere eorum cum Attico melle inungi, Oppianus & Sextus. Oculus lupi dexter, si hominis dexter laborat; sinister, si sinister; glaucomata extenuat, & tollit signa, Sextus. Hyæna ex lupi genere, cum eo multa communia habens, grassatur noctu, noctuque insidias tendit, quum acrius tunc cernat, interdiu hallunicetur, ex Oppiano. Causam tradit Aphrodiseus cur hyæna noctu videat, interdiu fere nihil: glaucomata ionicoris recentis assatis sanie, cum despumato melle inuncta, sanari dicit Dioscorides. Hyænæ fel aciem oculorum exacuit, & caligines discutit, claritatem excitari melius inueterato medicamento, eiusdem sanari argemas, & subcruentas excrescentias in oculis. Mus cæcos filios parit, noctu furatur, interdiu latitat: murium capitum, caudarumque cinere ex melle inuncto, claritatem visui restitui dicunt, multumque magis gliris, aut muris silvestris cinere, ex Plinio: nam & glires cæcos pariunt filios. Vrsus cæcos parit catulos, noctuque vagatur. Horatius;

—*vespertinus q; circumagier vrsus ouile.*

Obscuritatem oculorum fel inunctū cum hyænæ, & diu exagitatum eximit, ex Marcello. Vulpes cæcos parit filios; noctuque vagatur: vulpinam linguam habentes in armilla, lippituros negat Plinius: albuginis detergendæ efficax remedium; si viuam capies, eiusq; linguam præcides, ipsamq; viuā dimittes, linguam arefactam phœnicio ligabis, & collo suspendes, ex Marcello. Noctua inter aues vncūgues & carniuoras nō parit cæcos, propterea eius oculis insita vis, quę tenebras penetret,

& Luna etiam silente videat; noctua dicta, quod noctu videat. Varinus & Eustathius ob nimis siccum & tenuem oculi humorem, interdiu obcæcari, in tenebris visu valere dicunt. Noctuæ maris cerebrum in collyrio adhibitum, aufert prauitatem videndi de nocte, ex Rhase. Vlula eiusdem speciei; vlulæ fel prædicatur ad albugines, suffusiones & caligines: & adeps ad claritatem, ex Plinio. Vespertilio nomen à vespere habet, quo videt. Ouidius;

Tectaque non siluas celebrant, noctémque perosæ,
Nocte volant; seroque tenent à vespere nomen.

Cinis vespertilionis acuit visum, ex Auicenna, & cum melle medetur suffusioni. Bubo hebes, vt cæteræ nocturnæ aues, deserta colit, dira & inaccessa, noctis monstrum: bubonis oculorum cinis collyrio oculis claritatem facere promittit Plinius. Catus cæcos parit filios; oculi in tenebris effulgent, radiantque, & tam acute cernunt, vt in cauernis etiam tenebrosis, tanquam in luce, omne conspiciant: oculorum vitia sanat, restituitque visum etiam post anni cæcitatem: capite cati nigri in olla vsto, eiusque cinere per canalem penæ in oculos sufflato: remedio ad Hippocratem relato. Hirundo cæcos parit filios ex omnibus, quibus numerosus partus, ex Plinio; noctu vigilat, & dimidium somnum perficit, ex Æliano: ophthalmiam sanat, & oculorum vitia eius cerebrum ex Plinio, & Galeno. Auium nonnullæ imperfectos, & cæcos pariunt filios, scilicet quæ paruæ corpore, multos filios progenerant, vt pici; esus assiduus suorum pullorum, visum auget ex Plinio, sic vt nyctalopiæ medeatur; spiritus reparat visiuos, & obscuritatem tollit, ex Gordonio, & aliis. Castor noctu progreditur è latibulo; castoreum claritati oculorum plurimum valet, cum melle Attico inunctum, ex Plinio. Ranæ noctu vagantur, mares cantu fœminas ad coitum inuitãt; quas vbi allexere, noctu in continuum exspectant coire; quippe in aquis non possunt, & noctu cum magna securitate complexibus indulgent, cum interdiu ob metum non volunt, ex Plutarcho. Flagrant tantisper oculi lucernæ modo: echinum comburi cum viperinis pellibus, raniscque & cinere

ſpergi potioni iubent Magi Pliniani, claritatem viſus pronittentes. Cancri noctu vagantur; marinæ teſtudines etiam noctu egrediuntur; quum in aqua nunquam dormiant, oculi longe lateque fulgorem iaculantur; quarum pupillæ candidiſſimæ & lucidiſſimæ quum exiſtant, eruuntur, vt vel auro includantur, vel monilibus imponantur, ex Æliano; fel teſtudinum oculorum claritatem facit; cum melle inunctum ſuffuſiones, & omnia oculorum vitia ſanat, ex Plinio, Galeno, & Aſclepiade. Vranoſcopus piſcis, à Græcis καλλιώνυμος, quaſi pulchri nominis piſcis: Oppianus ἡμεροκοίτῃ appellat, quod noctu vigil, interdiu dormiat prædæ quærendæ cauſa; ob id etiam νυκτερὶς vocatur. Oppianus de eo canens;

Stultitia inſignem memorabimus hemerocœtem,
Segnitieq; omnes ſuperantem, quos creat æquor.
—dies totos fulua proſtratus arena
Dormit, noctu autem vigilat, ſolusq; vagatur;
Nycterida hinc etiam appellant.

Animalium quorundam ſingulariter bilis à Medicis laudatur, tanquam aciem exacuant oculorum, & ſuffuſionum initia digerant, veluti piſcis, quem vocant *callyonimum*, hyænæ, & ſcorpii marini, Dioſcorides, Galenus, cæterique.

Acuti viſus animalia ad oculorum claritatem valere;

CAP. XXVII.

SIc acuti viſus animalia, oculorum vitiis medentur, valentque nobis ad rectam aciem clarificandam. Diximus animalia, quæ cæcos parieba-t filios; nunc quæ apertis oculis naſcuntur; vt demonſtret nobis Natura ad claritatem, & oculorum vitia valere. Exempla hæc ad comprobandum noſtrum propoſitum aduocabimus. Leæna ſolum parit animal oculis apertis. Plutarchus in Sympoſiacis: inter quadrupeda, quæ vncos vngues habent, ſic etiam Democritus dixit, diu venatur, non noctu; acutiſſimi viſus eſt, dicta παρὰ τὸ λεύσσειν, ob excellentem viſum, Porphyrio autore; & Homerus σμερδαλέῳ ἠὲ λέοντι, quod ſplendere ſignificat; λάω Græcis *video*, vnde leoni nomen; quod acie oculorum præ cæteris animalibus valeat, vt ſcribit Manethon in libro ad Herodotum. Ipſe

somnos numquam admittit, sed patentibus oculis somno fruitur videtur: fel eius aqua addit claritatem oculis inunctum, ex Plinio; Galenus cum melle albugines delere dixit. Lepus, non vt magna fissipedum pars, partum cæcum edit. Plutarchus sensoriorum excellentia, vt visus, maxime præstare dixit. Ælianus noctu cibum capere dixit, Xenophon videndi acie minime esse acuta; Pollux lepori oculos esse indefessos; nam dormit apertis oculis, vigilat clausis; immo cum cætera membra somnum capiunt, interea tantum oculi vident; leporis fel melle inunctum clarificat visum. Aquila apertis oculis pullos excludit, immo exclusos contra Solis radios opponit; maxima videndi acie valet: inter aues oculorum acie acutissima principatum sibi vendicat, ex Aphrodiseo; est enim tanti obtutus, vtcunque super maria immobili penna feratur, nec hominum pateat obtutibus; de tanta sublimitate piscículos natare videt, & instar tormenti descendens, raptam prædam pedibus ad littus trahit. Contra Solis radios suum obtutum non flectit; & pullos suos vngue suspensos Solis radiis obiicit, non conniuentem pro genuino agnoscit; qui vero flexerit obtutum, tanquam degener, proiicit è nido, Aristoteles, Ælianus, & Oppianus: Fel aquilæ admisceri ocularibus medicamentis Galenus tradidit. Plinius aquilarum fel si vnà cum Attico melle inungatur, qui hebescunt oculi, plane visum recuperabit, redditque oculos acutissimos: idem de cerebro produnt. Accipiter quasi minor aquila, apertis oculis nascitur. Ægyptij Apollini sacrum habent; quia cum Apolline in multis conuenit; quod de auibus soli accipitres semper nullo negotio Solis radios intuentur, neque intentis oculis sursum, neque iter suscipere grauantur, nec diuina flamma offenduntur: ἱέραξ ἱέρωνται ἡλίῳ Ἀπόλλωνι: id est, *accipiter sacer est Soli Apollini*: quapropter ob oculorum splendorem Soli etiam sacer videri potest. Apollinem quidem ipsum in accipitrem aliquando mutatum, & Deucalionem ab eo in eandem auem mutatum innuunt Varinus & Eustathius in Homerum. Refert Porphyrius veteres appellasse Solem lacertam, leonem, draconem, & accipitrem. Ægyptij Osiridem

æpe accipitris forma exprimunt, quod excellat hæc auis acie videndi, ex Plutarcho libro De Iside & Osiride: accipiter decoctus in rosaceo, efficacissimus est ad inunctiones omnium in oculis vitiorum, ex Plinio. Miluus, vt accipiter, nascitur ex accipitrum genere, magnitudine sola differt: Politianus miluinos oculos pro acutissimis ponit. Milui iecur ad omnium oculorum vitiorum inunctiones laudatur, ex Plinio. Vultures medij sunt inter miluos, & aquilas: ex omnibus animalibus miluus perspicacissimi visus est, vt qui Oriente quidem Sole in Occidentem; ex Occidente vero in Orientem prospiciat; atque è longissimo interuallo quæ sibi vsui sunt, comparat edulia: quamobrem Ægyptij aspectus significantes, vulturem pingunt, ex Oro. Ad eadem valet, quæ aquila, ex Æsculapio: luscioſus vescatur milui iecore assato, eoque illinatur, ex Archigene apud Galenum; & ad omnia oculorum vitia, ex Sereno, Marcello, & aliis. Serpens apertis nascitur oculis: nam illico ex ouo excluſus ambulat, & videt sicut lacerta; acuti visus est: & *dracones* Græco verbo dicuntur à δέρκω, id est, *aspicio*: & diximus Apollinem draconem vocari à visus acutie. Horatius ad id in Sermonibus;

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Vipereæ carnes si coctæ edantur, claritatem oculis afferunt, ex Dioscoride. Crocodili in terra excludunt, simul ac primum niti possunt, aquam prosequuntur, licet in aquis cæcus, extra perspicacissimus; ex Herodoto, & Aristotele. Ante omne reliquum corpus oculi eius ex profundo aquæ emergunt, ob id Ægyptij solis ortum significantes, geminum oculum crocodili, & occasum significantes, capite inclinato pingunt: eius sanguis claritatem visus inunctis donat, & hebetudines sanat, ex Plinio. Ranæ ex ouis excluſæ oculis insignes sunt: cuius cinerem ad oculorum claritatem valere diximus. Pisces sine palpebris nascuntur: ad oculorum vitia valere monstrantur: ob id omnium fel ad oculos valet, vt coracis, scorpij, hirundinis, vranoscopij, mulli, raiæ, galei, & in aphiis non nisi oculi conspiciuntur.

Animalia, quibus oculi excæcantur, & denuò renascuntur, ad vlcera, & oculorum cicatrices valere; CAP. XXVIII.

EST quorundam animalium proprietas, vt confossis oculis, denuo renascantur; id nobis prouida rerum Natura demonstrauit, vt ad nostrorum oculorum cicatrices, ictus, & vlcera eorum sanguinem opem præstare posse non ignoremus. Id Celsus suo Medicinæ libro indicauit, inquiens: Si extrinsecus interdum ictus oculorum læserit, aut sanguis in eo suffundatur, nil commodius est, quam sanguine columbi, palumbi, vel hirundinis perungere: neque id sine causa fit, cum earum acies extrinsecus læsa, interposito tempore in antiquum statum redeat, celerrimeque hirundinis: vnde etiam locus fabulæ factus est, per parentes id herba restitui, quod per senescit; eorum ergo sanguis nostros quoque oculos ab externo casu commodissime tuetur, hoc ordine, vt sit hirundinis primus, deinde palumbi; minime efficax columbæ illi, & ipsi, & nobis. Pullorum hirundinum adhuc recentium oculos, si quis stimulo eos vexarit, renasci, & cernendi vim postea recipere, ex Aristotele sexto Historiarum habemus. Falsum est ergo pullis oculis captis chelidonia herba per matres adlata claritatem visus restitui posse. Dioscorides: Hirundines, vt ficedulæ in cibo acuti visus medicamentum præbent; Ælianus ad oculorum medicamenta viuas hirundines cremari iubet. Hirundinum pulli plena Luna excæcantur, restitutaque eorum acie, capita comburuntur; horum cinere cum melle vtantur ad claritatem, ad dolores, lippitudines & ictus. Sed Aristoteles quarto De Generatione animalium volumine, statim quum de quibusdam animalibus egerit, quæ cæcos excludunt pullos, subiecit: Quamobrem si quis nuper in lucem editarum hirundinum oculos pungat, visus incolumes reddantur: negatque per matrem oculis pullorum restitui visum, quum hæc naturæ decretis aduersentur; quæ sanxit, orbos in priorem habitum non regredi, sed perfectis tantũ. Iis vero quæ fiunt, si læsum fuerit aliquid, id oriri denuo potest, iacturaque partium alicuius potest resarciri, quum genitalis facultas lege Naturæ inchoatum opus

adhuc absoluens non euanuerit; sed delineationis fungens munere, nacta materiam, denuo restaurare potest; nam exclusi hirundinum pulli non vident, imperfectique eduntur in lucem; quæ dum oculis nondum absolutis adhuc insideat genitalis aura, punctos, erutosque potest reparare. Sed hoc mihi falsum videtur, quod solis aliquibus animalibus data est facultas, proprio Naturæ munere, vt mortalibus demonstraretur, quod ad oculi vulnera, & rupras tunicas conferre possint. Palumbus post hirundinem ex Celso sequitur: ad ictus oculi palumbi sanguis, & oculis cruore suffusis, luscioſis ex Dioscoride, illinitur. Columba oculorum suffusionibus, luscioſis, recentibusque vulneribus suo sanguine præualet, ex eodem: nam sub ala ad hunc vsum incilitur; quoniam suo calore vtilior est; superimponi oportet spenium è melle decoctum, lanamque succidam ex oleo, aut vno, Plinius, Sextus, & Marcellus, sed Galenus hyposphagmata. Quum enim oculis illatæ sunt plagæ, oboriuntur ex eis cruentæ suffusiones statim in principio; tunc ad dolorem compescendum facit sanguis columbinus instillatus, præsertim iis, qui extremis plumis exprimitur. Turtur etsi à quopiam non describatur, quum ex eodem genere sit, facile ei confossi oculi resanari possunt: & eius sanguis ad eadem valet. Plinius turturis sanguinem oculis cruore suffusis eximiæ prodesse scribit; & Marcellus ad oculos ictu cruentos. Sed alia ex iis, quæ Celsus scribit, cognouimus experimenta, & fortasse potiora ad eosdem effectus: nam lacertæ oculi etiam resanantur. Leginus quippe in Æliano hanc historiam (non hic antiquorum multis testimoniis opus est) Quum quidam lacertam magnam, & optimam comprehendisset, atque stilo excæcasset, eandemque in fictilem ollam recentem vtrinque eatenus exiguis foraminibus pertusam posuisset, vt ne spirare sera prohibetur. Idem ferreum annulum, quum esset gagatis lapidis, & nouem signa impressa posuisset, quorum quotidie vnum deleret, post vbi nono signo sublato, ollam recluſisset, lacertam vidimus oculorum visum recepisse, quod non ex amici superstitione, sed ex sua proprietate euenire cognouimus; quippe

quum lacertæ senectute oculi excæcantur, intrant in parietis foramen contra Orientem, ad ortum Solis intendentes, & illuminantur. Ex Isidoro etiam id affertur, cuius cinerem ad caligines cum melle acriter valere dixit Plinius: sanguis eius ad visum, ex Auicenna; & cerebrum ad suffusiones valet. Lacertus, inquit Plinius, pluribus modis ad oculorum medicamẽta venit. Aliqui enim viridem indunt nouo fictili, ac lapillos, quos vocant *cinœdia*, qui inguinum tumoribus alligari solent, nouẽ signaculis signantes, & singulos detrahunt per dies, nono emittunt lacertam, lapillos seruant ad oculorum dolores. Alij terram substernũt lacertæ viridi excæcatæ, & viuam vitreo vase includunt ex ferreo solido, vel auro; quum recepisse visum lacertam apparuerit, per vitrum emissa, & annulis contra lippitudinem vtuntur. Quidam viridem longo collo in sabuletis nascentem comburũt, & incipientem epiphoram inungũt, item glaucomata. Marcellus addit aliqua. Lacertam viridem excæcatam acu cuprea, in vas vitreum mitte, cum aureis annulis argẽteis, ferreis, electrinis, si fuerint, aut etiam cupreis, denum gypsabis, aut claudes diligenter, atque signabis; & post quintam aut septimam diem aperies, lacertamque sanis luminibus inuenies, quam viuam dimittes; annulis ad lippitudinem ita vteris, vt non solum digitis gestentur, sed etiam oculis crebrius applicentur, vt per foramen annuli visus transmittatur, obseruandum in loco nitido & herbido; deponitur ampulla, & cum lacerta discesserit, tunc annuli colligantur. Obseruandum etiam cum Luna vetere, id est nonadecima in vigesimam quintam, Septembri mense, quod remedium quandiu tecum habueris, oculi non dolebunt. Restituitur etiam crocodilo visus. In aqua enim hebes est, extra perspicacissimi visus, Aristoteles, & Plinius ex eo, & Aristoteles ab Herodoto, qui crocodilum intra aquam cæcũ dicunt. Faba est in Ægypto spinoso caule, qua de causa crocodili oculos ferit, quum sæpius fabæ spinosæ occurrat, nisi ex propria oculi natura resanarentur, imperfectũ esset à Natura creatũ id animal. Plinius aquatici crocodili sanguis claritatem visus inunctis donat, & cicatrices oculorum emendat. Vtriusque

crocodili terrestris, & aquatici sanguis visum sanat, & cicatrices emendat. Crocodilea ab eodem describitur, & fimum crocodili ad oculorum vitia, suffusiones, & caligines & collyria valere à Tralliano describitur. Lacerti species stellio est, cuius sanguis, vel stercus ad oculorum hebetudines, & caligines valet. Sunt & serpentes è lacertorũ genere, & si illis oculi eruerentur, fortasse hoc modo restituerentur; in extrema senecta hebescunt, fœniculo restituuntur. ad oculorum aciem valent, ex Dioscoride, & aliis vt diximus. Viperæ totius cinis, siuæ tota in vas nouum fictile coniecta fuerit, additis fœniculi vnciis duabus, & thuris grano, deinde cooperto argilla circumlita testa, & fornace combusta, oculorum lippitudines, & albugines pariter illinit, adhibitis collyriis, aut per se tantum. Anguium adeps sanguini mistus ruptas tunicularum partes sanat, & membrana suæ senectæ cum earum terra, si adfuerit, claritatem facit. Mustelæ oculis punctim erutis, excæcatisque, eadem quæ in lacertis, anulis faciunt: eiusdemque cinere ad suffusiones vtuntur.

Plantæ, quæ aliorum viscerum similitudines referunt, iis medentur;

CAP. XXIX.

SVNT & plantarum aliæ partes, quæ internos partium morbos ostendunt, ad eosdem valent. Papauer spumeum herbula est tota alba & spumea tota, demonstrat spumas ex ore fluentes comitialem morbum patientium: Dioscorides mederi comitialibus dixit. Saponaria manibus agitata, multam affert spumam, fortasse ad idem valet; sed nondum exploratæ virtutis. Hippoglossum alterum folium gerit maxime acutum, non sine maximo aspicientium miraculo, & Naturæ raritate: ad laterum puncturas valere neotericorum constat experimento. Quercus inter alia excrescentia fert gallam, quæ lienis fibras sua similitudine imitatur, cuius cinis ex aceto potus, lienem consumit, ex Plinio. Cancer sua forma pectus ostendit, pectoris infirmitati medetur: ob id decoctus, & esitatus ei prodest, qui tabe conficitur, ex Dioscoride. Testudo idem ostendit: Leonellus Fauentinus ad phthisicorum remedia carnem testudinis admiscet.

Plantarum, vel animalium partes, quæ lapidum durities vel ipsos ostendunt, ad calculos valere, CAP. XXX.

MVLTIFARIAM, multisque modis ostendunt plantæ quomodo calculorum cruciatibus, & carnificinis occurri possit, duritiem demonstrando in seminibus, vel similitudinem illius, ita & in animalibus lapides, vel eorum imagines oboriuntur. Ad exempla conuocabimus lithospermon; ex semine nomen accepit, illud proferens lapidea duritié; quod calculos frangit. Plinius nec quicquam inter herbas maiori miraculo aspexit, tantus est decor, velut artificum arte alternis inter folia candicantibus margaritis, tam exquisita difficultas lapidis ex herba nascentis: iis lapillis drachmæ pondere potis in vino albo, calculos frangi, pellique constat. Lachryma Ioppea semen siliceum affert, lithospermo affabre quidem consimile, immo pertinacius, medio pertusis, & filo traiectis preces computamus: est quoque ad calculos renum, & vesicæ saburram, polline & decocto vulgatum præsidium. Nascuntur & in medio frondium ruscibaccæ, osseo intus nucleo: ad renum dolores, & difficilis vrinæ, valet semen in vino potum: aut aceto calculos frangit. Quercus lapillos magna ex parte gignit, dicit Theophrastus, & Plinius ab eo. Quercus aliquando & pumices gignit: argumento nobis esse possunt, quod ad eximendos calculos clare valent. Sunt & lapilli, vel pilulæ in radicibus plantarum alligatæ, dependentesque, quæ ad calculos etiam valere demonstrat similitudo ipsarum. Cyperi radices oleis similes, ad calculos valent. Thrasi eius species. Canini graminis species subtus bulbosa, pluribus globulis dependentibus, ad expellennos calculos vtiles. Pæoniæ fœmina suis granis calculos eijcit. Saxifragiæ genus, cuius radices in globulos diuiduntur, ad idem valent. Oenanthe ad renum calculos neotericorum experimento. Mespili ossa durissima, præstant ad idem. In capite multorum piscium lapilli sunt, qui ad frangendos calculos valent. In capite luporum, canthari, coracini, vmbriæ, lari, mænæ, scorpionis (etsi Plinius in cauda dicat) cephali, cestri, mustelæ, tincæ: Cammari in capite etiam lapillos habent

23

rotun-

rotundos, quibus vtuntur Medici ad calculos expellendos; sic etiam cancri, astaci, & etiam lapides, qui in spongiis reperiuntur. Tradunt onagrum calculum facere, quem quum interficiatur, reddere vrinam liquidiorem initio, sed in terram spissantem se; est autem rarus inuentu, nec ex omni onagro, sed celebri remedio, ex Plinio: cuius vrina lapidem in vesica frangit, ex Galeno, & Auicenna. In iecore apri inueniuntur lapilli, sicut in vulgari sue, duritie lapillis similes, candidi, quibus contritis, & in vino potis calculos pelli aiunt ex Plinio. Lynx occultat in terram vrinam suam, quæ vbi concreuit, ac conglutinatur, lapis efficitur, ad muliebre mundum expetitus; ex Theophrasto, Diocle, Æliano, & Plinio vesicæ calculos eo poto elidi. Ouidius;

Victa racemifero lyncas dedit India Baccho,
E quibus (vt memorant) quidquid vesica remisit,
Vertitur in lapides, & congelat aere tacto.

Cuius vrina, siue succinum præstat ad calculos. Allectorius gemma in ventriculis gallinaceorum inuenitur, fabæ magnitudine, crystallina specie, ex Plinio; & inter remedia calculi lapillorum meminit, qui in gallorum vesica reperiuntur. Sed puto mendum in textu, quum aues vesica careant. Recentiores quidam in gallo castrato. Gallus castratus quinto, vel septimo anno lapidem creat alectorium nomine, Dioscorides in ventre dixit, Albertus in capite: ab amico in ventre repertum audiui. Dicunt in capite rubetæ reperiri lapillum, quem eximi panno puniceo; dicuntque ad calculos valere. Ego nunquam inuenire potui, sed quos dicunt rubetæ esse, & *crapodinos* dici, in mineris nasci vidi. Iudaicus lapis glandis effigie, maxima duritie insignis, calculos in vesica comminuit ex Dioscoride. Lapides in spongiis reperiuntur, qui vesicæ calculos, in vino poti, rumpunt. In iecore apri inueniuntur lapilli, sicuti in vulgari sue, aut duritie lapillis similes, candidi, quibus contritis, & vino potis calculos pelli aiunt, ex Plinio.

Loquacia animalia colo medentur. CAP. XXXI.

LOQVACIA animalia colicæ passioni non obnoxia, vt etiàm loquaces homines, nimia enim garrulitate flatus, ex quo sæpe morbus exoritur, eximitur; nobis igitur eorum imprimentes qualitatem, eiusmodi morbum tollunt. Turtur loquacissima est, nec solum ore, sed posterioribus partibus cantando pedit. Turturibus proprius est alui crepitus, & prouerbio fertur in eos, qui loquaces sunt, *Hic turture loquacior.* Menander huius prouerbij mentionem facit in comœdia, quæ inscribitur *Plotius*, atque eiusdem etiam Democritus in Dramatico opere, quod *Siciliam* inscripsit, meminit postica corporis parte clamare, ex Æliano. Aetius turtures & palumbos colicis conuenire dixit. Palumbus vere gemit, hieme multis diebus, & solstitij tempore. Cicada obstrepera, & assidue vocalis, clamando disrumpitur: Dioscorides & Galenus cicadas colicis edendas propinarunt. Carduelis multum canit: assa, vel in cibo sumpta, iliacos, & colicos perfecte curat. Alauda vocis modulatione mirifice delectat, caueis inclusa, captiuitatis oblita, vix diei horam sine cantu præterit: alaudam ad colicos valere ex Dioscoride, Galeno, Aetio, & omnibus diximus. Hirundo garrula est, colicis fert opem, ex Marcello. Merula noctu, diuque modulatur; in cibo torminosis prodest, & sic de cæteris.

IO. BAPTISTÆ PORTÆ NEAPOLITANI PHYTOGNOMONICORVM

LIBER VI.

PROOEMIVM.

EXPLICATIS *iam plantarum similitudinibus, quæ arguto Naturæ opere, hominum & animalium partes exprimebant; superest eas similitudines explicare, quæ ab actionibus oriuntur; mox ad mores progrediemur, vt partitionem, quam ab initio proposuimus, examussim exsequamur. Sed actiones, non vt Medici, aut Philosophi vocamus: nam, Theophrasto auctore, scimus plantas actionibus carere, sed vocamus actiones, nascendi, generandi, crescendi, pariendique modum, & quo amore se prosequantur, horreant, & se inuicem alliciant, tempora obseruando, quibus nascuntur, aliasque similes actiones, ex quibus sedulus Phytopta multa poterit augurari Naturæ secreta. Nil enim temere, aut frustra in plantarum familia confictum est, sed rato modo, ordinatis causis, accurato numero, tempore, & loco opportunis. Ab initio igitur ortum, incrementum, & fructificandi modum intuebimur, vt suis meris, verisq; similitudinibus, quibus operantur, suarum facultatum admoneamur. Et primo à semine incipiemus.*

Steriles plantas steriles homines reddere;

CAP. I.

PLANTÆ omnes certis anni temporibus silent, certis deinde in caules inolescunt, tandem in flores, & fructus

exeunt. Semen est finis, & postremum illud, ad quod destinatur planta: ad sui generis propagationem. Theophrastus appellat semen perfectissimum Naturæ munus: non prius ostendit flores, quam caules eliciat, nec prius in flores exit, quam suo fœtu prægnans partus gestiat. Quum semen proritat, riget humana virga; semen latura planta caulem erigit, vtpote quæ non nisi seminis causa caulem promat. Flos mulierum menstruis respondet: non concipiet mulier, nisi menstruum apparuerit, fœcunditatis argumentum; sic nec semen ostendit planta, nisi florum præludia apparuerint, quibus futurus partus præsagitur. Aristoteles in Problematis: stirpes ad semen tantummodo viuunt, & cum semen tulerint, exarescunt. Omne olerum genus post fœturam arescit: cætera etsi primo anno semen ferre non possint, post latum semen intereunt. Ob id Natura semina tantis munimentis, & inuolucris texit ab animalium morsibus & à tempestatibus ne putrescerent. Ait Alexander Aphrodiseus: Natura cum seminum ortum, viceseque succedendi perpetuas molitur; protegenda, occultandaque semina, quæ ortum præstarent, censuit. Ad summam, propria plantarum munia sunt, sementigera esse. Sed permultæ sunt herbæ, quæ nullo seminio fruuntur, sed à fertilium choro exploduntur. Theophrastus ait, aliæ frugiferæ sunt, aliæ steriles, aliæ folia ad vsque tantummodo veniunt, aliæ caulem, & florem attollunt; sed fructum nullum pollicentur, nisi aliquid sine flore frugiferum sit. Felices arbores Cato dixit, quæ fructum ferunt; infelices, quæ non ferunt: Plinius infelices existimari, damnataque religione, quæ neque seruntur vnquam, neque fructum ferunt. Flos arborum gaudium est, sed hoc negatum plerisque: namque nec omnes florent, sed sunt & tristes quædam, quæ non sentiunt gaudia annorum, nec flore exhilarantur, natalesue pomorum recursus annuos versicolori nuntio promittunt. Sed Dij boni vnde hoc est, quod hæc mirabilia ex Naturæ officina prodire videntur, vt multis arboribus sors, natiuaque conditio sine caule, & flore sit, & semine? Hæc aduersantur iis, quæ supra à nobis dicta sunt, plantas ad concipiendos, alendos,

tutandoſque fructus productas eſſe. Eſt igitur imperfecta Natura, vt fruſtratæ operæ arguatur; vel à ſuo deſiſtit munere; Sed ſcitote; nil rerum ipſa mater, eademque parens Natura ſine maxima ratione facit, immo vbi manca & irrita videtur, ibi magnificentior, & admirabilior exiſtit; portento, hoc, & paradoxo ad ſua opera contemplanda, veſtigandaque mortales admonet; nam plantas illas ſpadonias, ſiue eunuchias fecit, vt conciperemus ad atocia, ad partus intercipiendos, & ad ſterilitatem valere, vt turpi illo dehoneſtamento homines ab eorum vſu, & eſu auerteret. Diximus iam in humana Phyſiognomonia, gibbos, cæcos, eunuchos, & claudos perditis, fugiendiſque moribus obnoxios; & quanto nobiliora erant membra, quibus homo deficiebat, vt circa caput, cor, & genitalia eo inhoneſtiores mores denunciare: ſic & in iis partibus deficiens Natura in plantis, in quibus generationis data eſt facultas, inter cæteras maxime neceſſarias, peſſima nobis ſpondet, vtpote ſterilitates, & abortus. Sed ſi naſutulo alicui minus ſatis hæc noſtra Phytognomonica facient, ſed ad decantatas qualitatum cauſas reducere concupierit; ſciat plantas propria, vel loci genio ſiccitate, minus caules, flores, & fructus producturas. Diximus ſilueſtres plantas, vrbanis ſicciores, minus fœcundas eſſe, & parcius fructificare: & lapidoſa, & exſucca loca, vel ſteriles, vel paucioris fructus plantas, ex alimenti paucitate producere, quia humoris indiga, nec concaua loca ex humoris vbertate fructuoſiora; at quæ natura ſicca ſunt, deſiccare ſemen & ſterile reddere docent Medicorum dogmata. Sed ad exempla accedamus. Ibicus Pythagoricæ familiæ Philoſophus auctor eſt, lactucam ex caule, quæ in latum diffunditur, *eunuchion* dici, quaſi ſpadoniam, & à mulieribus *aſtylida*; quod hæc maxime non modo fœcunditatem minuat, ſed ſi quos ſuſtulerit filios, ineptos, & amentes, & progenitorum ingenio degenerantes, progignat; & qui hoc olere continuo veſcantur, pigerrimos ad coitum fieri, vt in eis emarceſcat Veneris alacritas. Nicander Colophonius ſcriptum reliquit, Adonidem Myrrhæ filium, cum eam deuoraſſet, ab apro

fuisse interemptum. Addit Callimachus Venerem eum sub lactuca condidisse : quibus verborum inuolucris innuunt Poetæ, quod eius vsus maxime refragetur Veneri. Adijcit Cratinus Phaona inter lactucas absconditum ab amante Venere. Quare Eubolus graui conuitio coniugem incessebat, quæ mensis lactucam obtulisset; ideoque feralibus epulis dicata. Filices, mas & fœmina, flore, semine, & colibus deficiuntur, & veluti tristes mero folio contentæ sunt: neutra danda grauidis; nam abortum inferunt: si cæteris, in totum steriles redduntur: earum vires Natura sterilitati addidisse putatur. Theophrasti auctoritate; immo quæ eas supergradiuntur, abortiuntur. Hemionidem, siue dicas, *mulariam*, quod ea plurimum delectentur mulæ, malim tamen dictam à sterilitate; caulis, floris, & seminis expers fœminas sterilescere, dixit idem, quæ hanc in cibum absumpserint admistis mulæ vngula, & semine. Onosma sine caule, semine, & flore. Folia in vino pota partus extrahunt, prægnans si super eam gradiatur, abortum facere dixit Dioscorides. Asplenum, siue scolopendrium, neque caulem, neque frondem, neque semen habet, conceptum adimere creditur per se, aut cum liene mulæ appensa, ex eodem: ad quem vsum illuni nocte effodiendam præcipit, vtpote luminis orbata, homines etiam orbaret prole. Dictamnum sine semine, & flore, non potum modo, sed appositum defunctos partus eijcit, ex eodem; & adeò præclarè operatur, vt ne in cubiculum quidem prægnantium afferatur: nam & suffitu valet. Sabina altera flore, & fructu vacat, viuentem fœtum trucidat, & mortuum eijcit, & hac noxa omnibus infamis, & damnata est: idem apsitam, & suffitu partus extrahere dixit. Epimetron flore penitus carere Theophrastus credidit, neque florem, neque fructum ferre Dioscorides tradidit; cuius radix conceptum perdit, potaque concipiendi vim intercidit, cauenda fœminis. Adianton semine, flore, & caule vacat; tricomanes cum eâdem effectu pari, nec digna commentatione: secundas cit, & calculos conterit, paulominus, quam partum interimat. Cedri duo genera; quæ floret, sterilis est; quæ fructifera,

non floret, ex Theophrasto: peruncto ante coitum genitali, concipiendi vim adimit, ex Dioscoride. Nec iuniperi florent: quidam earum duo genera tradunt, alterum florere, nec ferre. Sed falsum, omnibus iis dura facies semper, sic & hominum fortuna sine flore est: cui eadem virtus, quæ cedro, ex Plinio. Myricam, quam *tamaricem* vocat Lenæus, vulgus *infelicem arborem* appellat, quoniam nil ferat, nec seratur vnquam: si bouis castrati vrinæ admisceatur, vel in potu, vel in cibo, Venerem finit, carboque ex eo genere, vrina ea restinctus, in vmbra conditur: eàdem, cum libeat accendere, resoluitur. Magi & id spadonis vrina fieri tradiderunt, ex Plinio, & alibi. Quæ Lais, & Elephantis inter se contraria prodidere de abortiuis, carbone è radice brassicæ, vel tamaricis, in menstruali sanguine extincto. Struthios, siue radicula semen non affert, ex Plinio: partus in vtero perimit, ex Dioscoride. Hederæ species vna infrugifera est, ex Theophrasto, *helix* dicta Dioscoridi: corymbi poti conceptionem impediunt, pediculus vuluæ inditus, partus extrahit. Mandragoræ caulibus orbatæ sunt, flores namque in gracilibus pediculis dependent: subditæ partus expellunt, ex eodem. Cyclaminus etiam flores in cauliculis affert sine caule: appensa partum accelerat, medicamentis abortum inferentibus admiscetur, fœtus eiicit si prægnantes radices transgrediantur, adeo conceptui perimendo valida iudicatur. Ociſſime salix amittit semen, antequam omnino maturitatem sentiat, ob id ab Homero dicta ὀλεσίκαρπος, id est, *frugiperda*, vel *seminiperda*; nam fructum fert abeuntem in araneam, antequam percoquatur; sequuta ætas interpretatur scelere suo hanc sententiam; quando semen salicis mulieris sterilitati medicamentum esse constat: nam ex aqua sumpta, concipiendi
39 spem aufert, & intemperantiam libidinis coercet, atque sæpius sumpta, in totum aufert vsum, ex Plinio. Populum idem fructum non ferre dixit, etsi vuas proferat; Theophrastus vtramq; florere dixit: Dioscorides sterilitatem inducere tradidit, si cum mulino rene bibatur: sed vere in oblongis pediculis racematim hærent acinuli, qui vbi maturuerint, in pappos

abeunt. Cupressus fœmina est sterilis, meta in fastigium conuoluta; Theophrastus obscurum semen mari tradidit, Varro exiguum. In Arcadia παρθένον vocant, id est, virginem, quod steriles reddat: succo est amarissimo, vt cedrus, & sabina, & eiusdem fere generis. Est inter species lauri *triumphalis* dicta, Plinio sterilis; ob à quibusdam mas dicta; hac legimus triumphantes vsos, è Cæsare Augusto reiecta Delphica, hanc sterilem perhibent, quæ missa sit à cœlo eidem Cæsari, ab aliis *spadonia* dicta, mira opacitatis patientia: grauidis radices cauendas monet Dioscorides, quod enecent partus. Sementhymi fallit, nec potest deprehendi, se floribus quodammodo permiscens; scribit Theophrastus florem seri, & thymum nasci: Dioscorides enectos partus, secundasque pellere dixit. Mentham semine carere putat Theophrastus: nam exsiccata tritaque, nunquam semen apparuit, sed flores ferunt: Aristoteles genituram absumere dixit Problematum libro: lac coire, densarique non patitur. Mintham nimpham fuisse Cocyti filiam dicunt, quæ vbi inaudiuisset amari à Plutone Proserpinam, indignata eo nomine, constanter illi se præponere ausa est, dicens; si inferos peteret, inimiciter infestaturam: quo puellæ tumore commotior Ceres, Persephones mater, Mintham exculcans, in mentham, id est, malam herbam deformauit. Strabo eius commeminit; hoc nomine innuentes, ante coitum vuluæ appositam inhibere conceptionem. Neque sisymbrij semen conspicuum inquit Theophrastus: Plinius non edendum grauidis monet, nisi mortuo conceptu, quippe impositum eiicit. Sed ne per omnes herbas vagetur insolenter oratio; quæ mancæ sunt, eis fœtus necandi data est potestas, finem imponemus: hæc ad exempla sufficere putamus, ad alia festinante animo.

Contra antiquorum opinionem plantas omnes semine donatas esse;

CAP. II.

IAM patefactum est, cur sterilium plantarum imagine artifex natura luserit, superest ostentare quibus in locis præclu-

dantur semina, vt restibili earum fœcunditati, & perennitati consultum esset. Nec ab his abhorret ratio Philosophorum, calidi, & frigidi, quum non consentiente loci genio, caloribus ambustæ regiones vel perpetuo gelu rigentes, aduenas plantas, mancas, & imperfectas generent, sic vna omnibus satisfactum est, plantis, nobis, & qualitatibus. Hæc est immensa harmoniæ mundi ratio, qua omnia in vniuersum sibi congruunt, & correspondent. Sed profecto pudet credere, pudet etiam referre, summum Philosophiæ principem, eiusq; alumnum Theophrastum, Dioscoridem, Plinium, cæterosque antiquiores, tum Græcos, & Latinos, tum Arabas posteritati imposuisse, plantas esse suo semine carentes, vel tantilla res aut non fuerit curæ, aut non animaduersa: & ita apud nos rumor iste inualuit, vt difficillimum sit in hominum mentibus aliquid innouare, quum singula singulis insint loca, in quibus sua concipiant, perficiant, foueantque semina. Aduersæ filicum frondes pubescunt plumata quadam ferruginea lanugine, in qua veluti mollicellis cubiculis nutant, & nitent semina nigra, lucidaque filicum, æstiuo solstitio matureſcentia, vt si quis ea curiosius excipere queat, è radicibus recisis ramis, & in tectum allatis, candidis substratis linteolis, post diem decussis, simul cum villis cadent semina. Sic sæpe nobis, Naturæ subtilitatem immensam admirantibus, colligere licuit. Eodem modo phyllitis, asplenum, dryopteris, & filicula in auersa dorsi parte sessiles quosdam vermiculos, obliquos, liratim vtrinque digestos, nequaquam propendentes, villosos præferunt, in quibus semina deliteſcunt. Dictamnum olim fortasse ex nouerca regione ferebatur semine & floribus orbatum, ideo semine & floribus carere antiquitus creditum est; nunc autem semine donatum affertur. Adiantum super frondes semen affert, visenda quidem & admiranda specie; quippe summæ foliorum fimbriæ plicantur, vbi terna semina conspiciuntur, subtili nobis animaduersione comprehensa; vt sæpius in Antonianis thermis, in dirutis parietum marginibus, & vdis cæmentorum molibus Romæ colligimus. Radicula apud nos semine & flore pubescit. Sa-

lix proditur ad maturitatem solita proferre semen in Creta insula, ipso descensu Iouis speluncæ, torum, ligneum, magnitudine ciceris. Menthæ semen, vt thymi in florum spicis implicatur, cum æstate perfectum est, si manibus proterantur flosculi, cadit exiguum, & rufescens, sed satum abit in calamintham, vt latius in nostris libris Agriculturæ. E fungis semen perbelle collegimus exiguum, & nigrum, in oblongis præsepiolis, vel liris latens è pediculo ad pilei circumferentiam protensis, & præcipue ex illis, qui in saxis proueniunt, vbi decidente semine perenni feracitate seritur, & pullulat. Falso igitur Porphyrius Deorum filios fungos, & tubera dixit, quod sine semine prouenirent. Sic in tuberum corticibus, vt in cupressi pilulis nigrum etiam latet semen: ob id in siluis, vbi sæpius prodierint, & computruerint, semper proueniunt. Et locis, vbi corticum loturæ, vel cortices projiciuntur, sæpe nata vidimus. Nec desunt ex antiquis, qui sementica origine nasci crediderint. Sed non operæprecium duximus omnia prosequi; quapropter consulto omittimus, cum præsertim in memoria nunc olia non habeamus.

Sterilia animalia homines steriles reddere; CAP. III.

NOstram hanc narrationem, quod steriles plantæ viris sterilitatem concilient, ea animalia confirmãt, quæ sterilia sunt, vel quæ sine semine illegitimo Naturæ ordine, veluti ex putrefactione, suos natales habent, eandem vim retinere sterilitatem inducendi, aduersandique conceptioni. Plinius ait: Quædam gignuntur ex non genitis, & sine vlla simili origine, vt salamandræ; neque est iis genus masculinũ, fœmininumque, sicut nec in anguillis, omnibusque, quæ nec animal, nec ouum ex se generant. Neutrum est & ostreis genus, & cæteris adhærentib. vado, vel saxo: quæ autem per se generantur, si in mares, & fœminas descripta sunt, generant quidem aliquid coitu, sed imperfectum, ex quo nihil aliud gignatur, vt vermiculos muscæ. Id magis declarant naturæ eorum, quæ insecta dicuntur. Mula quidem sterilis est, ob id ex diuersis eius partib. medicamenta tum intra corpus sumenda, tum foris applicanda ad conceptum impediendum, steri-

litatemque inducendam, excipiuntur. Muli renes à Dioscoride, splen ab Auicenna, iecur à Sexto, aurium sordes & testiculi ab Æsculapio, matrix, & sudor à Rhasi, & Alberto, sic variæ eius partes à variis Medicis ad hunc vsum seliguntur. Sextus sterilia multa collegit. Muli testiculi, super sterilem arborem ambusti, extincti in lotio spadonis, illigati pelli mulæ, post menstrua brachio suspensa, conceptum impediũt. Salamandras steriles Plinius credidit, nec vnquam nisi magnis imbribus prouenire, & serenitate deficere, quod ex putrefactione oriantur: cuius cor circa mulieris genua gestatum, conceptum impedit, & menstrua, ita vt extinguantur, ex Kiranide. Ranæ quædam sunt, quæ per se nascuntur, consperſis tantum æstiuo imbre litorum & itinerum puluerulentis arenis, Quum ex Italiæ Neapoli Puteolos iter faceret Ælianus, ranas perspexit, quarum pars, quæ ad caput pertinet, reperebat, & duobus pedibus agebatur, altera nondum conformata concretione limosi humoris trahebatur. Ouidius Metamorphoseon libro;

Altera pars viuit; rudis est pars altera tellus,
Semina limus habet; virides generantia ranas.

41 Ranæ natura transfixa arundine per os, si furculus in mẽstruis defigatur à marito, adulteriorũ tædium fieri: & baculus, quo anguis rana excussa sit, parturientes adiuuat, ex Plinio. Si mulier ranam accipiet, & eius os aperiret, terque ibi spuerit, non concipiet eo anno, ex Constantino. Mures de terra, & imbre nascuntur in Ægypto. Macrobius, iuxta Thebaidem, quum Nili cessauit inundatio, calefaciente Sole limum, multis in locis ex terræ hiatu multitudo murium oritur, ex Diodoro. Qua ex re stupent homines, quum videant quorundam anteriorem vsque ad pectus, & priores pedes murium partem animatam moueri, posteriori nondum inchoata, sed informi, Ælianus. Deturgente Nilo musculi reperiuntur inchoato opere genitalis aquæ, terræque, iam partę corporis viuentes, nouissima effigie etiamnum terrena, Plinius. Ob id viuenti muri cor exemptum, & brachio mulieris suspensum, efficit, vt non concipiat, Sextus. Muris fimo illito pubi, cohibetur virorum Venus, ex Plinio: & murium

stercus subditum, fœtum ex vtero mortuum expellere tradit Hippocrates. Rubetæ ranæ species, ex putredine & corruptione aliquæ nascuntur; immo ex cremati bufonis cinere, & relicto plures generantur. Et in Dariene prouincia noui orbis, ex guttis mancipiorum dextra cadentibus, dum irrigant pauimenta domus, illico gignuntur bufones, ex Petro Martyre. Anas sepulta & putrefacta rubetas gignit: ossiculum est in dextro eius latere, quo Venus inhibetur. Macrobius serpentes in aliquibus locis etiam generari dixit ex terra & imbre; quorum occursu abortum patiuntur mulieres: si prægnans mulier viperam transcenderit, abortum faciet. Anguium senecta faciliores partus facit, ex Plinio. Mullus ter in vita parit, reliquo tempore sterilis est; quod in eius vtero vermiculi nascantur, qui semen deuorant, Athenæus. Ob id mullus si viuus in vino suffocatus fuerit, & id vir biberit, rei venereæ operam dare non poterit, Terpsicles apud Athenæum. Veneris incendia extinguit, & contra omnia veneficia ex menstruis mulierum auxiliatur, ex Plinio. Sunt qui coruos ore coire opinentur, vt Anaxagoras & alij Philosophi; sed satis inconsiderate, quum coruorum coitus raro cernatur: genus eorum libidinosum non est, quippe quod parum sit fœcundum, ex Aristotele: ouum corui grauidis cauendum præcipitur, quoniam transgressus abortus asperos facit. Vermiculi in apij fœminæ caulibus innascuntur: propterea eos sterilescere, qui ederint in vtroque sexu. Lampyrus vermiculus, qui æstate ex rore nascitur, in matrice mulæ alligatus, mulieri sterilitatem facit. Memini me legisse pediculos, qui humanæ virgæ foramini indantur in coitu, præstare ne concipiat mulier ex eo congressu.

Vberes seminum plantæ humanum semen adaugent;

CAP. IV.

CONTRARIA prædictis plantarum sors & conditio, contrariam demonstrat vtilitatem, nam quæ vberi semine fœcundantur, easdem Naturæ præceptione ad semen generandum, & ad fœcundandam genituram valere nemo ibit inficias: nam vt & ipsæ semine valent, sic præstant, vt homo

genitura proficiat. Theophrastus genus ficuum, pyrorum, pomorumque biferum dixit, & vites biferas, triferasque; & semina quo minora, eo numerosioris fertilitatis, ceu milium, erysimum, papauer, & cuminum, causamque adiungit: Quia ob exiguitatem suum finem consequuntur, & quod facile fit, sæpe fieri potest ob frequentiam; paratiora enim ad opus sunt, & ad obtemperationem ambientis aeris, propioresque inter se sunt partes horum, quoniam vno caule cohærent, vt diffundi queant in multa semina, vnde tot adiutæ, tum præsentibus, tum paratis causis, facile opus expediunt, & perficiunt; ideo hæc semina fœcundiora, quam arborum fructus sunt, & legumina, quam frumentacea. Verannius libro De verbis pontificalibus, felices arbores vocat, quercum, esculum, ilicem, fagum, corylum, sorbum, ficum albam, punicum malum, vitem, pyrum, cornu, & prunum, quod luxuriantem fructuum vbertatem fundant. Vitis adeo potentosæ est fœcunditatis, vt nisi annua putatione coerceatur, tota se inaniat partu, & pereat pariendo; & si non præpinguis soli vbertas lacessescentem sustineat, sua fertilitate absumitur: vinum ad Venerem valet; absque eo Venus friget. Olea fertilissima est, & plus ea olaster. Largitur & aliis arborib. fœcunditatem, per truncos perforatos traiecti oleastri ramuli sterilibus arboribus conciliant fœtus. Palladius;

Fœcundat sterilis pingues oleaster oliuas;
Et quæ non nouit munera, ferre docet.

Dauci, sisaris, & pastinacæ genera copiosum semen & densum in suis magnis vmbellis commonstrant: connatæ omnibus vites Veneris incentiuas esse. Diocles, & Opion crediderunt sisaron Veneri prodesse, ex Plinio. Tantæ feracitatis inter olera cumimum est, vt Theophrastus referat maledictis & imprecationibus fatum vberius prouenire, à κύω, quasi prægnans nomen manasse puto: præstat ad fœminarum conceptum, si vuluis indatur. Ammi cumino simillimum; quidam Æthiopicum cuminum existimant: tradit Plinius facilius concipere eas, quæ odorentur id per coitum. Polygonum mas semina fert sub omnibus foliis turgescentia, ac adeo

copiosa, vt tota planta semine referta videatur, Græcis *polyspermos*, nobis *millegrana* dicitur; hæc, vt Quintilij tradunt, animalia ipsa multis numeris fœcundiora reddit. Cratægon, γόνον κρατεῖν, quasi semen viribus roborare dictum: Theophrastus prolificum tradit ex aqua. In corianno copiosum semen racematim dependens, multiplicibus in ramis conspicuum; genituram auget, Dioscoridis auctoritate. Nil ocimo fœcundius, cum maledictis & probris ferendum præcipiunt; lætius proueniet, vt in prouerbium abierit, qui male imprecantur, dici possunt *ocimum serere*; id enim qui serunt, precantur ne exeat; quo prouerbio vsus est Sophron, & Demetrius Phalereus: Venerem stimulat, ideoque & equis & asinis admissuræ tempore ingeritur, ex Plinio. Erucæ præcipue siluestri innumeri caules, & cornicula in vniuersis caulibus copiosa: cuius largiore cibo genitale semen augetur, & Venerem multiplici experimento roborat. Eiusdem virtutis sinapi: vnde semina rosæ, cum seminibus sinapi, & pede mustelæ suspensa inter ramos infœcundæ arboris & parum feracis, illam mirum in modum recreat, & fœcundat. Nasturtium brumæ rigoribus & Sirij caloribus perenni sobole fruticat, multiplici in thyrsulis semine: Venerem stimulat. Vrticæ in racemosis filamentis, villosisque pilulis semen fundunt copiosum, importuno prouentu vbique luxuriantes: Venerem proritant. Galion in racemosis cacuminibus copiosum affert semen, confertim aggestum: eius radice Venus excitatur. Vberi fœtura lapathum fœcundatur, & præsertim siluestre: ob id Africanus appensum sinistro brachio, ademptam pariendi spem restituere, restibilemque adferre fœcunditatem. Satureiæ ramuli luculenta fœtura decorantur: marcescentes coitus stimulat; quare à Satyris nomen traxisse eam comminiscuntur, & alia quæ tædet referre.

Animalia multi seminis ad Venerem conferre; CAP. V.

ID etiam in animalibus experiemur; quæ enim semine abundant, multumq; in coitu excernunt, & pluries paucis horis eundem explent; vel cum proritant genitalia membra, foris profluat; vel fœminarum voce exaudita semen emittãt, vel si

fœminis careant, ſeminis abundantia inter ſe Venere abutantur, præſtant ad ſemen genitale in viris augendum. Exempla erunt: Equus animalium omnium ſalaciſſimus: equa enim & mulier grauidæ ſolum coitum patiuntur, ex Ariſtotele: coitus tẽpore è ſuis genitalib. humorem emittunt ſimilem geniturę, quem *hippomanes* multi appellant: expetitum venereis veneficiis: equini teſticuli aridi, vt potioni interi poſſint, coitus ſtimulant, ex Plinio. Ad Veneris libidinem inflammatiſſimus eſt aper, ceruicis cetas inhorreſcit; ſpumus fundit ore, efferuentem ſpiritum anhelat, coeundi furore ardet; quod ſi fœmina coitum refugit, feruidis ſtimulis incitatus, aut vi ipſam expugnatam init, aut mortuam in terram dentib. abiicit. Sues efferatæ libidinis emittunt id, quod *apriam* vocant, vt equi hippomanes: Fel aprinũ coitum ſtimulat: ſic medullæ ſuum hauſtæ, ex Plinio. Procliuis in Venerem paſſer auicula eſt, vt in prouerbium abierit, *paſſere ſolacior*; genituram emittit non ſolum conſpecta fœmina, ſed eius voce etiam exaudita, ex Athenæo & Euſtathio: adeo ſeminis copia valet, vt ſepties in hora fœminam ineat, copioſum, confertumque ſemen emittens, ex Oro. In hora vigeſies coit, alij in die trecenties. Terpſicles eos, qui paſſeribus in cibo vtantur, ad res venereas ait procliuiores fieri: Oua paſſerum ad rem veneream promouere dixit Auicenna, eadem Ælianus & Marcellus: cibarium ex capitib. paſſerum, & maxime maſculorum, adiuuat ad coitum, ex Rabbi Moſe. Coturnices non modo aſtantibus fœminis, ſed audita voce, ſemen emittere; & ſi contra eos ſpeculum poſueris, ad imaginem ſuam, quæ inaniter ſpeculo repręſentatur, ſemen profluere; cauſamque eſſe in animo paſſionem coitus, ex Athenæo & Euſtathio habetur. Dum fœminæ incubant, mares cœlibes inter ſe pugnant, victus victoris Venerem patitur, Plinius ex Ariſtotele. Geſnerus medicus adipe coturnicis cum pauco elleboro ad vim amoris excitandam membra pudenda inungit; & oua teſtibus inuncta, voluptatem inducunt, & pota libidinem augent. Salaciſſimæ perdices ſunt; dum incubat fœmina, marem non admittit; ob id mares, oua, quæ conceperint, proruunt, ne fœmina incubet,

ex Aristotele, Plutarcho, & Athenæo. Cœlibes tumultuant, pugnamque inter se conferunt, victus in pugna, posteriorem Venerem patitur, ex Aristotele, & Alexandro Myndio perdicis caro Venerem promouet; sic & oua in cibo sumpta; Aetius, & Auicenna eos, qui re venerea vti non possunt, inter cætera perdicum ouis vescantur consulit. Genus gallinaceorum copia libidinis gaudet. Clearchus scripsit gallinaceos non modo quum viderint fœminas semen emittere, sed etiam quum earum vocem exaudierint, alteri mari coitum sine pugna non permittit, nec finis pugnæ sæpe commorientibus. Dimicant inter se desiderio fœminarum, & victus aliquando nefariam patitur Venerem, Plinius ex Trogo. Sed Theophrastus agrestes libidinosiores esse, & statim à cubili velle coire; galli caro substantiam auget, & genitali semini adiicit, ex Simeone Sethi; & gallorũ testes ad rem venereã robustiores reddunt: si equa marem non patitur, gallinaceo fimo cum resina terebinthina trito, naturalia eius linãtur; ea res accendit libidinem, ex Anatolio: dextrum testem arietina pelle alligatum Venerem concitare scripsit Plin. Struthiocameli multum coeunt, multumque semen excernunt; eius caro coitum promouet, ex Auicenna. Anima capris, quam ouibus ardentior, calidioresque concubitus; semperque hircus ad coitum feruens propter seminis copiam; septimo die postquam editus est, coire incipit: & quamuis semen sterile emittat, omnium maturissime quadrupedum aggreditur coitum, ex Æliano. Immodicus libidinis, dum adhuc vberibus alitur, matrem stupro superuenit; celeriter senescit, quod immatura Veneris cupidine pueritiæ temporibus exhaustus sit; herbæ, quam *orchin* vocant, radicem in lacte caprino viri in Thessalia bibunt ad stimulandos coitus, ex Dioscoride. Cerui tentiginis rabie efferati sæuiunt, certant pro fœminis, seque mutuis vulneribus, vel mortis periculo, conficiunt; fœminæ flagrantis admissarij contentissimum impetum vix sustinent, propter rigorem genitalis; dum libidinibus indulgent, totos dies ad coitum incumbunt: si tauri ad coitum torpeant, genitale ceruinum terent, & læuigans vino pudendum tauri,

atque

atque testiculos inungunt, confestim vel ad insaniam vsque pruriunt in Venerem, ex Xenophonte, & Quintiliis; quod quidem haud in tauris duntaxat, sed etiam in animalibus cæteris, ipsoque hominum genere similiter possit vsuuenire: testiculi ceruini sicci, & potati concubitum excitant cum voluptate, ex Sexto. Columbæ, feminis vbertate crebro in Venerem ruunt, semestres incipiunt Venerem: hoc peculiare, quod in coitu, nisi prius osculentur, mas non ascendit; & Veneri sacræ sunt: Venerem concitant lutea ex ouis quinque columbarum, si admisto adipis suilli denarij pondere cum melle sorbeantur, ex Plinio; ex eorum esu semini genitali, & sanguini adjici crediderunt. Simeon Sethi, & R. Moses: cerebella coitum promouentibus admiscent recentiores nonnulli; sed ego puto copiosius sumpta magis ad rem conferre, quam in medicamentis parcius admista. Hirundinem fœminam etiam libidinis imagine concipere scribit auctor de Natura rerum: genituram auget ex Lullio. Polypi se complexi longo tempore coitum absoluunt; Oppianus scribit longo coitu ita debilitari, frangique, vt vires omnino deficiant; eamque ob causam in arena iacens, præda fit reliquis piscibus, quos antea nullo negotio deuorasset: Venerem irritare dicuntur, & præsertim moschatuli.

Plantarum radices prole carentes, hominibus prolem denegare;

CAP. XVI.

SVNT & plantæ non vniusmodi, sed multiplicis generationis; aliquarum substantiæ radix inepta est ad generationem. Theophrastus: plantarum quædam nullam sursum proferre sobolem possunt, vt cupressi, pini. Et aliæ, quæ natura siccæ sunt, & meatu conduntur rectissimo, vnicaque radice inhærent, ipsaque alte descendente: humiditas enim, quæ pauca est, absumitur in arboris proceritatem, ob meatuum insignem rectitudinem; & radix, quia recta, in profundum acta est, tam exiguo donata est alimento, vt vix sibi excubet; ob id non soboleſcit, neque prodigat in stolones, vt abies, pinus, larix, palma. Quidam his cedrum & cupressum adnumerant. Sunt & oleosæ arbores, quæ cæterarum insitiones ref-

puunt, & reliquarum consortium aspernantur, quæ pinguem resinam, aut picem collachrymant: nam & quercus bona pyra afferre visa est, & platanus poma, & mala punica pyrus: in picea vero & pinu insitus termes comprehendisse negatur; quia pingue quippiam cauato vulnere, & oleaginum plorét: faces quoque indidem oleosum refundunt humorem, splendescitque in iis pinguedo, sicut etiam præpingues hominum, corpulentioresque filiis progignendis inhabiles, ineptique; alimentum enim in vniuersum corpus abit, nec seminaria subsistit vlla superfluitas. Id ipsum non latuit Phytoptam; vnde quæ vnica radice nituntur, corpore bene habito egregie augescentes, pingueſque; nec fruticant in stolones; nec fructus ferunt, vel ingeneroſos, neque alienos partus alunt, vt cupressus, picea, pinus, strobilus, & similes. Cupressus detracta coma, resciſſoque cacumine demoritur; nec ex ea quicquam, perinde quasi esset combusta, repullulat; sobolem nullam profert, ob id Diti sacra, & funebri signo ante domos poni solita, ex Plinio: succo est amarissimo, eiusdem generis cum cedro, & sabina, quæ atocia inferunt. Cedrus ex eodem genere, vt diximus, & concipere prohibet, & conceptum extrahit partum. Pinus & picea suffitu partus ejiciunt, ex Dioscoride. Sabina caret sobole, ob id Plinius sola propagine, & surculo nasci posse dixit: hausto succo, & suffitu etiam abigitur partus, ex Galeno. Brassica ex radicibus non repullulat in sobolem, & falsum est, quod Theophrastus dixerit, sobolescere: suppositio pessu, partum vitiat: flos à conceptu in vellere subditus, idem facit.

Pauciferæ animalia proli inimica; CAP. VII. 24

NON salacia, pauciferaque animalia & concumbendi vim hebetant, & conceptum impediunt. Hæc transacto veris tepore, nulla tentigine molestantur, parcius coitu vtuntur, castiusque viuunt. Taurus decurso breuiter lasciui ardoris spatio, ratione quadam à coitu abstinet, salax non est, ex Aristotele: post vaccæ conceptum, nunquam cum illa coit: quamobrem virum fortem, eundemque temperatum Ægyptij significaturi, taurum pingunt, ex Oro: genitale ru-

bri tauri aridum, tritum, & præsumptum mulieri aurei pondere, fastidium coitus affert, ex Rhase. Testudines fœminæ incredibiliter odio habent maritos, quod haudquaquam eis similiter, vt cæteris bestiis iucũdus sit coitus, tam maximum dolorem eis affert, quum maris os aculeatum, & inflexibile fœminam intolerabilis doloris sensu afficit : quamobrem dentibus inter se pugnant, quod hæc infestum coitum effugere contendat, ille inuitam tam diu cõuellit, quoad robore victam subegerit: squamæ è summa parte derasæ, & in potu datæ, Venerem cohibent. Palumbi ex auibus castissimi sunt, mas & fœmina tanquam nuptiis alligati mutua consensione adeo stabili, certo connubio per summam castimoniam adhæresunt, vt neuter alienum cubile attingat. Si impudico amore capti, ad alienam vxorem oculos adiecerint, eos reliqui circumsedentes mares discerpunt, & fœminæ fœminas, ex Æliano. Contra Venerem valent. Martialis ob id:

Inquinat torquati tardant, hebetantque palumbi,
Non edat hanc volucrem qui cupit esse salax.

Fœcundæ plantarum radices fœcunditati subministrant; CAP. VIII.

POSSVMVS etiam non imbecilla coniectura augurari plantas illas, quæ vel imo cespite, vel radicibus longe, lateque subtus tellurem reptantibus creberrimo & numeroso reptatu multiplices stolones, vel culmos felicius fruticant (vt ex Naturæ satagentia credere fas est) iis homines commonere, humanæ proli cauisse, vt suæ consulat propagationi. Commonstrant idem bulbi omnes fere, è quorum radicibus vndique ambientes bulbuli squamatim compacti in numerosam sobolem prodeunt; se propagant enim aliis atque aliis bulbis, noua prole succrescente. Plantæ solitudo, vel sobolis circa radices viduatio, ex siccitate est (Theophrastus inquit) quæ inepta est ad generationem; sed stolonum feracitas ex humiditate. Præterea radicis flexuositas, & suspensio proportionem multarum radicum habet; quia ex dorso ipsarum sinuationum se proferunt germina, succus in contortis partibus diutius immoratur, concoquiturque magis, immoraturque ob operosiorem motum. In superficiariis

radicibus est naturæ facilitas; tum quia coquuntur aëre & sole, tum quia tenuis soli crusta facile cedit; & cum confluxerit eo succus, coit facilius vi Solis, atque habilitatem recipit ad stipitis formam induendam. Laurus flexuosa radice est, longa, & suspensa, pyrus, prunus, punica, olea, & vitis, atque per summa cespitum apricantur. Vitis ergo & olea numerosam stirpium molem circa caudicem procreandi vim obtinent. Ex vino moderato libido, & fœcunditas; ex vtraque tam multa proficiscuntur remedia ad Venerem, vuluas, conceptus, vt mirari possis, vel per se sola, vel cum aliis mista, & neminem enumerare posse existimo. Theophrastus palmas esse dixit, quæ humiles vocantur; hæ à radicibus succisæ repullulant, succrescentis quotannis noua asparagorum similium turionum propagine: & in Sicilia tales proueniunt, *cephiliones* incolæ vocant, circa radicem maxime fruticosæ: Venerem comestæ valde conciliant. Asparagi fœcunda pullulatione è cespite suo turiones emittunt: Plinius Venerem stimulare dixit. Vegetiorem carduum radicibus quamplurimæ inolescunt soboles, vt ex vna stirpe ingentia cardueta fiant, plurimæque hortorum areæ ea stirpe pubescant; venereis desideriis obsonantur, vt ex Hesiodo & Alcæo Poetis diximus. Sunt & geniculatæ radices, vt arundinum & graminum, quæ ex geniculis, tanquam fibris innixæ corradicantur, & supra terram pullulant. Harundinis geniculata radix, multis articulis, fœcunda stirpe, vt quæ etiam vel adusta, vel recisa lætius numerosiusque reuirescant: recens trita, & in vino pota Venerem concitat, ex Plinio. Galangæ radix geniculata, internodiis quibusdam reflexa: Venerem mouet. Thrasi bulbosæ radices cyperi modo, crebra pullulatione siluosum circa cespitem efficiunt: venereis potionibus admiscentur. Frumentaceo generi geniculatæ radices, nec vllum, quantum triticum soboleſcit ab radice, vt ex vno grano in multiplicem stipulam, & spicas excrescat, ex quo nobile alimentum ad corpus roborandum, alendumque, vt sine Cerere & Baccho frigeat Venus. Post triticum soboleſcit lolium: si cum polenta, thure, & myrrha suffiatur, aut croco; conce-

ptionem adiuuare dixit Dioscorides. Ceparum genus ex adgerminantione procreatur, vt Aristoteles dixit ἐν τῷ περὶ γενέσεως, tertio Generationis animalium. Circa radices in complures radiculas, siue nucleos coagmentatur, ac inde in multiplicem sobolem excrescit. Theophrastus ait: Radices suo latere germinant, pluresque redduntur, vt in bulbis, gethyis, scillis, & aliis quibusdam: ob id Dioscorides bulbos omnes Venerem stimulare dixit, & Martialis:

Cum sit anus coniunx, cum sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis, quam satur esse potes.

Cepa genitale semen gignit, ex Simeone Sethi. Plinius allium Venerem stimulare dixit, potum ex mero. Porrum idem efficere ex Dioscoride habemus; sic scorodropason, vtriusque vires allij, & porri, ex eodem, & crocum. Asphodelo subiacent numerosæ radices bulbosæ, vt quæ octoginta simul coaceruatis sæpe bulbis reperiantur, ex Plinio. Venerem concitant vino & melle perunctis, vt bibentibus, ex Plinio. Ari minoris radix quamplurimis stipata fibris, & oblongis rotundis radiculis, quæ omnes caules promunt: dracunculi vires habet, ex Dioscoride, qui appetentiam coeundi concitat.

Fœcunda & multipara animalia ad fœcunditatem & conceptum valere; CAP. IX.

EADEM Naturæ similitudine ex fœcundissimis animalibus oritur spes nobis, & plausibilis persuasio ad fœcunditatem in mulieribus excitandam, conceptionemque, vuluam, matricem, coagulum vel cerebrum; accipiendo, edendo, vel alligando. Animalia fœcunda, vel paucifera ex partibus fœtum nutrientibus cognoscemus. Aristoteles Animalium libro dicit: multipara animalia sunt, sus, canis, & lepus; paucifera leo, & equus. Ratio est, quia illa cellulas multas habent, & totidam formandi loculamenta, quibus impleri cupiunt, Democritus eandem affert rationem. Exempla erunt eiusmodi. Sus numeroso partu notatur, cum Aristoteles ad duodenos vsque prouenire dixerit; aliis, atque aliis partibus anni fœtæ & coeunt, & luxuriosæ sunt: axungia porci partus

in abortus vergentes nutrit, collyrij modo subdita, ex Dioscoride. Multipara canis est, vsque ad duodenos, vt sus, sæpius coit, & sæpius parit, impleturvno initu, quod in furtiuis maxime constat initibus, ex Aristotele: maturos conceptus concitat caninum lac potum: membrana, vel è partu secunda, quæ terram non attigerit, partum educit. Lupus, vt canis multipara, aliquando vsque ad decem procreat: carnes lupi ediſſe parituris prodest, aut si incipientibus parturire, sit iuxta, qui ederit, ex Plinio. Oues fœcundæ sunt, & coeunt 2. quamdiu viuunt, multiparæque sunt. Eodem modo & capræ trigeminos, & quadrigeminos edunt. Eiusdem generis dorcas: mulier, & concipiat, dorcadis, hœdi, & leonis coagulum, & fel cum agnino sanguine, & adipe medulla canina, nardino, & rosaceo oleo commisce, & post purgationem subdito, ex Aetio. Facile concipiunt & pariunt anseres, prohibenturque suos partus excludere, quod ipsæ suos partus alant, nam à gallinis melius excluduntur, & nutriuntur: ob id oua surripiunt, & gallinæ incubanda dant, ipsæque pariunt, donec rumpantur, ex Columella, Palladio, Plinio, & Quintiliis, testes anserum si comedantur, ad mulierum sobolem procreandam facere scripsit Simeon Sethi. Et Hippocrates libro De sterilibus, medicamenta quædam cum adipe anserino, vel ouillo bibenda mulieribus abortui obnoxiis præcipit. Lepores dum vtero ferunt, superfœtant, habent lac prius quam pariant: & à partu repetit coitum, & à partu adhuc concipit fœtum, vt diximus: matricem leporis sicca, tere, & da potandam, quando mulier fuerit à menstruis purgata, & concipiet: vel leporis vterum frige, tritumque assidue propina, habet eandem vim leporis sanguis, Galenus in Euporisto: conceptum leporis vtero exemptum his, quæ parere desierint, restibilem fœcunditatem afferre putant, sed pro conceptu leporis saniem viro propinat, ex Plinio. Cammari multa oua pariunt, & facile concipiunt, ad conceptus valent; idem & de polypo dicendum.

Plantas aliquibus partibus carentes, membris nostris ipsis respondentibus maxime obesse; CAP. X.

His proxime accedunt stirpium aliquot genera, deficientium vel folio, vel radice, vel aliis partibus, eademque ratione membris illis nostri corporis respondentibus infesta, noxiaque sunt. Doctiores extra aleam Medici, qui ex incommodis sciunt elicere commoda, & vtilitates, iis pro variis dotibus vtuntur, vt dum obesse nituntur, prodesse possint. Exempla succurrunt aliqua, quæ nobis, aliisque felicissime successerunt. Fungi, ex Theophrasto, flore, folio, semine, cortice, medulla, neruo, & vena carent; ob id quamplurimis nostri corporis partibus offendunt: si prope ipsos venenosa adfuerint, naturæ cognatione absumunt: vtpote si iuxta fuerit serpentis cauerna, caligaris clauus, ferri aliqua rubigo, vel panni marcor, omnem succum, ac venenum conuertunt, decoquantque; vt quos intus nigris, aut liuentibus membris horrere videamus: pituitam gelidam, noxioque succo inuictam pariunt: largius sumpti periculum pariunt, ægrius concocti strangulant, aut choleram mouent. Galenus proxime ad deleteriam, enecantemque facultatem, & putredinosam habere dixit. Carent, vt idem ait, tubera cortice, medulla, neruo, vena, caule, flore, & nullis radicibus, nullisque fibris innixa. Constat terræ saginam in id malum conglobari. Scripsit Diphilus inueniri nonnulla, quæ fungorum modo strangulatus excitent: Auicenna ait, atrabilaria esse, & humores gignere magis quam cætera fungorum genera, quo fit, vt frequenter deuorata, apoplexiam & paralysim concitent; ad hæc concoctu contumacia sunt, & ventriculum aggrauantia. Plantas sine foliis Græci ἄφυλλα dicunt; causam dat Aphrodiseus, quod sui corporis foramina spissiora habeant, arctioraque, earumque vis constipare, ex qua pilis ortus denegatur, sicut diximus de spadonibus in humana Physiognomonia, noxiæ igitur erunt plantæ. Iuncus capitis dolores facit; sparthion virgas fert sine foliis; purgat per superna vehementer, ellebori vice; Plinius animalibus noxium dicit; genista eius species turbat ventriculum, & obest cor-

di, ex Galeno. Orobanches cauliculus sine foliis, inter legumina nascens, strangulat, vnde *orobanches* sibi cognomentum vsurpauit: leguminibus addita coctionem accelerat. A Theophrasto *limodorus* dicitur: dum ipsa perdere ex toto nititur, orobanche eadem & *cuscuta* Arabum, *cassyta* Plinij, floribus 24
vidua cernitur, etsi radicibus nascitur, destituitur illis, & alienis in ramis viuit, vnde fame arbores strangulat, & exinde nomen; nam vicinos frutices continuis implicat orbibus; gaudet summatim euagari, eosque tam spisso irretit contextu, vt cacuminibus insidens, tanta mole oneratas arbores ad terram deturbet, vel continuo alimenti suctu ad tabem, vel strictis laqueis strangulet: cui inhæserit, quasi compedibus illigat, vt nec vinctum facile possit extricari: in vino adiecta temulentiam inducit; & Mesues addit lienes extenuare. Hedera etiam destituta radicibus suis super arbores viuit, irrepit, amplectitur, & strangulat eas: neruos tentat, & poti corymbi corpus infirmant, mentemque turbant largius sumpti, concipiendi spem adimunt, partusque extrahunt; lachryma psilothrum est, dentes frangit, & lienes minuit. Teucer *teucrion* inuenit, spargentem iuncos tenues, & folia parua, asperis locis nascentem, austero sapore, nunquam florentem, nec semen gignit; minuit lienes: constatque sic inuentam, quum exta super eam proiecta essent, adhæsisse lieni, eumque exinanisse, narrantq; sues, qui radicem eius edunt, sine splene inueniri. Tamarix imperfecta est; vt diximus; etiã lienes perdit. Salix supra memorata ileosos desiccat. Sunt & herbæ radicibus carentes: ob id datum his à Natura, vt non nisi alienis arboribus valeant prouenire, vt viscum, polypodium, dryopteris. Supra enim diximus radices ventriculo respondere, lieni hepati, & similibus visceribus, quæ attrahunt, concoquunt, & distribuunt ramis alimentum, & iisdem membris officiunt, stomachum subuertendo, nauseam faciendo, & lienes minuendo. Viscum Theophrastus in quercu, terebintho, aliisque fructibus innasci tradidit; Dioscorides lienes extenuare dixit. Eadem natalia polypodio, & dryopteri, nam polypodium in vetustis caudicibus, & præsertim quercuum,

& petris inhæret: Mesues dixit ventriculo nocere inconcocto humore. Idem de dryopteri.

Animalia aliquibus membris deficientia humanis eisdem respondentibus esse obnoxia; CAP. XI.

EADEM ratione ad animalia transeundo, si aliquibus membris defeciisse videmus, eadem nostris membris aduersantur. Præstantiores medici, vt diximus, qui ex damno vtile excipiunt, vt attenuare, destruere, & annihilare cernunt, ad tumores, infarctus, & excrescentias vtuntur, vnde multa, & optima familiaria medicamenta nobis comparantur; & primo à sanguine incipiemus. Animalia quæ sanguine carent, sanguinem fugant, sistunt, & destruunt. Sanguine carent mollia: polypi sanguinem atterunt, excernuntque per hemorrhoida, eumque sistunt, ex Plinio. Vniones in cochyliis nascuntur, quæ sanguine carent; menses sistunt. Purpura ad eadem valet. Rana non alibi sanguinem quam in oculis habet, ex Oro; sanguinem sistit, ex Dioscoride & aliis. Sic Stellio ad dysenterias, cochleæ terrestres, & nudæ. Talpa collum prope nullum habet, quia inter anteriora crura breuissimum: colli tumores exterunt omnes, quippe caput præcisum, & cum terra talpisexuta, tusum, digestumque in paxillos pixide stannea, deletomnia, quæ collo intumescunt, & apostemata vocant, de iecore & pede refert Plinius, de corde Oliuarius. Caret collo raia: pungi piscis eius, qui raia in mari appellatur, ossiculo de cauda (id est, aculeo: nam inter raiarum genera est vnum aculeatum) ita vt non vulneret, strumis prodest, faciendum quotidie, donec percurentur, Plinius docet. Rana collo caret, Ouidius;

Terga caput tangunt: colla intercepta videntur.

Anginas & tonsillas abolet decoctarum ranarum ex aceto succus, ex Plinio. Rubeta eiusdem generis, cocta, & pro emplastro cynanchicis imposita adeo iuuat, vt cito eum liberet. Narrat Cardanus hoc remedio hominem in vltimo constitutum liberasse. Strumas delet certissimo nostro experimento: decoquitur oleo rubeta, donec tertia absumatur olei pars, & rubeta extabescat, & conuertatur in oleum, co-

rium, & ossa nudentur, & cum oleo per stamineum pannum percoletur: vnguento sic parato, vngatur pluries collum. Serpentis corpus videtur collo carere à capite ad caudam; increscentes strumas reprimunt viperæ, ex Dioscoride; & viperæ laqueus, in quo suffocata fuerit, collo suppensus, magnum sane amuletum contra anginas; factas sanat, & ne fiant, prohibet. Anguinea ceruice testudo est, ex Pacuuio; iure in cibo sumpta, strumas è collo discutit, quod idem faciunt oua durata, illitaque. Cancri ex melle trin strumas discutiunt: Marinus lepus si imponatur, celeriterque amoueatur, ad strumas valet, ex Plinio. Pisces collo carent, maior fere eorum pars ad strumas valet, vt murenarum capitum cinis. Scari iecur ad parotidas, sic ostrea ad tonsillas & strumas, ex Plinio. Quæ dentibus carent, eisdem medentur, eos destruendo. Pastinacæ piscis os sine dentibus, aspera solum maxilla, cuius radio dentium dolor mitigatur, quoniam os frangit, & euocat. Discorides; pastinacæ radio scarificare gingiuas in dolore dentium vtilissimum: conteriturque is, & cum elleboro albo illitus dentes sine vexatione extrahit, Plinius. Testes nulli pisium, nec animalium pedibus carentium intus forisve, exceptis delphino, & vitulo marino. Ad inhibendam Venerem fere omnes valent, vt torpedo, immo & conceptum destruunt, vt serpentes. Mullus si vino suffocetur, & id vir biberit, rei venereæ dare operam non poterit, inquit apud Athenæum Terpsicles; & si ex eo biberit mulier, non concipiet: & quia philthra mulieres cum menstruo parant ad Veneris incendia, ob id omnibus veneficiis & menstruis mulierum auxiliatur, author est Plinius. Hegesander mullum in Dianæ sacrificiis circumferri scripsit, ob castitatem. Rhombus splene carere videtur, latitat enim inter intestinorum spiras: lieni medendo viuus impositus, deinde remissus in mari, mire valet ex Plinio. Felle caret asinus, vt solipeda omnia, sanguis & fimus regium morbum tollunt, ex eodem. Equus solipes felle caret: sanguis equini pulli, & fimus ex vino eum tollit, ex Plinio. Elephanto iecur sine felle, incisa tamen parte, cui fel adhærere solet, humor felleus exit, Aristoteles. Non ad

ieçur, ſed ad pectus ſitum eſt, Ælianus: prodeſt ictericis, ex Agricola: & nos propulſauimus multoties ex ebore, croco, tritico & vino Amineo infuſis, mane quotidie propinatis, icteritiam mirabili ſucceſſu. Capra fel non habet, ex Plinio; eius fimus valet ad aurginem, ex Galeno. Aliquibus in locis ouibus non eſt fel, vt apud Chalcidem Euboicam tradit Ariſtoteles: aurium ſordes cum myrrhæ momento reſiſtunt morbo regio, etiam ſtercus, ex Plinio, & Rhaſe; vellera cum ſulphure viuo, ex Sereno. Columbam felle carere traditur, vt ex Oro habetur, in dorſo, Galenus veſicam non habere, ſed alibi: cinis plumarum, aut interaneorum palumbium ad cochlearia tria, reſiſtunt morbo regio. Paſſeribus aliis inteſtino, aliis ventri iungi, ex Ariſtotele: cinis ſarmentitius crematorum cochlearibus duobus, morbo regio reſiſtit, ex Plinio. Animalia, quæ inteſtinorum anfractibus carent, ſed vno inteſtino laxo vtuntur, colica laborare non poſſunt, ob id medentur colo. Anas inteſtinum laxum habet, quin etiam vorax: viſa anate inteſtinorum dolor ſedatur in bobus, ex Columella, Plinio, & Vegetio. Oſſifragæ aues voraces, quarum pars colica laboranti alligata, à morbo liberat, ex Marcello. Columbæ & palumbi ad colicos affectus valent. Harpæ inteſtinum ſi triduo dabis in potu, vel aſſam in cibo ægrotanti, perfecte ſanabis; ſic & aquila, & eiuſmodi ſimilia. Veſpertilionibus etſi pedes ſint breues, & imperfecti, ſemper enim aut volant, aut toto corpore iacent, aut digitis alarum adhærent ædificiis: incocti cum lini ſemine, quis oleo, cera, bulbo, & ſtercore tollunt podagram. Hirundo vt pedibus valet, ita pedibus degenerare videtur, ex Ariſtotele: ſanguis podagras lenit, ex Tralliano. Piſces pedibus carent. Fere omnes ad pedum podagræ dolorem tollendum valent. Aues lacte carent: nulla ex auibus remedia habet ad lac generandum.

50 *Multiferæ plantæ ad conceptum, & fœcunditatem conducunt;*

CAP. XII.

POSTQVAM in fœcundarum arborum ſermonem incidimus, prius quam ei coronidem imponamus, de variis quercuum fructibus loquemur, nuſquam alioquin opportu-

niorem locum nacturi in vniuersa plantarum historia.

MVLTIPLICES *quercus fructus hac tabilla ostendimus; quatuor gallarum species, vniones super frondes, cirros, capillos, fungos, monstra, agaricum, & fungos circa stipitem, viscum, & similia. Infra capillos, cristas, tauri cornua, & mutonem, vt mutuas similitudines contempleris.*



Multiplices & monstrificos, fœcundo prouentu, producit partus, radicibus, ramis, surculis, & foliis ipsis, vt in tota plantarum familia nulla fœcundior, nulla mirabilior appareat, nec vlla, in qua magis summi Dei benignitas reluceat. Sed hos fœtus singulos suis dotibus pollere, & plura præstare, quam maiores nostri descripserint, nemo est sanæ mentis, qui ambigat. Theophrastus scripsit quercum præter fructum, alia quoq; omnium copiosissima gignere. Plutarchus Chæroneus inter siluestres arbores fructu bellissimam, & fœcundissimam, & inter vrbanas validissimam dixit, vt alites, feræ, & ferarum princeps homo iis vesceretur. Putauit antiquitas quercum prius, quam homines Deum generasse, tam necessarius erat eius hominibus fructus: vnde Arcades, qui omnium primi è terra orti gloriabantur, cum quercu cognationem habere dicebantur. Vocabatur olim παλαίφρυον, quasi vetus quercus. Hesiodus dicebat Deos iustis concedere, vt hominibus quercus excelsis ramis fructus daret, in mediis apes habitarent, quæ donarent mella. Socrates per quercum, tanquam Deum deierabat: propter venerationem antiqui Deo sacram fecerunt, qui ex hac primum arbore vitæ causa, primi glandibus vescerentur. Italia querno folio assimilata est, vt omnium terrarum alumna, eadem & parens Deorum numine electa, cunctarum gentium in toto orbe regina, omnium arborum præstantissimæ, & nobilissimæ adæquaretur, ex Plinio. Nec omittenda est in ea re Galliarum admiratio. Nil habent Druidæ (ita enim suos appellant Magos) visco & arbore, in qua gignatur, sacratius. Iam per se arborum eligunt lucos, nec vlla sacra, sine ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoq; interpretatione Græca possint *Druidæ* videri. Enimuero quicquid adnascatur illis, è cœlo missum putant, signumque esse electæ ab ipso Deo arboris. Ab huius præstantia, & vtilitate *Dryades*, & *Hamadryades* nominatæ videbantur, quæ *quercus genij* erant. Sed videamus tanta fœtus luxuria, faciebus & figuris, quadamtenus rem exprimentibus, quid occultarum virium nobis portendere possit. Theophrastus robur omnium copiosissime, præter fructum, alia gignere dixit. Nam gallam

paruulam; atque alteram resinosam & nigram, quin & quædam veluti mora, ni distaret arida duritie; sed hoc admodum raro; iam aliud producit effigiem colli repræsentans, quod quum fuerit perfectum, tauri caput imitatur, fructus intus nucleis oliuæ similis. Et alibi de cerro. Quod autem *penem* quidam appellant, branchiis simile, cerrus solaproducit cauum, muscosumque cubitali longitudine pendens, ceu villus lintei prolixum: nascitur id è cortice, non è suiculo, vnde glans; nec è gemma, sed è latere supernorum nodorum. Parit & aliam inutilem pilulam cum capillo, tum tacti, tum gustatu melligeno succo vere inficientem. Fert & hoc quod pilon appellant, id pilula est, nuci haud absimilis, intus habens lanuginem quasi fungorum, lucernarum luminibus aptam: nam & sine oleo flagrat, sicut gallà nigra. Creant ad hæc alæ ramorum eius pilulas, sine pediculo sessiles, & versicolores. Enimuero quidam vmbilici candicant, cæteris varietas dispergitur. Media cocci rubore punicant; apertis amara, putris, & nigricans subest inanitas. Profert & rubentem lapillum, sed frequentius aquosos nucleos albicantes, & translucidos, in quibus & pumices nascuntur, indurescentes gallæ modo; vbi ad iustum incrementum venerint, iis foliis à tergo adhærent. Nascuntur è foliis & aliæ conolutæ pilulæ compressæ, atque oblongæ in folio rubentes, hæc enim muscas interdum intus continent. Venitque vsque ad iustum incrementum in modum leuis paruulæ gallæ durescens. Fert & robur *cachrym*; ita vocatur pilula, in medicina vrendi vim habens, postquam folia decidere, hieme durans. Tam multiferum est robur, vt viscum & mella pariat, vt author est Hesiodus; constatque rores melleos è cœlo cadentes non aliis magis insidere frondibus. Fert boletos, suillos, gulæ notissima irritamenta, quæ circa radices gignuntur. Promit etiam vt aliæ glandiferæ *agaricum*, fungum antidotis efficacem. Omnia hæc adduximus, vt feracissimam esse quercum omnium arborum existimemus. Iam diximus glandem ad Venerem valere. Fœminarum conceptioni adiuuare viscum narrat Plinius, si omnino secum

habeant. Remanet nunc ad cæterorum animalium fœcunditatem valere demonstremus, quod iudicamus ex capite taurino illo, iam dicto, quod clarius & Plinius indicat. Est autem id rarum admodum inuentu, & repertum magna religione petitur, & ante omnia sexta Luna, quæ principia mensium annorumque his facit, & seculi post tricesimum annum, quia iam virium abeunde habeat, nec sit sui dimidia. Omnia sanantem appellantes suo vocabulo, sacrificio, epulisque rite sub arbore præparatis, duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vnciantur. Sacerdos candida veste cultus arborem scandit, falce aurea demetit, candido id excipitur sago, tunc demum victimas immolant, precantes, vt suum donum Deus prosperum faciat his, quibus dederit. Fœcunditatem eo poto dari cuicunque animali sterili arbitrantur, contraque venena omnia esse remedio. Quod ex gallinacei crista etiam diximus indicari.

Viuiparæ plantæ fœcunditatem præstant;

CAP. XIII.

NOVA, nec vnquam satis laudata ratione, summa Naturæ benignitas fœcunditate præstantes plantas indicat, quæ in fructibus animalia gignunt, vt vere viuiparæ plantæ dici possint; immo & quamplurimæ extant philosophorum animaduersiones, quum animalibus plus solito abundauerint, eum annuum & fructuum, & humanorum partuum feracissimum futurum. Inter cæteros quercus fructus, diximus super foliis tergo adhærentem pilulam ferre candidam, aquosam, dum tenera est; hæc enim muscas interdum intus continet, venientsque ad incrementum iustum, in modum læuis paruulæ gallæ indurescit, ex Theophrasto, à quo Plinius: Fert quercus & in folio aquosos nucleos candicantes, & translucidos, quandiu molles sint; in quibus & culices nascuntur. De eius fœcunditate iam diximus supra. Præterea illud peculiare sibi vendicarunt maiores quercus gallæ, quod si aperiantur, quæ integræ sunt, muscam, araneam, aut vermiculum intus habebunt. Si musca volat, futuri belli præsagium;

si repit vermiculus, carentia annonæ; si aranea, pestilentium morborum annum. Ficus & culices gignunt, egrediunturq; è pomis caprifici, putrescentibus eorum granis, cuius indicium afferunt, quod postquam euolarunt, grana ficubus nulla penitus insunt. Est & alterum *centrinæ* genus vocatum, quod ocioſe viuit, quemadmodum fucus inter apes, & quos ex altero genere sua poma ingressos aspexerit, protinus necat, & folium culicem gignit, quum copioſe fructificat, vt vlmi folliculis genus quoddam bestiolarum innascitur, quod *cnipes* appellatur, qui cum ficis gignitur, ficarios illos culices deuorat. Ficus iuuenum vires auget, ob id ante athletæ hoc cibo vtebantur: vtile ex decocto earum fouere fœminas, ex Plinio, ex Dioscoride ad muliebria fomenta. Terebinthus fert nucamenta quædam caua, ceu folliculos, vlmi exemplo, in quibus animalia, quasi culices erumpunt, cornicula rubentia promit, caprarum similitudine, in quibus culices dicti concluduntur, ex Theophrasto. Est & *Indica terebinthus*, nostrati similis, fructus diuersi, similes amygdalis, apud nos *pistacia* dicuntur: Plinius terebinthum Venerem excitare dixit; & pistaceis ad conciliandas coitus vires frequenter vtuntur. Vermis in albuco gignitur, qui in aliud animal volatile, floridumque transfiguratur, quod quum herba flore incipit, eroso statim operculo euolat, ex Theophrasto: vt diximus ex Hesiodo, ad genituram valet. Legumina fere omnia animalia intus gignunt, quæ ad eadem valent.

Animalia, quæ facile concipiunt, ad conceptionem valere;

CAP. XIV.

PRÆTEREA animalia, quæ facile concipiunt, ad conceptionem valere iudicantur, eaque animalia facillime concipere iudicamus, quæ non solum ex immisso in vterum semine, sed etiam vento concipiunt, vt quamplurima ab antiquis memorata. Equæ aliquot regionibus flagrant ardore coeundi, vt etiam si marem non habeant, assidua & nimia cupiditate fingentes sibi ipsis Venerem (cohortalium more auium) vento concipiant. Quæ Poeta licentius habet:

Continuoq; auidis vbi subdita flamma medullis,

Vere

Vere magis (quia vere calor redit ossibus) illæ
Ore omnes versæ in Zephyrum, stant rupibus altis,
Exceptant q; leueis auras, & sæpe sine vllis
Coniugiis, vento grauidæ (mirabile dictu)
Diffugiunt.

Varro: in Hispania, in Lusitania, ea regione vbi est oppidum Olysippo monte Tagro quædam è vento concipiunt equæ, vt hic gallinæ quoque solent, quarum oua *hyponemia* appellant: sed ex his equis, qui nati pulli, non plus triennium viuunt: mulier, quæ non concipit, si equinum lac ignorans biberit, & mari quamprimum coierit, concipiet, ex Rhase & Alberto. Adeo coturnicum facilis conceptus, vt dicantur vento impleri, ex Nicandri Scholiaste. Atheneus refert ex Phanedemo, Delum insulam ab Acl:æis *Ortygiam* dictam, quod obseruati sint coturnicum greges è mari volantes, quasi etiam in mari generentur. Aetius pessum ad mouendum conceptum docet ex adipe coturnicis. Facillimi conceptus perdix: nam eo tempore, quo libidine incitatur, si contra marem steterit, aura ab eo flante fit prægnans, immo voce marium vtero ingraescit: si gestiant, ac libidine turgeant, volant quoque superne marium, effici idem potest, videlicet dum mas ipse fœtificum spiritum demittit. Aristoteles contra Ephesium, qui non sola spiritali conceptione præ nimia tentigine fieri posse dixerat, sic etiam Athenæus, Eustathius, Archelaus, Varro & alij: ob id oua perdicum si sorbeantur, fœcunditatem facere scribunt, & lactis copiam, ex Plinio. Gignuntur vultures aliqui sine concubitu, quum ardore concipiendi fœmina exarserit, vuluam ad Boream aperiens, comprimitur ab eo per dies quinque, quibus nec cibum, nec potum capit, fœtus procreationi intenta; quarum oua subuentanea ad escam, non ad procreandum, ex Oro. Oua subuentanea etsi reliquis volucribus irrita, vulturibus fertilitate insignia; auersæ Austro volant, vel ad Eurum, si ille spirat; & si ad ventum oris halitum pandant, spiritus venti influens ipsas replet, Varinus, & Ælianus. Gallinæ quoq; oua *hyponemia*, siue *Zephyria* gignunt, sic dicta, quod ex vento facta esse videantur, sine mare, ex vi

turgentis vteri, & infœcunda sunt, ex Plinio; aut mutua fœminæ inter se libidinis imaginatione concipiunt, aut puluere: gallinam iugulant, & festucam lineo panno inuolutam intra annum condunt, eamque confuunt, & elixant, & ius potui dant, ex Galeni Euporisto. Testudines montanæ vento implentur, quemadmodum coturnices, ex Nicandri Scholiaste: Hippocrates primo De morbis muliebribus, glandem, seu medicamentum subditicium describit, quod recipit testudinis marinæ cerebrum, & crocum & salem Ægyptium, vt aperiat vterum ad conceptum.

Quæ aliis plantis præstant, vt suos fructus contineant, ad partus retentionem valent; CAP. XV.

SVNT & fructus, qui super alios fructus appositi præstant, vt non cadant, vel adiuuent maturitati: hos non inconcinna similitudine ad partus in mulieribus continendos valere, vsque ad debitum tempus coniectamur. Palma suos fructus caprificatione maturat, ficus similitudine, dum mascula floret, spatham abscindentes, qua flores emergunt, protinus vt lanuginem, & florem, & puluerem continet, super fructum fœminæ decutiunt; illa sic eo aspersu afficitur, vt suos fructus nullo pacto amittat, sed cunctos conseruet, ex Theophrasto: nam omnium maxime arborum suos fructus amittit: ad hoc vitium caprificatio comperta est: dactyli recentes duo, osse exenterati, & infectoris cocci puluere repleti, deuoratique sæpe à prægnantibus, abortum prohibent. Præterea *musa* eiusdem speciei ex Serapione, ad stimulandos concubitus valet; florem & fructum parit, dein erupta spatha prodeunt maturi fructus, vt fœtus in secunda. Perdit etiam ficus suos partus ante maturitatem inter omnes; ob id reperta caprificatio. Ex pomis annexis culices egredientes perforant ficuum cacumina, & in causa sunt, vt sui fructus perdurent, & maturentur: ficus enim ad muliebria valet, vt diximus. Inueniuntur in quibusdã, inquit Plinius, sicut in marmore, cẽtra, id est duritia clauo similis, inimica ferris, & quædam forte accidunt, lapide cõprehenso, aut recepto in corpus, aut alterius arboris ramo: ferũt lapides ita inuentos, ad cõtinendos partus esse remedio.

Plantæ, & animalia quæ facile pariunt, præstant ad partus facilitatem; CAP. XVI.

VIDENTVR facilitatis partus quandam imaginem plantæ illæ afferre, quæ supra folia fructus producunt, quasi mirando hoc opere Natura, consopitos mortalium sensus commoueat has plantas ad partus facilitatem, & ad naturæ locos valere. Myrtacantha, siue ruscus è mediis foliis, ritu coccibaphicæ, hærentes singulis singulas baccas ostendit ruberrimas: cuius radix trita cum vino vuluarum purgationi & difficili vrinæ valet. Hippoglossum è medio folio, quasi cauo aliud folium linguæ instar insitum, inter quæ baccula etiam rubra, ruscí instar insit: in vteri affectibus magno datur iuuamento. Brassicæ genus etiam supra folia cauliculum promit, suspiciendo Naturæ miraculo: eius cibo purgatio fœminis accedit; cruda si edatur, partus mortuos pellit; vnde ex his facile parientibus prodesse poterit. In ilice coccifera è mediis foliis excrementa quædam, ceu globuli rubelli, eleganti naturæ opere visuntur, vt amicas cordi vires habet, cætera adhuc inexperta. Animalia, quæ facile pariunt, quæ non laborant mora in partu, homini præstant ad facilitatem partus. Vulgare dictum est, catas cum dolore concipere, sine dolore parere; nuper enixæ canes fugant, & sæpe parturientes per gradus, & scalas ædium expellunt, ex Aristotele: adeo facilem partum præstant, vt fel cati, præcipue siluestris, fœtum mortuum ex vtero extrahat, vt subtus suffiatur, mistum cum stercore nigro alicuius cati, ex Rase. Torpedo non oua, sed fœtus viuos ex ouis, quæ intus excludit. Hos in metu intra se recipit, & emittit, Aristotele auctore, & visa est torpedo, quæ fœtus intra se octoginta haberet: si capiatur, quum Luna in Libra fuerit, triduoque asseruetur sub dio, faciles partus facit, postea quoties inferatur, adiuuat. Pastinaca non recipit suos partus, ob aculeum caudæ, & aculeus eius existimatur faciles partus facere; sic squatina, & galeus. Vipera etsi ouipara sit, viuipara est tamen ob partus facilitatem: eius occursus prægnanti abortum facit. Equa facillime omnium parit, ex Aristotele; cæteræ quadrupedes iacentes

parere solent; at vero equa, quum tempus iam partum edendi appropinquauerit, erigit se, stansque emittit partum: lien equi ex aqua dulci potus, eijcit partum, item vngulæ suffitus, aut fimus aridus, ex Plinio. Si quis surripiat oua anseri, ne incubet, pariet, donec rumpatur, ex Plinio; subdititium ad eijciendum mortuum fœtũ valet: testam recentem, & adipem anseris terat, & apponat, ex Hippocrate. Lupi omnes intra decem dies pariunt, cuius causam fabulose ad Latonam referunt, quod totidem oberrantem diebus ex Hyperboreis Delum deduxerit sub specie lupæ: equa, quæ lupi vestigia pressserit, abortitur: ob id mulier, quæ arbortum fecerit significantes Ægyptij, equam pingunt, quę lupum pressserit: diximus carnes lupi parituris esas prodesse, ex Plinio.

Pulcherrimæ plantæ & animalia, ad pulchros filios generandos valent; CAP. XVII.

His subnectere visum est, quomodo possimus pulcherrimos filios generare, scilicet si pulcherrimas plantas continuo pertractemus, edamus, vel nobiscum afferamus. Sed vt ad exempla accedamus. Palma pulcherrima planta est, Homeri iudicio, qui Phœniciæ puellæ venustatem palmæ ramo assimilauit; tereti surgit, & procero trunco, coma omnis in cacumine, pulchritudine spectabilis, foliorum æqualitas, quæ quasi inuicem insurgere, & concurrere videantur, folia firma & semper durantia; nam neque laurum, myrtum, neque oleam, neque aliam arborem earum stirpium, quæ foliis negantur spoliari, videmus eadem folia seruare, sed aliis defluentibus, aliis suppullulantibus: palma nullum abijciens folium, suis constanter semper ornatur. In Syria & Ægypto balanos producit tanta aspectus iucunditate, vt tragemata omnia, bellariaque præcellant, inter Phœnicobalanos eximia pulchritudine præstare, quos vocant *Nicolaos* Imperatoris Augusti cognomine, qui ex Nicolao iucundissimo, pulcherrimoque, balanos hos pulchritudine præcipua, *Nicolaos* cognominari instituit. *Heliochrysos* eximium aurei coloris decus, ad Solis radiorum repercussum coruscam lucem, & vegetam intuentibus vibrat, speciosam corymbi figuram ostendit: co-

rymbaceæ vmbellæ, multis è bullis extantibus circinatæ, aureoque aspectu micantes, diuturnam gratiam aucupantur: ob id aliis amaranthon, ex quo Deorum simulacra coronarentur. Huius nominis Ephesia virgo coronauit Dianam primo. *Heliantem* vocat Plinius folio Myrti in Themiscyra regione, & Ciliciæ montibus maritimis, persimilis floris. Spectandæ venustatis flos Croci est, filamentis aureo cruore nitentibus, intensi odoris, calyce cæruleo, pulcherrimi iuuenis Croci formam referens, cuius amore flagrans Smilax, mutata est in herbam sui nominis: nec aliud eiusmodi fabella Poetæ innuunt, quam venustam hanc, & flagrantem floris speciem. Pinus à vertice ramosa, eximiæ proceritatis, folium capillamenti modo prætenue, longumque. Pytis puella, vt fabulata est antiquitas, perquam illustris, riualis amore neci data, & in hanc arborem mutata. Non illepide Poetæ hoc inuolucro arboris eximiam formam demonstrarunt. Quid melle clarius, nitidius, & flauentius? quid myrrha & arbore pulchrius, & fragrantius? Narrat Plinius. *Heliantem* vocant in Themiscyra regione, & Ciliciæ montibus maritimis, folio myrti; hac cum adipe lenionis decocta, addito croco, & palmeo vino perungi Magos, & Persarum reges, vt fiat corpus aspectu iucundum: ideo eandem *heliocallidem* nominari. *Hermesias* ab eodem vocatur, ad pulchros liberos generandos, bonosque, non herba, sed compositio è nucleis pineæ nucis, tritis cum melle, myrrha, croco, vino palmeo, postea admixto theombrotio, ex lacte, bibere generaturos iubet, & à conceptu puerperas partum nutrientes: ita fieri excellentes animo, & forma, atque bonos. Cotonea mala aureo melino colore speciosiora, ob id *chrysomela* Græcis, Maroni aurea mala dicta, præstantissimum odorem vibrantia, tenuibus incisuris crispata, tenuique lanugine pubescentia, circinatæ in orbem rotunditatis, quæ non solum visu voluptatem, sed odore salubritatem afferunt. Solon mandauit, vt sponsa manducato malo cydonio in thalamum veniat, non, vt Plutarchus putat, vt prima salutatio iucunda, & non ingrata esse debeat, sed vt ex primo concubitu pulchri, & industrij filij nasce-

rentur: si prægnans eo vescatur, industrium, & formosum puerum paritura. Plinius ait: Omnia iam virorum, & mulierum salutatoriis cubiculis includi, simulacrisque noctium conscriis imponi. Est & inter animalia pulcher lepus, ob id leporem Græci amoribus sacrum fabulantur; etymi argumentum quod λαγὼς dicatur ἀπὸ τῦ λάβῃ ἔρωτας, à verbo ὁράω, vtroque visum significante: vnde leporina carne vescentes, formosi fiunt aliquot diebus, ex quo Martialis:

Cum leporem mittis semper mihi Gellia mandas;
Septem formosus Marce diebus eris.

Quum Alexander Seuerus Imperator quotidie in mensam lepusculos admitteret, datum vulgo subsannandi argumentum ex genere cibi formæ gratiam comparari. Extant versiculi: 2

Pulchrum quod vides esse nostrum regem,
Quem Syrum sua detulit propago;
Venatus facit, & lepus tomesus,
Ex quo continuum capit leporem.

A pulcherrimis plantis nostra commoda; à deformibus, incommoda prouenire; CAP. XVIII.

NE à plantarum pulchredine discedamus, monstrant & suo vultu vitia, & virtutes plantæ; & olim probauimus formoso corpori formosam animam, & monstrum in corpore, monstrum in anima esse. Omnibus in confesso est, conuenientem & proportionatam membrorum compositionem amplissimas virtutes sortiri; sic difformem, mancam, & distortam, vitia & imperfectiones. Plantarum consimiles vultus animorum habitum nequam, vel bonum esse rei plantariæ consultissimos admonere; immo perspectius, sinceriusue in plantis perspicitur, quum non possint plantę sibi faciem mangonizare, nec amplectendi, fugiendique virtutes & vitia electum habeant, vt homo. Sed quid per venustam, & inelegantem plantam intelligamus, aperiamus. Optima est plantarum figura, si altitudo latitudini respondeat, vel paulo maior, si radicum, florum, foliorum, & fructuum proportionata dispositio. Flores optime colorati, elegantis effigiaturæ, peramœni, ridentesque, vt maxima cum iucunditate spe-

ctantium oculos ad se alliciant ; id nobis argumentum præstat, quam maximis pollere dotibus. Cato de brassica crispa loquens ait : Brassica crispa aspectu & natura bona est. Adeo est elegans rosæ forma, vt si Iupiter vellet floribus Regem imponere, rosa inter flores regnum obtineret. Terræ est ornatus, oculus florum, plantarum decus, & pulchri-chritudo coruscans, Veneris conciliatrix : colore, qui rosis emicat, quid gratius visitur aspectu ? Aliæ sunt quoque Anacreontis Poetæ laudes. Ob suam pulchritudinem Poetæ Veneri dicarunt;

Sideris, & floris est domina vna Venus.

Philostratus Cupidini dicauit. Quid pulchrius lilio spectari potest ? hortis, & viridariis expedita planta, recto caule consurgens, in cuius summitate flores intaminati candoris, foliolis dispositis, striatis & repandis, quasi resupinati labri, effigiem calathi exprimentes, è quorum medio crocea stamina educuntur, languido semper collo, non sufficientem capitis oneri, è quibus effluuium emanat blandi, concupiti, & diuini odoris : ob eximiam eius pulchritudinem Græci ἄνθος ἀνθῶν vocarunt. Veneris volupe, & *Iunonis rosa*, è cuius lacte effuso, Galaxia in æthere sidereo candore visenda, vt diuinam ei originem assignarint ; Salomonis etiam solio insidentis gloria conspicuum. Iris amœna varietate, & colore, cœlestis arcus æmula est ; nam ita suum florem depingit, vt opacæ nubis obice, Solis obuerso repercussu luminis pingatur in cœlo hians flos & alternans ; frondes in ansulæ speciem curuantur, radice, nedum flore perquam olida, floris oræ diductiores, hianteſque : cuius multiplex variorum colorum mistura, quæ in diuersis plantis : in vnius duntaxat floris spectanda venit, vt non aliis cedat, sed cum reliquis de venustate certet. Tanta est oleæ pulchritudo, vt Homerus, quum egregiam aliquam formam iuuenis depingere quærit, oleæ comparet, quæ humi lætitia, cœli clementia niteat. Euphorbi à Menelao cæsi comparatur mors oleæ, ventorum vi deturbatæ, viri fortis quercui. Et in sacra pagina, vbi necesse est speciei meminisse, olea commemoratur : *Quasi oliua speciosa in campis.*

Nam virginalis pudoris ſpeciem quandam præfert, quarum dotes propemodum infinitæ, & immenſi commodi medici. Contra quid ipſo aconito deformius? vt fingant Poetæ è ſpumis Cerberi canis, extrahente ab inferis Hercule; & apud Heracleam Ponti, vbi monſtratur is ad inferos aditus, gigni; cuius flores deformi pallore tabeſcunt: ita atrociter interimit, vt nec remedium ſit adhuc adinuentum contra. Quid tetrius odore cicutæ; quid aſpectu fœdius? cannabis folia grauiter olent, item anagyris, ſi quiſpiam fruticem commouerit, tetrum quendam odorem remittit; vnde adagium, ἀνάγυριν κινεῖς, id eſt; *anagyrim commoues*. Foliis mandragoræ viroſus odor. Apocymum viticulis male olentibus fruticat, deleteriæ facultatis omnes. Quid mœſtius ipſa cupreſſo? arbor ſuſpendio eligenda, vt eam fingant Poetæ Diti ſacram. Sic & ſabina ipſa, ad diſpergendos conceptus nata. Venenati fungi deprehenduntur colore extra luteo intus plumbeo, aſpectu barbaro, rancido habitu, hiulcis caniculis, lurido per ambitum margine, aut ſummo palleſcente labro. Cauſam naturalem addemus, quod plantæ, quæ humidæ, calidæ, vel ſiccæ fuerint, hilari aſpectu, & odoratæ ſunt; at quæ frigidæ, humidæque plerunque inſipidæ, inolidæ, & minus veſcæ, & quia incoctæ, ſapores habent deteriores, & odores fœdiores, & humanæ naturæ contrarios.

Magnæ plantæ effœtarum virium, paruæ vero maximarum;

CAP. XIX.

SI recte meminerimus, quæ in humana Phyſiognomonia diximus, homines vaſti corporis, & membrorum, ſtupidos, timidos, inſulſos & imbecilles eſſe pronunciauimus; quum non poſſit Natura vires ſuas in tam maxima membra diffundere; è medio eos tollendo, quos reliquarum partium proportio comitatur, & ſic minus mali ſignificabunt. Sic parui corporis homines, calidæ, & vehementis operationis eſſe, vt in ſuo corpore vix capere queant. Eodem modo plantæ ſunt, quæ cum maximam molem capiant, ſteriles ſunt, & effœtarum virium; paruæ vero, vt radiculæ, & vix ſenſu apparentes, validarum virium. In arboribus enim, quæ magnis

luxuriant brachiis, Natura qnod tribuit magnitudini dempſit viribus, vt in pinu, abiete, cupreſſo & palma; ſic platanus, populus, ficus Ægyptia, & aliæ, quarum nullæ à ſcriptoribus narrantur vires, aut perpaucæ. Ariſtoteles Problematum libro quærit, Cur tenues radiculæ acutæ ſint? ſoluitque, quod ampliores illæ ſpatio temporis longiori plenius concoctæ vireſcunt. Poteſt eſſe & naturalis cauſa: quæ humida & calida ſunt, facile creſcunt, & in operando fatua; quæ autem non creſcunt, ſiccæ, & ſunt in operando vehementiores. Theophraſtus inquit: quæ locis opacis, & afflatu ſilentibus ſunt, proceræ, leues, & excelſiores exſurgunt, contra vero, quæ locis flatibus & vento expoſitis; & apricis, vel raris, ſolutiſque exeunt, minus tales euadunt. Incrementum enim profunditatis altitudinem vetat, & flatus exaſperant, nodoſque faciunt, tum ſolutiora, humidiora, imbecillioraque his locis conficiuntur; quia neque Sole, neque flatibus, vel frigoribus denſitatem ſuſcipere poſſunt. Plantas, quæ locis humidis exſurgunt, magnas eſſe diximus; quæ vero ſiccis, lapidoſis, & Soli expoſitis, paruas, exſuccas ob alimentum & cœli ſitum, ob id validioris operationis, vnde vis operandi. Animalia parui corporis, ingenioſiora ſunt aliis magni corporis, vt apes, araneæ, formicæ, phalangij, vt videri poſſit Naturam in viribus abundaſſe, vbi defecerit in corpore; ſic paruæ herbæ, & ſemina in operando valentiora ſunt, vt piper, ſinapi, & ſimilia, vt ad cauſas confugiendum ſit, quas diximus in humana Phyſiognomonia. In locis ſiccis ligna contorta, & parua corpora, vt Æthiopes, qui blæſis pedibus ſunt; magna corpora in humidis. Vrbanæ arbores, quæ humidæ magnæ ſunt; ſilueſtres ſiccæ, & paruæ. Platanus celebrata in ambulatione Academiæ Athenis cubitorum XXXVI, vnius radice ramos antecedente. Nunc eſt clara in Lycia gelidi fontis ſocia amœnitate, itineri appoſita, domicilij modo caua LXXX, atque vnius pedum ſpecu, numeroſo vertice, & ſe vaſtis protegens ramis, arborum inſtar, agros longis obtinens vmbris, & alia quæ de ſua magnitudine tradit Plinius. Dioſcorides ad inflationes valere dixit. Lotus præcipue domibus

expetita ramorum petulantia, latissima exspatiantium vmbra, & in vicinas domos sæpe transilientium; nulli rami longiores, validioresque, aut plures, vt dixisse totidem arbores liceat; cortice pelles tingunt, nilque nisi astringendo prosunt. Indica ficus exilia poma habet, vastis diffunditur ramis, quorum imi adeo in terram curuantur, vt annuo spatio infigantur, nouamque sibi propaginem faciant circa parentem in orbem. Intra sepem eam æstiuant pastores, opacam pariter & munitam vallo arboris, decora specie subter intuenti, procului fornicato ambitu. Superiores eius rami in excelsum emicant, siluosa multitudine, vasto matris corpore, vt sexaginta passus pleræque orbe colligant, vmbræ vero bina stadia operiant. Foliorum latitudo peltæ effigiem Amazonicæ habet, fructus rarus, nec fabæ magnitudinem excedens, viribus vacans, quæ à nullo saltem scriptore memorentur. Abies ingens arbor & excelsa, & larix, immo omnium arborum altissimæ, rectissimęque, nauium malis, antemnisque præferuntur. Amplissima laricum visa Romæ, Tiberij Cæsaris tempore in ponte Naumachiario, fuit pedes cxx, bipedali crassitudine æqualis; quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo fastigium ad cacumen æstimantibus: Abies admirationis præcipuæ visa est in naui, quæ ex Ægypto C. Principis iussu, obelicum in Vaticano circo statutum, & cœtera, quæ de eius vastitate tradit Plinius: ex ea resina resudat, quæuis ad vulnera, psoras, & calculos valet. In herbis faba Ægyptia, cucumeres, cucurbitæ, & melones ingẽtis fructus, folij, vel radicis, ad paucos, siue nullos vsus. In paruis vero herbis poterit quisque videre ingentes vires, vt in pipere, sinapi, hyssopo, aristolochiis, centaurio paruo, ruta, mentha, origano, aconitis & reliquis.

Plantas, quæ saxa frangunt, ad frangẽdos in corporibus calculos, & dentes valere; CAP. XX.

DIXIMVS fructificandi modũ plantarum, & remedia, quę ex iis nanciscì poterant; supereſt cõtemplari loca, quib. prosiliant, & modum; nam alia non nisi super saxa, suaq; vi ea frangere, & aliæ supra arboris ramos nasci auent; & quid iis

ſimulachris portendat Natura. Ad diros igitur renum, & veſicæ cruciatus, quum ea loca calculis turgent, commendatiſſimæ dotis plantas benigna & indulgens Natura donauit, ſatiſque ampla demonſtratione indicauit, cum crebris, & exiguis fibrillis lapides & ſaxa, in quibus naſcuntur, quaſi veruculo terebrant, vel validiſſimis cuneis ſcindunt, & aperiunt: vnde apud omnes ab inſigni huius facultate, indice nomine, ſaxifragæ vocatæ, quæ Græcis lithontriba dici poſſent, quaſi lapidũ terebra. Sed varia eſt ſaxifragûm tribus, quę eiuſmodi frangendi in renibus lapidem prærogatiua inſigniuntur. Dioſcorides; genus vnum, quod alij *ſaxifragon*, & empetron, Romani ſaxifragiam vocant, frutex ſurculoſus in petris & aſperis locis naſcẽs, epithymo ſimilis, quod calculos veſicæ frãgit. Plinius; Polytrichon vmbroſas petras, parietumq; aſpergines ac fontiũ maxime ſpecus ſequitur, & ſaxa manantia; calculos è corpore mire pellit, frangitq; qua de cauſa potius, quã quod in ſaxis naſceretur, à noſtris *ſaxifragum* appellatũ crederem. Sunt & apud recentiores permultæ ſaxifragiæ: vna eſt fœniculaceis foliis, longioribus, exiguis & raris, vmbellifera, & ſemine petroſelini, radice paſtinacæ, quæ magnis ſaxis, montoſis, & ſterilibus arenis naſcitur: frangendo calculo plurimũ præſtat. Eſt & aliud genus foliis terreſtris hederæ, caule tenui, piloſo, flore candido, ſemine nullo, radice grandinoſa, pendula, qualis chelidonij minoris: decoctum ex vino renum calculos frangit, & veſicam abſtergit. Tertium lapicidæ genus, frutex lignoſus, contortus, crebris ſurculis, & ſubalbidis foliis, exiguis, oblongis, acutis, ſemine rubro, naſcitur in viuis lapidibus, radix ſaxorum interueniis adeo depacta viuit, vt vix diuelli poſſit. Eſt & *pimpinella hircina*, ſaxifragiæ nomenclatura, à creberrimo radicis vſu frangendo calculo, lotioque proliciendo; adeo facie ſimilis pimpinellæ exit, vt eandem plane putes: nam non ſolum à viroſo, & inſuaui hirci odore ſic dicta hircina, ſed quod ea, adulti hirci ſanguis, & carnes eximium ſit calculoſis præſidium: naſcitur in petris, quas findit, ob id vulgo *petriſindula* dicta. Oreoſelinum & *petroſelinum* in montibus, & petroſis naſcitur, vnde eorum nomen ex

Dioscoride; pota calculos pellunt, quia eiusdem facultatis cum cæteris: ob id hirci sanguis, qui oreoselinum, & siler montanum ederit, ad conterendum in vesica lapidem valide efficax habetur. Oenanthe herba nascitur in petris: radix vesicæ vitiis medetur, ex Plinio: Ficus muris, & lapidicinis nascitur, easque mire frangit: vesicæ vtilis & renum vitiis, ex Plinio. Helsine, siue *parietaria* dicta, quia in parietibus, & lapidibus nascatur, super tegula calefacta, vinoque Cretico irrorata, & pubi illita, calculosis medetur. Mucus lapideus, qui super saxa nascitur, certissimo experimento ad frangendos calculos valet. Hyssopus, quæ nascitur in muro, mire calculos è renibus deturbat, confecto ex eo syrupo cum tantundem aquæ parietariæ, quem per decem dies ieiunus hauserit. Genista longissima radice est: nascitur in montosis & parietinis, vt per triginta pedes suffodiat. Mesue prodesse calculosis dicit. Adiantum nullibi frequentius, quam saxis riguis, petrosis, fontium, aut puteorum labris, vel asperginibus nascitur: Dioscorides calculos frangere dixit. Trichomanes eisdem locis, quibus adiantum, eademque præstare potest. Asplenum siue scolopendrium nascitur in parietibus, saxisque siliceis: calculos in vesica comminuit, ex Dioscoride. Gerontopogon *saxifica* plerisque dicta, quod inter saxa gignatur, longa barba, foliis instar capillorum prælongis, ideo *petræ barba* Romanis nuncupata, à Nicandro *geranopogon*, hoc est, *barba senis* appellata, tragopogoni fere similis: renum vitiis, & vesicæ succurrit. *Calcifraga* Latinis, *empetron* Græcis, nascitur in marinis, haud temere alibi, quam nudo saxo: decoctum in aqua, vel tritum calculos frangit. Qui fidem promisso huic quærunt, affirmant lapillos, qui sufferuefiant vnà, rumpi. Fungus est in saxis nascens, ab aliquibus *lyncurius* dictus, miro experimento frangendo calculo, quippe vmbra exsiccatus, contritus, potusque à ieiuno cum vrina veteri, ita renes expurgat, vt nunquam in eis calculi regenerentur; frequenter nobis vsque ad admirationem expertũ. Eiusmodi herbæ quæ saxa frangere solent, mirifico Naturę luxu, etiam nobis ostendunt, dentibus inditas, eos frangere, & funditus eiicere. Me-

dici optimi, qui ex incommodo commodum nanciſcuntur, ſi qui ſunt in ore dentes, qui frangi, vel eiici poſcunt, vel eorum vitiis occurri, iiſdem vtuntur herbis. Hedera ſepulchra, ac muros rumpens penetranſque, eroſis dentibus inditur, qui frangi, rumpique poſtulant; proximis cera munitis, ne lædantur, ex Plinio. Gummi etiam quærunt in hedera, quod vtiliſſimum dentibus promittunt. Cedrus magna naſcitur in montibus inter ſaxa: cauis dentium indita cedria, eos frangit, ac dolores ſedat. Chamelæon in cliuoſis tractibus, ſiccis, & maritimis naſcitur: radix conciſa, ac aceto decocta, ſcriptorio ſtylo feruens admota, dentes frangit.

Animalia, quæ lapides vorant, ad calculos valere;

CAP. XXI.

VT ſaxifragæ plantæ in ſaxorum interueniis naſcentes, ſe eorum ſucco paſcentes, poſſunt & ſaxa, vel calculos in renibus & veſicis frangere; ſic animalia quæ lapidibus veſcuntur, interna ſua natura comminuere eos, & concoquere poſſunt, eandem vim ſortiri, non eſt à ratione alienum argutari; videamus nunc ſi aliqua menti occurrunt exempla ex animalium hiſtoriis, & Medicorum, quæ hanc coniecturam certiorem reddere poſſint. Struthiocamelus ferrum deuoratum concoquit: lapides deuoratos in omaſo prope reticulum aſſeruatos concoquit, ex Æliano: ventris cortex interior ſumptus, calculum diſſoluit ex R. Moſe. Gallinacei arenas, & lapillos ingluuie ſua deuoratos diſſoluunt: ob id lapillos, qui in gallinaceorum veſica (ventre: nam veſica carent volucres) inueniuntur, conteri, & potioni inſpergi aduerſus calculos iubet Plinius. Columbæ lapillos vorunt, & propter ſtomachi feruentiam concoquunt, vt & turtures: fimus vſtus ex mulſo propinatus calculoſis, facit, vt per vrinam excernantur, ex Galeni Euporiſto. Corui, & cornices multiplici cibo vtuntur, vniuerſis ſeminibus & fructibus, ex Macrobio: in cornicum ventriculo ſæpius lapillos offendes, quos vorãt, & coquunt: quorum fimus inditus cauis dentium, eos frangit, Sextus: ob id auguror & lapillos in veſica rumpere poſſe. Paſſer Troglodytis, paſſerculus minimus, iuxta ſepes &

muros victum quæritans, animalculum hoc omnium auicularum minimum, ea excepta, quæ regulus appellatur, & breues volatus facit, naturalem vim omnino admiratione dignam habet ad calculos comminuendos, hieme apparet, potest sale conditus seruari: crudus, & coctus in cibo acceptus morbum sanat, & ab eius vsu nunquam amplius ab ea affectione vexatur: eius puluis idem efficit, si deplumis in ollam coniicitur, ac deinde, operculo addito vritur, animaduersione assidua habita, vt in cinerem reducatur, & ne in aeream exhaletur, aut vi ignis consumatur, exhibendus cum modico phyllo, aut pipere admisto, vt sapidior fiat, ex Aetio, Ægineta, Philagrio & aliis.

Plantæ, quæ super alias plantas viuunt; docent quomodo earum virtutes extrahi possint; CAP. XXII.

QVemadmodum herbæ super lapides, ita & super arbores nascuntur. Sed qui per herbas super alias herbas nascentes, viuentesque nobis Natura demonstrare voluerit, sedula vestigatione suscitandum est. Natura enim, vt diximus, quum aliquid contra perpetuas suę institutionis leges insuetum exhibet, non fortuito, sed eximium aliquod, & cœleste munus exhibituram, latentesque diuitias ibi te non latere admonituram, suspiceris velim. Nobis vero anxij animi, & mirabundis, quid statuendum foret alternantibus nec potior, nec verisimilior occurrit ratio, minus alioquin aptiorem locum nacturis in vniuerso opere, quam hoc. Sed profecto paradoxum videtur, & contra Naturæ leges sancitum, quod plantæ absque radice viuere valeant; ac si diceret quispiam sine ore, aut ventre hominem viuere posse. Sed hæc in duplici differentia sunt; aliæ vero sine seminio, & radicibus natæ in alienis arboribus viuunt; eximium sane Naturæ opus, non tam raritate, quam specie visendum, vt viscum, muscus, lichen, & similia; aliæ capillamentis, quasi clauiculis, & statuminibus finitimas plantas amplexantes, complexantesque earum succum depopulantur, & melius alimentum nactæ, relicta suapte, qua adoleuerant radice, alieno fruũtur genio, vt non suis sedibus exemptæ, sed ibidem natæ videantur, vt cassuta. Aliæ

namque alienis radicibus adnascentes, spuria proles, vt hypocistides, hippogenistæ; vel caudicibus, vt agaricum, fungi, gallæ super frondes; excrementitia quippe, sed aspectu perquam miro, & eleganti. Coniicio quod plantæ ipsæ terrestri succo, fæculentoque viuere nescientes, expurgatiori, ex imo ad celsiores ramos subrecto humore victum ducunt, vtpote aereo, & maximæ tenuitatis. Succus enim, vaporque viuificus arbori insitus, per tempestiuos, & genitales Soles maturatus, subrectusque per latentes trunci poros, & per corticis meatus illabens in plantam, purius, elaboratiusque ministrat ālimentum; nec aliis viribus eas pollere puto, quam iis, quib. subiectæ pollent plantæ. Id tamen inter eas discriminis, quod subtiliori, & penetrantiori vi sint, vt excoctam materiam vi caloris trans alembici syphones exspirans vapor, exstillansq; vertitur in subtiliores, & limpidiores latices: ob id consulto fiet, si quid thymi, aut alterius plantę esu, vel vsu medico imbecillioris, & nauseabundæ naturæ ægroto propinandum sit, è cadyta euulso surculo, thymo vel aliis plantis iniecto; non multo intercepto tempore, viuēs illa, & ex ea humorem hauriens, ægro exhibens, voti fiet compos. Hæ plantæ *parasiticæ* dici possent, quod semper aliena victitent quadra. Cassuta quum suam sedem non habeat, in aliena viuit; numerosa cirrorum cæsarie implicat astantes herbas; vbi se super thymum implicuerit, illi radiculæ exarescunt, alimentum vberius nacta, multis osculis, quasi synastomosice eius succum depopulatur; vnde proprias vires non habet, sed è sinu cuius vernaculum ebiberit humorem, eiusdem parentis ingenium refert; vnde eiusdem thymi facultates refert, sed purgatiores, penetrantioresque, ob id Galenus, valentius, quam thymum atram bilem excernit. Item circa Tempe Thessalica, quæ *polypodion* vocatur, & quę dolichos, ac serpyllum, oleastro quoque deputato, quod gignatur, vocant phaulos; quod vero in spina fullonia, hypophestion, ex Plinio. Viscum in quercu & terebintho nasci dixit Theophrastus; & Dioscorides robore, ilice, siluestri pyro, pinu, abiete, Plinius; nobis visum in amygdalo, castanea & sorbo. Diuersis valet facultatibus, præcipue

iis, quibus pollent subiectæ arbores. Galenus; ex plurima aerea qualitate, quia ex elaboratiori succo subiectarum arborum viuit. Polypodium quia potissimum vetustissimis arborum caudicibus & præsertim quercuum nascitur, ob id maxime exsiccat, vt quercus, sed magis extenuat, quia tenuiori succo viuit. Prætulit Mesues illud, quod in arborum caudicibus gignitur, quam illud, quod solo, aut muscosis lapidibus innascitur; nam suo incocto humore ventriculo nocet. Muscus è variis arboribus dependet; Dioscorides cedro, populo, quercu; Galenus picea & larice nasci dixit; optimum cedrinum, minus populneum; quia cedrus refertior est viribus populo: & in Italia melior qui in larice, quia astringentibus arboribus nascitur, astringentis est virtutis, quam in populis, quum astringendi vim inualidam habeat; qui in cedro reperitur, digerendi, & emolliendi facultatem habet. Lichen nascitur in petris, vt muscus arboribus, vt *petreus muscus* dici possit: Galenus exsiccanti, & abstergenti facultate pollere dixit, quod petræ siccitate viuat. E media cisti radice, hipocistus, velut infixa pullulat, & si cisto vis astrictiora, hipocistus astringentior, atque siccantior, orbanche æmula, fungosa sobole. Agaricum caudicibus arborum innascitur, & præ- 20
fertim larice, vires laricis habet, & cedri, quibus frequentius adnascitur, vel quercus: Galenus ex substantia aërea constare. Eiusdem etiam conditionis, & qualitatis hedera, fungi, & similes, quos diximus.

In mundi locis, vbi aliquod malum, ibi & remedium nasci;

CAP. XXIII.

DIXIMVS considerandas esse maxime loca, in quibus plantæ nascuntur, scilicet saxa & arbores: nunc prius quam ex his locis discedamus, inter cætera, aduertendum, considerandumque à Naturæ rerum vestigatoribus, vt eis secreta pandantur, ex luculenta ipsius benignitate loca considerare: nam vbi malum aliquod vel morbus, ibi & proxime à Natura remedium opportunum exhibetur. *Vbi fuit culpa non defuit gratia.* Orpheus ad id:

Ipsa terra nigra multisonis hominibus

Generæ

Generat malitiam, & doloris auxilium vtriusque,
Terra quidem reptilia generauit, genuit q; super ipsa auxilium.

Nunc in locis ostendemus, nam de herbis & animalibus iam diximus. In quibus enim aliqua fuerint pernicioſa & exitialia, non longe ab iis remedia absunt, ne longius à nobis sint emendicanda. A mundi locis incipiemus: nam si aliqua fuerint, in quibus lues, aut morbus aliquis grassatur; remediis non destituta esse ne ambigito. In occidentali India passim omnes venerea lue corripiuntur, estque peculiare earum insularum malum, vbi nullam aliam, quam solius guaiaci ligni opem adferentes, sese ab huius morbi noxis vindicant, huic ligno non rebellans vitium cedit. Africa serpentum feraciſſima, vbi *scorzonera* vocata nascitur, & aromata, quorum vsus aduersus serpentes. Melitæa Italiæ insula, serpentum abundantissima, nascitur ibi lapis aduersus earum venenum. In Thessalia serpentes tanto numero generantur, vt nisi à ciconiis perimerentur, incolas excedere, & tota regione migrare coegissent; quo circa honos tantus in Thessalia est ciconiis, vt eas occidere sit capitale. In Agro copia serpentum nascitur, contra est illis aduersus scorpiones pugna, vt cum scorpionem viderint, insurgant in eum, & interimant. Pado innascitur succinum, annexæ causæ videtur causa, hodieque transpadanis agrestibus fœminis monilium vice succina gestantibus, & maxime decoris gratia, & medicinæ, quando tonsillis credatur resistere, & faucium vitiis, vario genere aquarum iuxta illos infestante guttura, ac vicinas carnes, è Plinio. Magno mari marinum leporem nasci ait Ælianus, ad quem si quis manum admouerit, aut bacillo tetigerit, perit, ac si basiliscum tetigisset: radicem ad idem mare nasci ferunt, haudquaquam vulgo ignotam, quæ animi defectionibus illius, qui sic affectus fuerit, medetur: naribus enim admota, facit, vt reuiuiscat, & recreetur; si negligatur, tam robusta pernicie prædita, vt ad mortem vsque morbus procedat. Achates lapis nascitur in Sicilia, iuxta fluenta eiusdem nominis; vtilis est contra ictus scorpionis, & cum eo scorpionum pestis exstinguitur. Leontophonos herba nascitur vbi leo-

nes maxime in homines sæuiunt, quos occidit. Dryinus serpens sub quercus radicib. nascitur, fructus ex omnium glandiferarum arborum genere, & tusæ radices contra illius ictus auxiliantur, ex Dioscoride. In Apulia genus phalangij viget, *tarantula* vulgo dictum, cuius morsus pernicioſissimus; nascitur & ibi copioſissimum frumentum in quo & cantharides oriantur: Nos hac contemplatione imaginati sumus, tres, vel quatuor in potu datas, succurri posse ab eo demorsis; nec fefellit experientia; nam verum compertum est periculo facto. In Æthiopia gens, ore concreto, & naribus carens, vno tantum foramine spirans, quod auenæ calamo trahit, & grano eiusdem auenæ sponte nascentis, ad vescendum vtuntur: ex Plinio. Ad extremos fines Indiæ orientalis, circa fontem Gangis Astomorum gens sine ore, halitu tantum viuens, ex odore, quem naribus trahant tantum, radicum, florumque vario, & siluestrium malorum, quæ terra fert abunde, & secum portant longiori itinere, ne desit olfactus, ex Plinio.

Tempore, quo necessariæ sunt, plantas naturam producere, & primo de vere; CAP. XXIV.

VT loca, ita etiam tempora suis remediis non destituit Natura, vt illis morbis occurri possit, qui eo tempore oriantur: vnde solertes arcanorum exploratores non leue principium nanciſci poterunt ea inuestigandi, quum tempus diligenter obseruauerint, quo res Natura producere solet: nam si alio tempore, quam necesse fuerit, produceret, frustra id ageret. Idem tempus morbi, & plantæ considerando, quæ eo tempore nascuntur, vel vegetant, non leui coniectura ad eos valere argutemur. Quod videtur Plinius animaduertisse, inquiens: Quædam quoq; animalium remediis nascuntur locupleti diuinitate ad gerenda præsidia; vt non sit mirari satis ingenium eius, disponentis auxilia in genera, in causas, in tempora, vt aliis prosit atque aliis horis, diesque nullus prope sine præsidiis reperiatur. A vere, anni initio, incipiemus. Theophrastus loquens de floribus anni toto tempore nascentibus, ait: Florum prima viola alba se ostendit, emicat vbi cœlum clementius, statim enim nondum hieme exacta, vbi

vero immitius, postea. Vere nonnunquam cum viola alba, aut paulo post lilium exit, & quæ viola flammea vocatur; hæc cęteris omnibus quibus coronarij vtuntur, longe præcurrunt. Post hæc narcissus sequitur, vitiflora, & nigra viola; è siluestribus aurelia, & genus fremij, quod *limonium* vocant, & pugio, & hyacinthus. Rosa hisce serior est, nouissima quidem erumpit. Hippocrates in aphorismis morbos enumerat, qui verè prouenire solent. Vere quidem furores, melancholiæ, morbi comitiales, sanguinis profusiones, anginæ, grauedines, lepræ, tusses, impetigines, alphi, pustulæ vlcerosæ, tubercula, & articulorum dolores accidunt. Vere sanguis crescit, vigetque; rosa eo tempore floreścit, flos sanguinem expurgat, quo maxime vere indigemus. Melancholiæ verno tempore fiunt, non quod eo tempore generentur, sed quod hieme procreatæ, ac corpore delitescentes, veris caliditate diffusæ, melancholiam, & furorem pariant, betonicæ folia hausta ad melancholiam valent: datur & maluæ succus potandus melancholicis, & insanientibus vtiliter sex vnciarum pondere. Buglossi vis magna ad melancholicos effectus; eius decoctum ex vino propinandum. Melissophyllon atrabilares vapores à spiritib. eiicit, & sanguine, ex Auicenna. Comitiales morbi etsi verno tempore deteguntur, hieme generantur, propter pituitam è capite natam, ac vere commotam, diffusamque. Populi nigræ semen potum ex aceto comitialibus vtile est, quod vere fundit. Betonica medetur comitialibus ex aqua pota; sic plantago, sinapi, scilla, coniza, vitis alba, nigræ viticulæ, quæ primo partu erumpunt; achillis altera ex oximelite pota, caryophyllorum flores, galangæ succus, heliochrysos. Ad tonsillarum inflammationes morus valet; purpureæ violæ ad anginas. Cutis vitia emendat, & lepras tollit thapsia, narcissus, vitis siluestris, bryonia, lupinorum decoctum, lapathum, xiphia. Ad lepras, vlmi folia, brassicæ, sinapi, nasturtium, ranunculus, ex Galeno, & lilium. Impetigini, & serpentibus vlceribus rhamnus illinitur, plantago, gentiana, scabiosa, lupulus, & narcissus. Tussi medetur tussilago, dracunculus, asphodelus, scilla, marrubium, helxine, hyo-

scyamus, bryonia, phu, & arum. Nascuntur vere etiam arbores & herbæ, quæ serpentum morsibus medentur. Fraxinus contra serpentes, succo expresso ad potum; & imposita vlceribus, opifera, ac nihil æque reperitur; tantaque est vis, vt ne matutinas quidem, occidentesue vmbras quam sunt longissimæ, serpens arboris eius attingat, adeo ipsam procul fugiat; si fronde ea gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potius, quam in fraxinum fugere serpentem. Mira Naturæ benignitas, quæ priusquam hæ prodeant, florere fraxinum, nec ante conditas folia dimittere voluit. Miraculum est dracunculi exeuntis à terra ad primas serpentum vernationes, rursusque cum eisdem se condentis in terram: nec omnino occultato eo apparet serpens, vel hoc per se satis officioso Naturæ munere, si tantum promoueret, tempusque formidini demonstraret, ex Plinio. Signa sunt tot herbæ, & arbores, fruticesque ab emersu earum ad latebram vsque vernantes, & vel fraxini tantum folia, nec postea nascentia, nec autem decidentia. Ari nidore, cum crematur, serpentes, & priuatim aspides fugantur, aut inebriantur, vt torpentes reperiantur. Trifolium asphaltites, immo tradunt totius fruticis, radicis, foliorumque decoctum, fotu dolores eorum finire, quos serpentes percusserint; qua autem aqua sanatus quis fuerit, si ea quispiam alius foueatur, qui vlcus habuerit, perinde afficietur, vt à serpente demorsus. Dracunculum habentes, serpentes fugiunt. Abrotonum serpentes nidore, & substratu fugiunt. Sic pulegium, origanum, rubus, chondrilla, anagallis, ferula, aparine, anchusa, echium, coniza, marrubium, nasturtium, serpillum, melanthium, heliotropium, elaphoboscon, fœniculum, ampeloprason, allium, beta, heliochryson, herba sacra, papauer, eupatorium, asphadelus, lilium. Sic oxylapathum ad scorpiones, malua ad phalangios, & vespa-
rum ictus.

Quæ æstate nascuntur plantæ, ad æstatis morbos valent;

CAP. XXV.

ÆSTATE febres continuæ, & ardentes (idem Hippocrates) & tertianæ plurimæ, & quartanæ; vomitiones &

alui profluuia, lippitudines, aurium dolores, oris exulcerationes, genitalium putredines, & sudamina accidunt. Hi præsertim morbi ex flaua bile ortum habent, quæ æstatis tempore coaceruatur in corpore. Herbas, quæ flauam bilem educunt, & quæ æstate vigent, enarremus oportet, ad quod maxime Natura intendit. Aloe æstate succum emittit, colligiturque; Galenus bilioſarum affectionum optimum pharmacum esse dixit. *Thlaspi* Iunio fert semen, quod vtrinque bilem extrahit; eodem modo lychnis, androsæmon, ricinus, lacteus succus incisi thapsiæ caulis, tithymalorum, & lathyris succus, qui æstate extrahitur, cucumis agrestis, sambucus, ebulus, heliotropium. Sic floreſcentis absinthij ramuli bilioſos ventris humores per inferna egestionem propellunt, ex Galeno: idem herba & flore origanum. Ad tertianas febres & quartanas trifolij asphaltites terna folia, & quaterna, hipericum, sacra herba, heliotropium, portulaca, centaurium minus. Ad alui fluores valent chondrillæ succi, anethi, orchidis Serapidis, althæa, aliſmæ, polygoni, clematidis, lagopi; anchusæ, phœnicis, iunci seminis, papaueris nigri, verbasci, vuæ austeræ, virgæ aureæ, mespili, sorbi, pyri siluestris; oculorum lippitudines sanat portulaca, plantago; oculorum distillationibus conferunt pini genera, fœnum Græcum, vinum austerum, in quo ophiogloſſon fuerit coctum, euphragia. Aurium doloribus valet populorum succus instillatus, salicis, betæ, vtriusq; dracunculi, porrum cum lacte, origanum, melilotus, peucedanum, aparine, marrubium, canabis, polygoni, helxinæ, hyoſcyami, hortensis solani, maluæ, & sambuci.

Ad humanam naturam refrigerandam, humida æstate Naturam genuisse; & herbas ad Venereas alacritates; CAP. XXVI.

GALENVS Naturam humidos fructus, & aquoſos æstate genuisse dixit, vt eorum pulpa internam homo naturam refocillet, tunc Sirij caloribus langueſcentem. Theophrastus humida plerunque æstate germinare prodidit, inquiens: Quæ autem contrariis temporibus germinant, his nonnulli causam humiditate, caliditateque assignant; frigida enim æstate, calida hieme germinare autumant, vt vtraque natura

conuenienter temperata vtrique tempori sit. Ita enim Clidemus censet: haud igitur male id quoque asseritur, sed paucitatem, & debilitatem, & si quid aliud in causa sit, adjicere decet. Producuntur æstate melopepones, qui pro temperamento humectant, ac simul refrigerant, generantq; in epate aquosum sanguinem, qui flauæ bilis feruorem, & malitiam coerceat. Altera species non solum refrigerat, sed è suo semine extractus cremor febrientibus vtiliter propinatur. Cucumerum etiam frigida, humidaque temperies, & aquea substãtia: si febricitanti infantulo paris longitudinis coaptatos cucumeres dormienti accommodaueris, & quasi condormire feceris, statim sanabitur; nam calores omnes febriles in cucumeres transibunt, ex Quintiliorum scriptis. Sunt & anguriæ eiusdem familiæ; animo deficientibus propter calorem iuuãt. Cucurbita humidæ & frigidæ qualitatis, esu humida est, & sitim propellens; maxime omnium humidorum ciborum humidum corpori præbens alimentum: eius ramenta infantibus contra capitis ardorem, quem *syriasin* vocant, sincipiti illinitur; succus ex ramentis aurium doloribus auxiliatur, adustiones cutis in ardenti febre illitu adiuuat; folia recentia illita muscas arcent; oleum ex eis paratum ad renum calores extinguendos, & capitis dolores, ex ardentibus febribus exortos. Lactucæ natura refrigeratrix est, & æstate nascitur, sitim extinguit. Mora præsertim alba æstatis principio corpus humectant, & si frigida assumantur, refrigerant. Pruna omnia frigida, humidaque, sed quæ dulcia, minus frigida. Sunt & aquosi fructus quamplurimi, vt pruna, mala, persica, pyra, ficus, vuæ, & similia, quæ non nisi ad humectandum à Natura, vt diximus, generata. Æstate quia viri ad Venerem languidiores, herbæ nascuntur Venerem adiuuantes, Scolymon Venerem stimulat in vino, Hesiodo, & Alcinoo testibus, qui florente ea, cicadas acerrimi cantus esse, & mulieres libidinis auidissimas, virosque in coitum pigerrimos scripsere: veluti prouidentia Naturæ hoc adiumento valentissimo, ex Plinio. Sunt & alia, quę frequenter æstate proueniunt, quæ ad eadem valent, eruca largius sumpta, dracunculi maioris radix, af-

phodeli,nasturtium,porrum,bulbi decocti,manducatiq;, vrtica,gladiolus,menthæ succus,pastinaca erratica,testiculi,satyrij,horminum,fraxini semen,dauci, mala insana elixa, largo pipere deuorata,cicera in cibo data, rapum, siser, cinaræ, ferulæ corculũ,& similia multa alia,quę longũ esset recẽsere.

Æstiuo tempore herbas nasci ad canis rabiosi morsum, qui tunc in rabiem agitur; CAP. XXVII.

ADVRENTE siderei canis æstu, in feram rabiem aguntur canes,multas tunc temporis prouida Natura opportunas herbas producit, quibus eiusmodi morbo tam perniciali occurri possit. Alyssum æstate prouenit : contusa in edulio rabiei canum medetur, ex Dioscoride. Galenus;hãc sub caniculæ æstu colligere oportet; exsiccata contundi, cribrari,& seruari,ne diffletur, & ob id nomen *alysson* dictum. Ad victus rationem commendat Dioscorides alliorum, porrorum, & ceparum cibos,quæ tunc temporis vigent, & terra eruuntur. Aetius commendat ad id fœniculum,scandicem,& cichorium agreste,palustrem asparagum & hortensem, & agrestem rumicem. Auicenna pro deiectoriis medicamentis vtitur vtroque veratro,epithymo,sena, fumaria, & thapsia. Panax valet contra bestiarum morsus,quæ in rabiem efferantur, sic & ballotes. Pulegium olfactu capita tueri contra frigorum, æstusue iniuriam,& à siri traditur,neque æstuare eos,qui duos è pulegio surculos impositos auribus in Sole habeant, ex Plinio. Psyllium æstate floret,vigetque;fama est,si virens domũ importetur,non sinere in ea pulices gigni. Sic & coniza, quæ suffitu,& substratu culices abigit,& pulices necat. Cucumeris siluestris radix,aqua marina rigata,melanthium aqua maceratum, cuminum siluestre tritum, & aqua mistum, populi nigræ folia, & tribuli, ex Pamphilo. Abigit culices nigella suffitu. Si canabis humidæ ramum florentem iuxta te pones dormiturus, culices non te attingent; fugantur origani & aceti nidore, ex Democrito. Foliorum sambuci decoctum, muscas respersum fugat,ex Beritio.Siluestris item cucumeris succus in lectis positus, cimices fugat; sic capparis folia olio dissoluta; sic staphydis siluestris acetabulum,ex Didymo.

Quæ nascuntur autumno plantæ, ad eiusdem temporis morbos valere;

CAP. XXVIII.

HIPPOCRATES de autumni morbis loquens ait: Plurimi morbi autumno fiunt, febres quartanæ, atque erraticæ, lienes magni, aquæ intercutes, tabes, vrinæ stillicidia, leuitates difficultates intestinorum, coxæ dolores, anginæ, asthmata, ilei, morbi comitiales, furores, & melancholiæ, quia tunc atra bilis prævalet, ex qua eiusmodi morbi oriuntur; ideo ad eius euacuationem accingemur. Niger elleborus tempestiuus fit autumno, intempestiuus vere, ex Theophrasto. Dioscorides atram bilem, flauamque ex toto corpore deorsum trahit, ideo febribus circumcurrentibus, & diuturnis propinatur. Epithymum melle haustum, valentius cæteris medicamentis atram bilem excernit, efficax ad morbos cerebri, melancholiam, epilepsiam, & lienis affectus, æstate florens. Mandragoræ succus duobus obolis ex vino potus, vt veratrum, per vomitionem atram bilem extrahit: æstate extrahitur succus, sic & origanum potum in aqua mulsa. Pulegium æstiuo solstitio florens, sparthium, ocymum, melissophyllon. Lienosis medetur vrticæ semen cyclamini radix, capparis potus, rubiæ, semen xyridis, periclymeni, anchusæ decoctum, aristolochia, bryonia. Comitialibus prodest papaueris spumei semen, quod æstate colligitur. Hydropicis cucumeris siluestris succus, bulbi, qui æstate vigent, ricini grana, sic & scillæ delinctus ex melle.

Hieme nasci plantas, quæ hibernis morbis valent;

CAP. XXIX.

PLEVRITIDES hieme veniunt, ex Hippocratis traditione, pulmonis inflammationes, lethargi, grãdines, raucitates, tusses, dolores pectoris, laterum capitis vertigines, & apoplexiæ. Hoc tempore pituita abundat, opera danda, vt primo ea euacuetur. Iridis radix pituitam purgat, quæ hieme suffoditur; sic cyclaminus, quam tunc vigere ostendunt flores, aloe, daphnoides, quæ hieme viret, Thymelæa & chamelæa eodem vigentes tempore. Comitialibus datur bryonia, & vertigine laborantibus, hieme sub terris vigens. Ad tussim

iris efficax, iuniperi baccæ commodissime bibuntur, autumno maturantur, hieme durant, cedrides etiam. Siccæ ficus veteri tussi, diuturnisque pulmonum vitiis medentur. Tussilago hieme virens, radicula, asphodelus, allium, scilla, quæ hieme asseruantur suspensæ. Ad humanam enim naturam excalefaciendam hieme calida gignuntur. Theophrastus eos fructus hieme produci dixit, qui calidi sunt, nam ex Cleodemo, hieme calida generari autumauit. Sero maturantur fructus, quibus lignosa pulpa prædura, vel qui ligneso septo, numerosoque putamine continentur. Ad hæc quibus succi pingues, aut quibus sicci fructus, parumque humoris habentes. Quæ perpetuo virent, fructus sero perficiunt: frigiditas enim, & siccitas, & multitudo, & terrena concretio, confici & matureſcere quam difficillime possunt, vt pyrorum siluestrium, & glandium. Quia hieme stomachus calidior, ideo pingue, & durioris concretionis conficere potest. Raphanus hieme prouenit, & excalefacit. Siser etiam excalefacit, rapum siluestre, & satiuum, napus, pastinaca vtraque, satiua & siluestris. Bulbi etiam hieme deuorantur, quum vere in caules exeant.

Plantæ, quæ pluries, aut diutius florent, ad eos morbos valent, qui pluries eueniunt; CAP. XXX.

SI vera sunt, vt vera esse censemus, quod earum plantarum, quæ eo tempore florent, aut vigent cum morbi grassantur, necessarius sit vsus; sequitur verum esse, quod biforæ, triforæ, multiforæque ad eos morbos valent, qui pluries eueniunt, nec statum habent tempus hominem inuadendi. Theophrastus ocimum per partes florere dixit, vnde fit vt diutius floreat; sic heliotropion, & cichoriū. Caltha est flore luteo, emicat singulis mensium Kalendis, qua dote verisimile est sic nominatam *kalendulam*, quod omnium mensium kalendis flore comperiatur, atque hinc fit, vt aliqui *florem omnium mensium* appellent: cuius flos è vino potus, cit menses, secundas etiam mirifice educit, & arida suffitibus admota, sexcentis fœminarum periculis factis. Senecio diutine floret, cum primum seneſcit, alius atque alius subnascitur: idque per totam hiemem, vereque assidue vsque ad æstatem factitatur,

vt ex Theophrasto habetur: apud nos vocitatur *flos cuiusque mensis*: hæc herba remorantes mẽses solet. Picris toto anno floret: mulierum purgationib. decocta in aqua adeo prodest, vt emortuos partus extrahat. Rosmarinũ coronariũ bis in anno floret, vere & autumno; nostris autẽ regionibus continuo fere florere videmus, & præcipue vbi annus indulgentior est: ex Arabum doctrina menses ciere nouimus. Terni florũ prouentus spectantur in scilla; pancratiũ eius species in vino bibitur propter menses ciendos. Asphodelon bis anno florere memorat Nicãder in suis Theriacis: pota radix mẽstruis prodest. Iberis sẽper floret, valet diuturnis ischiadicis doloribus.

Perpetuifolias plantas ad eos morbos valere, qui omni tempore humano corpori possunt euenire; CAP. XXXI.

DIXIMVS stirpes, quibus folia cadunt, statis temporibus, & opportunis folia, fructus, & semina proferre; veniunt subnectenda perpetuo virẽtia iis morbis opitulari, qui omni tempore euenire possunt; nec ab re à natura factum, vt quibus temporibus eis indigeamus, ad manus illico habere possimus. Pinus hepaticis, ambustis, & vlceribus summum corpus occupantibus prodest, suffitu partus, & secundas eijcit, aluũ sistit, vrinam mouet, inflammationes lenit, dentiũ dolores mulcet, vulnera ab inflammatione vindicat. Lentiscus ad sanguinis reiectiones, dysenterias, & ruptiones sanguinis è vulua valet, fracta ossa ferruminat, decoctum caua explet, vrinam pellit. Cupressus vrinæ difficultati, & narium polypo medetur, scabros vngues eijcit, hernias reprimit, vulneracõglutinat, sacris ignibus, carbunculis, & stomacho fert opem. Iuniperus ad inflammationes, & tormina valet, ruptis, conuulsis, & vuluæ strangulationi subuenit, & lepris. Laurus vuluæ, & vesicæ vitiis, & vesparum ictibus auxiliatur, & scorpionum, ad neruorum lassitudines, & calculos, & partus eijcit: valet contra tonitrua & fulgura; ob id oportebat nobiscum semper viuere, vt ab iis nos tutos redderet. Myrica ad morbum regium valet, vrinas inhibet, dentium doloribus, mulierum fluxionibus, phthiriasi, lendinibusque prodest, & anheloſis. Aquifolia ad articulorum duritiem, ossa fracta ferruminat, & aduersus hie-

mis fulgura, & veneficia arcet, ex Plinio. Scilla, herba ſacra, rhamnus & ſimilia, diutius aſſeruata viuunt, vt domi appenſa, eam ab omni veneficio tueantur. Olea, oleaſter, & phyllirea, ignem ſacrum, vlcera ſerpentia, ſordida & depaſcentia, carbunculum, cutem euulſam, ſanguiniſque eruptiones ſanat, cœliacis, oculorũ vitiis prodeſt; ad furfures, ſcabiem, ſcabros vngues, gingiuas, & putredines præſtat. Laudanum ora venarum aperit ſecundas deijcit, vuluæ damna ſanat, cit vrinam. Palma vulnera glutinat, ſtomachicis, dyſenteriis, veſicæ vitiis mire valet, ad calliblephara, corporis excreſcẽtias; vulnera ad curationem producit, luxatos artus committit, prodeſt præcordiis, renum, viſcerum, & veſicæ vitiis. Myrtus contra ægylopas, & crapulã valet, ſedis & vuluæ vitiis, purgat furfures, & vlcera capitis emanantia; oſſa ferruminat, teſtium inflammationem, cardiacorũ ſudores cohibet, paronychiis, & pterygiis medetur. Siliquæ vrinam ciunt. Præſtantiſſima citriorum vis contra venena, oris halitũ commendant, ventriculum roborant, contra peſtis contagia & peſtilentes febres valent. Hedera ambuſtis, dyſentericis, lienoſis, & omni vlcerum generi, & cutis vitiis prodeſt: conceptioni inimica, menſtrua & partus extrahit. Ariſtolochia pota, menſes, partus, & omnia vuluarum vitia eijcit; ſingultibus, ſuſpiriis horroribus & cõuulſis prodeſt; aculeos, ſpicula, & oſſium ſquamas extrahit, putrida vlcera exeſt. Perpetuifoliæ plantæ etiam alopecias ſanant. Quia capitis decor omni tempore amitti poteſt, oportebat plantas eas, quæ illi ſuccurrere debuerant perennes eſſe, vt tempore opportuno ſuccurri poſſit. Præterea ſi ad ſimilitudinem referre licet, diximus frondes capillis proportione reſpondere; & ad perpetuandam capillum perpetuifoliæ plantæ neceſſariæ erant. Myrtus fluentes capillos cohibet, palma vero palpebrarum defluuia, laudanum, aloe, abrotonum alopeciis accommodantur, ex Galeno: adiantum, & eiuſdem generis trichomanes, ſilueſtris olea capillum capite euulſum cohibet, & glutinat: olea ad capillos, & caluitiem valet, ex Auicenna,

IO. BAPTISTÆ PORTÆ NEAPOLITANI PHYTOGNOMÓNICORVM

LIBER VII.

PROOEMIVM.

IAM *ad plantarum mores superuecti sumus (etsi plantas mores habere neget Theophrastus) tertium nostræ partitionis membrum, quod initio spoponderamus. Græci τὰ ἤθη dicunt; etsi in animalibus perspectius dignoscuntur, in plantis obscurius, inuentuque difficilius admodum: vnde ex animalium, plantarumque moribus vtvi sint, multa ad mortalium mores, vel propensiones emendãdas demonstrabimus. Sed animum inclinare duplici modo intelligere possumus; vno, quo ad metum, hilaritatem, tristitiam, & alias eiusmodi passiones; altero quo ad amorem, ōdium, honorem & similia inclinatur. Ad tristitiam, hilaritatemque, moueri hominem posse fatentur omnes, quippe medica vi, quæ præstant herbæ, alteratur corpus, ad cuius alterationem commouetur & anima. Hoc modo admonet Theophrastus hominem posse mente moueri, alienarique, & contra. Plinius tradit rationem subtilitatis immensæ à Platone descendentem, cor pusculis rerum leuibus, scabris, angulosis, rotundis, magis* 27
aut minus ad aliorum naturam accedentibus: ideo non eadem omnibus amara, aut dulcia esse. Sic & in lassitudine proniores esse ad iracundiam, & insiti. Ergo & hæc animi asperitas, seu potius animæ, dultiore succo mitigatur. Lenit transitus spiritus, & molliores facit meatus, ne scindant euntem, redeuntemque. Experimenta in se cuique: nul-

sius non ira, luctusque, tristitia, & omnis animi impetus cibo mollitur. Ideoque obseruanda sunt, quæ non solum corporum medicinam; sed & morum habent. Sed virum animum inclinare possint, quæsitum plerisque antiquorum Philosophorum est. Tradit summus plantarum scriptor in Historiis Hesiodum & Musæum tradidisse polium ad omnem rem seriam, magnique faciendam perutile; non minus ad famam, existimationemque bonam. Antirrhinon vtilem ad gloriam, & gratiam vitæ: quæ omnia commenta existimat. Nos hæc signa inuenire aliquibus modis tentabimus. Primo considerandi sunt mores, quos immutare, vel inducere aliis tentamus, quibus animalibus insint; dein ipsius animalis membra, vel illius plantæ partes, quæ ea animalia, vel membra referant, propinabimus. Inuestigabimus præterea quibus planetis subdantur plantæ, ex eorum aspectu, quod sequenti libro præstabimus, & inde vires coniectabimus. Hæc vt omnium difficillima, ita & in eis Naturæ maiestas, & insignia effulgent, & Phytopta multo magis, & multo plura secreta hariolabitur diuini præsidij, hominum vsui, & necessitatibus neutiquam posthabenda. Vocamus animalium mores, salacia esse, casta, voracia, loquacia, tacita, & eiusmodi talia. Demonstrant plantarum partium similitudines animalium vires, ita volente Natura: sed animalium mores aliquos aperiemus. Sed ingeret se fortasse quispiam, quomodo quis vnquam animalium mores contemplabitur? quis in deserta, & auia mundi loca cum hyæna, rhinocerote, crocuta, tigride, & panthera, feris & immitibus animalibus diu vixerit, vt eorum morum perpetuus obseruator esse possit; quis in profundo Oceano assiduus piscium scrutator esse poterit, & quæ imis sub scopulis, algis, vel arenis faciant, obseruabit; quum piscatores, qui continuo in mari versantur, vix pauca de his loqui audeant? vnde si hominum, cum quibus versamur, & viuimus multos salis modios prius edendos monet prouerbium, quam mores intimos pernoscamus, quomodo nobis animalium innotescent mores, si cum eis non tanta intercessit societas? Cui ita respondendum diximus: Tantam esse hominis frontis, & verborum simulationem, vt sæpissime illius morum cognitio nos fallat; secus autem in brutis, quæ quum vitij, & virtutis electione careant; facile ex simplici obseruatione eorum mores liquido cognoscuntur. Præterea multa ex Aristotelis scriptis, Plutarchi, Aeliani, Philes, Oppiani, Athenæi, Plinij, aliorumque de eorum moribus perdiscemus, quæ non parum nobis asse-

runt adiumenti. Nostrarum erit partium, quæ ab his, à nobis, aliisque recentioribus obseruata, enarrare, vt horum virium exploratione freti, cætera ad eruditionis supplementa & nosse possint, & periclitari. Animalia quæ ingenio, & docilitate præstant, ad hominum intelligentiam & memoriam valere;

CAP. I.

SED ad exempla transeamus, à capite per cætera membra discurrentes; & primo quæ sint animalia, quæ humano intellectui proxima, scilicet quæ solertia, calliditate, docilitate, & memoria valent, vt neque intellectus, auctore Plutarcho, neque rationis expertia videantur: nam quæ eiusmodi sunt, facile hominum memoriam, & intellectum augere possunt, partes eas medica parte propinando, vbi sensus, vel intellectus maxime vigent; quæ artes, vt Iamblichus in Pythagoræ vita refert, cor & cerebrum sunt: cor enim nec absumere, nec cerebrum edere, sed ab eis abstinere vniuersos Pythagoreos, quia principia sunt, & tanquam sedes sapiendi, viuendique; nosque frequenti experimento, certissimoque vsurpauimus, & commendauimus. Plinius, sapientissima animalium esse, quæ fruge vescantur. Nos ab elephanto incipiemus, qui sensu; memoria, ingeniique sagacitate reliqua videtur animalia excellere. Intellectus illi patrij sermonis, imperiorum obedientia, officiorumque, quæ didicere memoria. Ad numerum saltare, & cursus tardare ad soni tarditatem, seque remittere ad remissionem tibiæ, rursumque ad acutum sonum propellere, & festinare. Narrat Plutarchus in elephanto hoc potissimum mirari, quod discendo, & doctoribus se præbendo in hominum cœtibus eas in gestu figuras, & varietates effingat, quarum elegantiam & copiam vix ipsa hominum industria, exprimere, aut memoria complecti facile possit: nam Romæ, ad gestus quosdam miros indipiscendos vnum tardioris ingenij, qui hæc ægrius assequebatur, & verberibus sæpe castigatum, deprehensum noctu illa ex sese meditantem, molientemque narrat. Mutianus ter Consul auctor est, elephantum Græcarum literarum ductus didicisse, solitumque perscribere eius linguæ verbis, ex Plinio. Nearchus auctor est, lapidem ad scopum iacere, armis

vti, & optime nare addiscere, funambulum esse, ac subire etiam aduersis funibus, & pronis regredi. Seneca ex Aristotele dicit: Imperata officia addiscere, Regem adorare, & genua submittere, & tam prope ad hominis ingenium accedere, vt non timuerit affirmare Cicero, plerisque hominum sensu, & ingenio non esse inferiorem; ac beluarum elephanto nullam prudentiorem. Vis illa mentis ebori remanet, vt scobem dentis elephanti cum melicrato potam, non parum memoriæ iuuare scripserit Aetius. Simia ad omnia imitanda habilis: omne quod corpore agitur, si doceatur præclare discit, & id ipsum actione repræsentat, ac si saltare doceatur, saltationem assequitur, si ad tibiam canere, canit. Ælianus aurigæ munus obire dixit, habenas abducendi, vel remittendi, & flagello simul vtendi; breui, si quis ad quæpiam instituat, non fallit docentem. Mutianus latrunculis cera effictis lusisse simiam tradit, ex Plinio; ex his cor simiæ assum & aridum potum cum melicrato vetere, acuere intellectum tradidit Rhases. Anseres ad sensus acuti. Ouidius *anseres sagaciorem* dixit. Ex Theophrasto refert Ælianus etiam pueros adamasse. Potest & sapientiæ videri intellectus iis esse; ita perpetuo comes adhæsisse Lacydi philosopho, nusquam ab eo non in publico, non in balneis, non noctu, non interdiu digressus, ex Plinio. Plutarchus in Tauri montis traiectu, calculis satis magnis ora obstruere dixit, vt obstreperam eorum naturæ garrulitatem tantisper compescant, dum aquilam hostem clam præteruecti fallant; eadam Ælianus & Marcellinus; eorundem volatum, quo literam Pythagoræ referunt, ingenio non carere. Simeon Sethi dicit, proprietate quadam peculiari euthymiam, hoc est, ingenij bonitatem præstare iis, qui cum melle & butyro assidue esitauerint; sed vereor de ouis hæc dixerit. Potest eadem in Medicina psittacus, vt ex Medicis habetur. Plutarchus; ipsa docilitate cæteris animalibus patrocinari videtur; cum proferendi humani sermonis, & vocis articulandæ facilem docentibus se præbeat, Plinius. Super omnia humanas voces reddit; quidam etiam sermocinans Imperatores salutat, & quæ

accipit, verba pronuntiat. Admoto ſpeculo propria forma deluditur, & nunc gaudenti, nunc dolenti ſimilis efficitur, homines oſculari domeſticos conſueuit. Auicenna narrat hominem amatum à pſittacho, vt ob eius diſceſſum ſemper langueret auis. Ingenioſi & cerui ſunt, Ariſtotelis teſtimonio; vnde qui poſt lethargum, aut aliquas ægritudines in obliuionem deuenerint, eis maxime iuuat cornu ceruinum ex mulſo potum, ex Aetio. Æque ingenioſa ſunt animalia lepus & cuniculus, quibus eadem caro, & ſanguis. Hyænis ſcientiam & præcipue magicam ineſſe pronunciant Ælianus, Philes, Plinius, & Solinus: nam quodcunque animal ter luſtrauerint, è veſtigio hæret, & quum Lunæ orbis plenus eſt, retropoſito eius fulgore, ſuam canibus vmbram iniiciunt, quos mutos reddunt, & optatis fruuntur. Homini, vel cani dormienti ſuum corpus admouent, ſi ſeipſas maiores dormientes ſenſerint, ſenſibus priuant, manus exedunt, ac conficiunt, ſi ſe breuiores animaduerterint, properant fugere: venantem dextra excipiunt, vt progreſſi veſtigia occupent, & mente alienatum vorent; nam læua capiuntur & ipſæ, ex Zoroaſtre, citata Neſtoris panacea: hyænæ dens ſuſpenſus ſuper dextrum brachium ab humero, vſque ad cubitum obliuioni reſiſtit; vel ſi pes ſiniſter & vngues in linteo alligentur dextro alicui brachio, non obliuiſcetur quæcunque audiuerit, ex Rhaſe & Alberto. Prudentiſſima auis vpupa, ſtercore nidum circumlinit, vt fœtore homines à nidis depellat, ex Ariſtotele, & Æliano. Ad refringendas fores herba quadam vtitur, ſi clauſæ ſint, Ælianus; ac multa alia ſolertiſſime agit: ob id lingua eius ſuſpenſa ſuper hominem nimis obliuioſum, ad memoriam valet, & reminiſci facit, quæ oblitus fuerat, ex Pythagora. Plutarchus in Sympoſiacis perdicis loquacitatem & docilitatem non reticuit. A Papyrio enumeratur perdix inter aues, quæ humani ſermonis enunciationi valent:

Quique refert iungens iterata vocabula perdix.

Athenæus in Laconia perdices vocales haberi dixit: quarum felle ſi ſingulis menſibus tempora perungantur, excitatur memoria, ex Simeone Sethi. Proxime poſt pauonem gloriam ſentiunt

sentiunt galli gallinacei ; imperitant suo generi, & regnum in quacunque domo exercent : dimicant inter se, statim in victoria canunt, æque superba, & ardua ceruice gradiuntur, cristis celsa ; in sublime quoque caudam falcatam erigit, victus occultatur silens, ægreque seruitium patitur, matrice gallina extincta, is ipse incubat, & pullos ex ouo excludit; & tunc silentio vtitur, quod sane sibi conscius sit muliebre munus obire, ex Æliano : cœlum sola auium respicit, nouit sidera, & ternas distinguit horas, interdiu cantu : cerebri substantiam augere eius carnem tradit Simeon Sethi, eumque abunde nutrire, iccirco menti, ac ingenio leuiori prodesse. Idem habetur ex Auicenna, Arnoldo, & cæteris. Castor solers & prouidus describitur ab Alberto, Agricola, & venatoribus, etenim sibi casas in fluminum ripis construit cum aliquibus gradibus, vt aqua fluminis crescente, ascendat, & descendente, descendat : amphibium enim animal, terra & aqua viuens. Arborem, quam eligit secandam ad suæ domus ædificium, & ad escam, non prius relinquit, quam totam dentibus dissecuerit, & prope casurâ, singulis ictibus suspicit, ne opprimatur improuidus. Præterea è suo genere peregrino, vel natu grandiori ad vitam inepto, quum lignatum prodit, super resupinati ventrem ligna imponit, & ne labantur ligna, vt pro vehiculo sit, inter crura artificiose componit, & sic onustum ad casam trahit : ob id iis, qui post lethargiam, vel alios morbos obliuioſi facti sint, cum oleo occiput illitum, vel drachmæ pondere cum melicrato potum, castoreum iuuat, ex Aetio. Vrsi astuti sunt & fraudulēti, vt ne longo quidem tempore cicures fiant, ex Adamantio : si vrsino seuo liquefacto vngatur facies hominis, intelliget, & memorabit quicquid audiuerit, aut legerit. Grues multa prudenter facere dicit Aristoteles : nam loca longinqua petunt sui commodi gratia, è Scythia ad Nilum se conferunt hibernatum, ex Herodoto. Sensuum enim acrimonia valent : quum peragrant, trianguli formam efficiunt, vt aera facilius aduersum secent ; deinde sensim ab vtroque latere, tanquam remis, ita pennis cursum auium leuant. Si sæuit cœlum, & ventus

exoritur, non frontatim; ac lunato globi ſitu volant, quum eſt tranquillum, ſed in cuneum momento ſe traducunt. Si ab aquila ſe impeti perſpiciant, in orbem conſiſtunt, & falcatæ tanquam in aciem ſtructæ pugnæ ſpeciem oſtendunt, quare aquila regreditur. In volatu ad tergum præuolantium colla admittentes, laborem facilem efficiunt, ex Æliano; & prima deficiens incipit eſſe poſtrema. Quum conſiſtunt, cæteræ dormiunt, dux, quæ ſenſerit, voce vigilans ſignificat. Excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede ſuſtinentes, qui laxatus ſomno decidens, indiligentiam coarguat. Sunt qui tradant gruum fel memoriæ lapſui prodeſſe, ex Simeone Sethi. Satis in ſcriptis celebratus eſt pagurus Muſicam amare, & prudentiam, cuius cauſa è collo Dianæ Epheſiæ pagurum olim ſuſpenſum fuiſſe prudentiæ & conſilij ſymbolum referunt ſcriptores: vere quum cruſtam exuit, aculeis, armiſque ſpoliatur, nullos aggreditur, quoad duriuſculam teſtam recuperarit, quod maxime ab Oppiano laudatur: cuius membra ad prudentiam conferre ariolor; ſed eius vires adhuc inexploratæ.

Maxime bruta, & indocilia animalia, ruditatem conciliare;

CAP. II.

CONTRA autem maxime bruta animalia, rudia, obtuſaque & indocilia eſu fatuitatem, & ruditatem imprimunt homini; vt ex iis patere poteſt, quæ Philoſophi de eorum moribus, Medici de eorum viribus experimenta cognouerunt, & nobis præſcripſerunt. Ex terreſtribus animalibus mures indociles ſunt, ex Plinio: carnem muris in cibo ſumptam, magnam obliuionem inferre dixit. Arnoldus. Simplicis ingenij & deſipientes arietes ſunt, vt ex Ariſtotele habetur Animalium libro, & Phyſiognomoniæ. Genus ouile amens, moribuſque inter omnia animalia ſtultiſſimis, repit in deſerta ſine cauſa, & hieme obſtante, quum ſæpe egreditur ſtabulo occupatum à niue, niſi paſtor compulerit abire, non vult, ſed perit deſiſtens: ob id medulla arietis non caſtrati, humanæ naturæ adeo contraria, vt memoriæ functionem aboleat, ex eodem. Aſinus ineptiſſimis eſt moribus, degenere

animo, & ſtolidus, obuiis in via cedere neſcit. Camelus ſimplex animo, nec ab aſino multum degener: Galenus; camelinis & aſininis carnibus veſcentes, non niſi animo & corpore camelini, & aſinini euadunt. Catus immemor eſt, qui coitus gratia in vicinia egrediens, regredi obliuiſcitur; od id qui de cerebro maſculi cati ederit, dementatur fere: meatus enim cerebri obſtruit, vt ſpiritus animales impediat, ne ad poſteriorem ventriculum tranſeant, vnde excluſa memoria, ſine mente efficitur.

Vigilia animalia vigiles homines reddere;

CAP. III.

NOCTVRNA, vel noctiuaga animalia, vigiliam nobis communicant; ob id vigiles, qui eſſe cupiunt, ex eis membra illa requirant, in quibus abeſt ſomnus. Legimus apud Pſellum Platonicum canes, coruos, & gallos ad vigiliam conferre: ſic etiam philomelam, veſpertilionem, & noctuam, atque ex his maxime caput, cor, & oculos, vt eius opinio ab hac noſtra methodo non longe abſit. Teſtatur Heſiodus luſciniam ſolam ex omnibus auibus ſomni expertem eſſe, ſeduloque in vigiliis verſari, ex Æliano in Variis. Luſcinia peruigil cuſtos, quum oua gremio fouet, inſomnem noctis laborem cantilenæ ſuauitate ſolatur: vnde fertur prouerbium à Varino: *Neque quantum luſciniæ dormiunt*; adeo parciſſimi ſunt ſomni, ob id idem Ælianus luſciniæ carnes in cibis ſumptas vigiliam promouere ſcripſit. Plinius cancrorum oculos cum luſciniæ carnibus in ceruina pelle alligatis, vigiliam præſtare, fugato ſomno, tradidit. Cerui noctu paſcuntur, præſertim ſi in agris manent: nam in die homines metuunt, in montibus autem noctu capiuntur, diuque propter ſolitudinem. Mithridates Ponticus, quum ſomnum caperet, ſui corporis cuſtodiam tauro, equo, & ceruo tradebat, & hæc ad eius cuſtodiam aduigilabant. Cancri vigiles ſunt, præſertim pleno Lunæ lumine, quum noctu è latibulis progrediantur & ſpatientur: ob id Plinius in ceruina pelle cancrorum oculos alligari dixit. Iupiter alcyones noctu paſci voluit, vt Oppianus inquit, & circa ſtagnorū, fluuiorumq; maxime ſo-

litarias partes, ne hominibus moleſtæ : eſſent, alcyonum oculos linteo incluſos, ſi quis capiti nimium dormientis ſupponat, depellet ab eo ſomnium, ex Æliano in Variis, quod ex Heſiodo refert. Hirundines noctu non prorſus ſemper vigilare, ſed dimidium tantummodo ſomnum perficere: Albertus: oculus hirundinis poſitus in lecto, iacentem dormire non permittit, donec auferatur. Veſpertilio, νυκτερὶς à noctu, vt diximus, appellatur, Latini à veſpere, quo volare ſolet: cuius caput aridum alligatum ſomnum arcet, ex Plinio; Alij hoc modo; caput nycteridis viuentis abſciſſum, ſi ligaueris in pelle nigra, & appoſueris læuo brachio alicuius, nunquam dormiet, donec auferatur; ſic etiam eius cor geſtatum. Coruus vigil vigiliam præſtat, cor continue geſtatum ad inhibendum ſomnum aliqui efficax eſſe putant, vt Fernelius ſcripſit. *Noctua* à tempore noctis, quo canit, vel volat, dicta eſt Feſto, ſed Varroni, quo vigilat, etſi multa nocturnarum auium ſint genera, hoc tamen præ cæteris apud Latinos nomen à nocte cepit. Ariſtoteli *noctiuaga* eſt: ſcribit Rhaſes, quum decollatur, oculum eius alterum apertum manere, alterum claudi: ſi apertus ſupponatur capiti dormientis, vigilaturum; ſi clauſus vigilantis, dormiturum.

Somniculoſa animalia ad ſomnos valere;

CAP. IV.

SIc vero ſomno multum dedita animalia, ſomno deficientibus vel qui pauciſſimi ſunt ſomni, ſomnum conciliare valent. Exempla erunt. Lepus ſomno multum deditum animal, apertis, & immotis palpebris dormit, vt ex Xenophonte habetur: vnde patens aliquod ſignificare volentes Ægyptij, leporem pingunt, quum ſemper oculos apertos habeat. Nicandro δερκευνὴς à dormiendi habitu: ſomniculoſos fieri lepore ſumpto in cibis arbitratur Cato, ex Plinio. Et auis cuculus leporina pelle alligatus, ſomnos allicit, ex Plinio. Cuculus procedit vere, occultatur caniculæ ortu, ex Plinio: rariſſime cernitur, ex Æliano, in cauis arborum latet. Sus plurimum dormit, præſertim æſtate, quum humiditas eius calore reſoluitur, ex Alberto: ad ſomnum ſpuma apri cum adipe

in hominis tribus ad tertias excocta & data, valet. Sextus. Nullum animal grauiore somno premitur, quam vitulus marinus: ob id pinnæ vim soporiferam, somnosq; allicere subditam capiti tradidit Plinius. Herinacei condunt se in arbores cauas hieme, aitque in Mirabilibus Aristoteles, ad annum vsque sine cibo durare posse, etsi pomis per æstatem congestis vescãtur, Ælianus & Philes: sinister oculus cum oleo frixus in vasculo reconditur, qui liquor somnificus est: nam instillato in aurem, somnus inuadet, Rhases. Natura vrsorũ ante omnia se condere veterno appetente; priusquam plane torpeant, & stupidi iaceant, se condunt in lustrum, mares quadragenis diebus latent, primis diebus bis septem tam graui somno premuntur, vt ne vulneribus quidem excitari queant, tũc mirum in modum veterno pingueſcũt, ex Aristotele, Plutarcho, Plinio, & Solino: cuius oculus siccus pueris appensus, ab eis timores amolitur, quibus vexantur in somnis, ex Rhase. Stelliones mensibus quatuor frigidissimis latent, ex Aristotele. Ioannes Vrsinus, ex Arnaldo, de stellione loquente;

Mande cor, & tantus prosternet corpore somnus,
Vt scindi possint absque dolore manus.

Ranæ latent hieme omnes, vere procedunt ad aquas; oleum ex eis paratum prouocat somnum, ex Mesue. Vpupa canit æstate, hieme dormit in orborum cauis, vbi latet de plumis: si ala eius dextra ad dormientis hominis caput suspendatur, non expergisci illum donec auferatur, refert Rhases.

Animalia, quæ somniant, hominibus somnia mouere terribilia, placida, vera, falsaque; CAP. V.

SOMNIANT sicut homines quædam animalia. Plinius ab Aristotele; præter hominem somniare equos, boues, pecora, capras palam est: & ob hoc creditur in omnibus, quæ animal pariant. Homo maxime omnium animaliun somniat. Inter ea, quæ somnia mouent, cibus est, vt aliàs diximus, sed horum animalium carnes, quæ somniant, edisse, magis somnia inducit; & secundum animalium qualitates, ex nigris animalibus & melancholicis, melancholica; ex albis phlegmatica; sic tristia, hilaria, falsa ex intemperatis; vera ex

maxime temperatis, & ſibi conſtantibus: nec ſolum in cibum aſſumptæ carnes, ſed eorum pelles ſubſtratæ. Lepus maxime parit, & maxime ſomniat : eius caro multa mouet ſomnia. M. Cato Cenſorius ægrotos ali iubebat oleribus, & carnibus anatis, palumbi, aut leporis : hanc enim leuem eſſe aiebat, & ægrotantibus commodam, niſi quod multa parit inſomnia. Plinius, ſomnioſos fieri lepore ſumpto in cibis Cato arbitratur, ſed quia eius caro frigida, & ſicca eſt ; & bilem atram gignit, vt ex Hippocrate, Galeno, Pſello, Paulo, & Simeone habetur, non niſi triſtia ſomnia generare poteſt. Simia frigida & auſtera eſt, & humorem generat peſſimum, vt ex Rhaſe habetur, ob id ſi ſupponatur capiti dormientis cor eius, terribilia in ſomnis videbit ex eodem. Sic ſi quis dormiturus ſuo capiti anguis ſenectam ſuppoſuerit, vel caput conſpergat ei iere collecto ex cremata anguis ſenecta, terribilia ſomnia videbit. Rapacium omnium carnes declinant ad ſiccitatem, quæ bilem atram in corporibus generat, peſſimæ autem caninæ, & lupinæ, corrumpuntque humores & ſpiritus, quia melancholicas, & prauas imaginationes in ſomno & vigiliis generant, ex Rhaſe. Marini piſcis, *hiænæ* dicti, meminit Ælianus, cuius ſi dextram pinnam ad hominem ſomno conſopitum admoueas, ſanequam eum ipſum perturbabis ; etenim formidoloſa ſecundum quietem ſpectra videbit, acerbaque inſomnia perpetietur. Vpupa nigris maculis colorata auis, & ob id Melancholicæ complexionis, deſertas quærit nemorum, & inuias plagas, Æſchylus. Spurciſſima auis, in ſepulchris, & humano ſtercore commorans, ex Iſidoro. Inter aues noctis, ac tenebrarum amicas lugubris, & luctum amans. Eius caro auſtera eſt, ex Rhaſe : ob id ſanguis vpupæ illitus homini dormienti, dæmoniaca phantaſmata gignit, ex Pythagora : tempora inuncta ſanguine vpupæ, quando dormiendum eſt, faciunt terribilia videre, ex Alberto. Chamæleon pallidi coloris, maculis diſtinctus nigris ; defuncto pallor eſt, mutat colorem ſubinde, redditque quæ proxime attigerit præter rubrum ; candidumque, Plinius : temporum inunctio cum ſanguine chamelæontis, ſomnia terrifica inducit, ex

Arnaldo. Bouis caro insomnia mouet, quum & ipse somniet: carnes taurorum pessimæ, sic vitulorum, sed castratorum præstantiores, vitulorum humidæ & molles, commodius concoquuntur; & quia humano corpori non contrariæ, vtebantur iis, & taurino sanguine ad vaticinia. Plinius ait: Taurinus sanguis recens inter venena est, excepta Ægyra: ibi enim sacerdos terræ vaticinatura, tauri sanguinem bibit, priusquàm descendat in specus. Ex hac veritate fingunt Poetæ somniorum portas, ex cornu, & ebore; ex cornu vera somnia, ex ebore falsa. Virgilius:

Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris.
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes.

Et somnus cum cornu pingitur, & cœlestia somnia taurorum cornibus conferunt, quod ea in altum tendant; terrestria vero ebori, quod in elephante deorsum nutant. Agni nutrimentum præbent calidum & humidum, sed pituitosum; arietes animalcula melius temperati sunt, quam natu maiores, flatu carent, quo somnia turbantur, & interciſa tumultuosaque fiunt. Capræ optimæ ætatis tempore, quum frutices germinibus, quibus vesci solent, abundant. Legimus in Daunis, vel Calabris in more fuisse pellibus incubare, quas *melotas* dicunt, id est ouillas, in Podalirij sepulchro, sicque per quietem oraculis instrui, qui amphiarao sacrificant; sacris peractis arietis pellem substernebant, atque ita dormiebant, captantes somnia, auctore Pausania: ex his Virgilius de Latino canens Æneidos septimo:

Pellibus incubuit stratis, somnosq; petiuit.

Solent enim pleræque animalium carnes fortuitos phantasmatum, & interturbatos motus refrenare, vnde innumeris periculis factis, incubantes noctu in substratis arietum pellibus, vera captasse somnia nouimus, idemque multos antiquorum eruditorum sensisse. Ad id secretum multiscij Poetæ allusere; non quod somniorum præsagiis omnino inhærendum putem, sed quantū naturales causæ in necessitatibus

promittere possunt. Legimus apud Porphyrium libro de abstinendo ab animatis : Qui animalium vaticinorum animas sibi asciscere volunt, præcipuas illorum partes vorant, vt corda coruorum, aut accipitrum, & sic animam eorundem in se recipiunt quæ oraculi instar eis præsagit.

Plantæ hilaria, tristia, falsa, & vera etiam somnia demonstrant;

CAP. VI.

Sic plantæ nigri floris, aut fructus, vel terrestris, & siccæ qualitatis, melancholicos somnos mouent; sic flatuosæ terribilia; & tandem secundum suæ qualitatis modos plantæ etiam suos somnos excitant. Exempla erunt. Faba versicolore flore & fructu, nam aut fuluus, niger, herbaceus, & coccineus est: Amphiaraus abstinendum à fabis præcipiebat iis, qui vaticinationibus quæ somnio colligũtur, vacabant, quod suo flatu placidam mentis quietem in somnis interturbent; somnia enim causantur imaginosa, & vndique tumultuosa, ex Dioscoride. Lens eisdem fere floris, grano nigro; insomnia fieri lente sumptâ in cibis dubium non est, quia inflat, & tumultuosa est. Phaseli flores versicolores, & fructus; nam sunt rubescentes, melini, diuersis maculis respersi, & nigri: in cibum sumpti inflant, bruta gignunt insomnia, & terrifica, vt lentes. Eiusdem speciei hortenses smilaces, cuius etiam flores, & fructus similes; & Dioscorides tumultuosa somnia facere scripsit. Smilax læuis fructum parit lupini modo nigrum; semine cum dorycnio poto ternis singulorum obolis, varia & tumultuosa insomnia obseruari tradunt, ex Dioscoride. Pycnocomon constat semine porri, radice nigra, aut pallida; semen somnia grauia facit, drachmæ instar potum. Porrum capitatum inflationem facit, & tumultuosum somnium, semine nigro. Vinum nouum inflat, & præcipue nigrum, grauia mouet insomnia. Sic placida, & hilaria fieri insomnia ex melissa nouimus, quæ flore albo, odorata & placidi gustus. Sed myrica somnia vera facit. Legimus apud Nicandrum in Theriacis: Apollo vaticinos sanxit myrica pronunciare mortalibus futura: propter insignem hunc fruticem *mantem* vocat, id est *vatem*. Quin & Scytharum

Magi naturales myricino vaticinantur ligno: etenim in pleriſque locis nigra præſagiunt; quod in primo tertiæ compoſitionis Dion confirmat. In Lesbo Apollo myricæ ramos tenet, qua ratione *Myriceus* quoque eſt cognominatus; & Archæus prodit quandoq; in ſomnis viſum Deum illum myricæ ramo decorum. Ægyptij in Iouis pompa coronantur myrica; ſic & apud Medos Magi. Sed ab omnibus creditum eſt Apollini Deo vaticino laurum ſacram futurorum habere præſenſionem quandam. Claudianus;

—venturi præſcia laurus.

Vnde lauri folia ſi puluillo noctu ſubjiciantur, veritatem ſomniorum conciliare creduntur, quod Fulgentius non omiſit. Scribit etiam Heſiodi Theogoniæ interpres, laurum efficacis eſſe auxilij in numinum afflatu. Extat Tibulli locus de Sibylla:

Vera cano, ſic vſque ſacras innoxia laurus
Veſcar, & æternum ſit mihi virginitas.

Et latinus etiam Poeta dixit:

—laurumque momordit.

Dionyſius in panegyricorum ratione laurum μαντικὴν φυτὸν, id eſt, *vaticinam arborem* vocat, & Aphthonius *diuinationis ſymbolum* eſſe laurũ teſtatur, & vaticinantes ſæpe δαφνοφάγους dici. Euſtathius Apollinis corollam fuiſſe lauream ſcribit, quam ſecum tulit Chryſes in Græcorum exercitum veniens, qua cogerentur nomina vel recedere vel accedere. Sunt & verſus à Porphyrio appoſiti.

Soluite ſerta, pedes liquidis & ſpargite lymphis,
Eque manu ramum, lauros auferte virentes.

Ariſtophanis interpres inquit lauro ſacerdotes & diuinaculos coronari, quia eſſet id artis inſigne.

Vinoſæ plantæ, vinoſaque animalia ebrietatem conciliant; aquoſa vero ebrietatem arcent;

CAP. VII.

DEmonſtrat Natura, ſtirpes aliquas, quæ vinum olent, & inebriant, ſic & animalia, quę vino inebriantur, vt ebria dici poſſint, quorum partes propinatæ, & præcipue vini auidæ, ebrium hominem reddunt; ſic & in aquis nata, & vini

inimica abſtemium hominem reddunt. A plantis incipiemus. Sunt & vinoſæ plantæ, vel quæ vinum olent, vt pyrus, lupulus, onothera & reliqua, quæ ſenſum intercipiunt, greſſus prępediunt, linguam retardant, & ebrietatis vitium inducunt. Onothera Theophraſti, quæ *rhododendron* eſt Dioſcoridis, radicibus vinum olentibus; feras omnes inebriat, & cicurat. Mandragoræ fructus niger eſt, ſapore quodam vini, ebrietatem ſomnumq; profundum inducit. Helenium prædulcis ſucci, vinoſique; aſcribunt eidem hilaritatis effectum, ſi radices in vino potæ fuerint, dicuntque nepenthen eſſe ab Homero prædicatum, quo triſtitia omnis aboleatur, ex Plinio. Ex loti fructu vinum exprimitur: ſed vltra binos annos, ternoſue negant durare, fructu tam dulci, vt nomen etiam genti, terræque dederit, nimis hoſpitali aduenarum obliuione patriæ; ſi copioſior eſtur, ebrietatem repræſentari volunt. Nympham fabulantur in arborem ſui nominis conuerſam, quam Priapus fugientem comprimere quæſiſſet; innuentes Venerem Bacchum ſequi: conficiebantur multa ex plantis vini genera. Adipſos palma eſt, odore mali cotonei, fructu capparis, quem Plinius *myrobalanum* appellat, colligitur paulo antequam incipiat matureſcere, quod relinquitur, *phœnicobalanos* vocatur, veſcenteſque inebriat. Ex animalibus ſimia vino inebriatur, atque ita inebriata capitur, ex Athenæo: cor ſimiæ aſſum, & aridum potum drachmæ pondere cum melicrato vetere, roborat cor, & acrimoniam eius, audaciamque auget, puſillanimitatem, & cordis pulſum depellit, ex Rhaſe; qui effectus ebrietatis ſunt. Elephas vini potu inebriatur, Athenæus ex Ariſtotelis libro De ebrietate, zythi potu mitigatur elephas animal: & Ælianus, elephanto, qui ad bellum certat, non modo ex vitibus confecti, ſed etiam ex oryza factitij vini vſus indulgetur: & zytho madefactum ebur in omne corpus tractabile redditur, ex Plutarcho, & Dioſcoride; ſed oſſa elephantina aliquandiu in zytho macerata ceræ inſtar emolliri retulit Simeon Sethi, Seneca vero Democritum eiuſmodi commenti inuentorem fuiſſe: ebur ſubſtantia ſua cor roborat, ex Siluio. Canes etiam vino inebriari vidimus: ſordes aurium

canis cum vino miſtæ, ſtatim inebriant, ex Rhaſe refert Albertus, at in Rhaſe legitur, ſi vinum in quo infuſi fuerint ricini alicui propines, inebriabis. Leopardus diligit vinum, & inebriatus capitur. Oppianus modum elegantiſſime deſcribit. vbi primum in Lybia paruum fontem animaduerterint, vnde pardales prima luce bibere ſolent, eo venatores amphoras permultas, ſuauis vini plenas afferunt; poſtquam hoc in fontem infuderunt, inde non procul ſedent ſtragulis tecti, nam nulla alia re ſe occultare poſſunt; eæ autem ardenter ſitientes, ad fontem accedunt, & ſimul vt vini, cuius ſtudioſæ ſunt, potione ſitim expleuerunt, ſtatim primò ſaltatione ludunt, deinde ſenſim obdormientes humi ſternuntur, atque ita grauiter dormientes, nullo negotio comprehenduntur, ſi pardi pinguedinis odor inter aſſandum recipiatur, capitis reuolutionem inducit, vt in ebrietate, ex Rhaſe. Animalia vero aquatica, vel quæ vinum odiſſe videntur, ebrietatem arcent. Apri vini oſores ſunt: ebrietatem arcet pulmo apri, aut ſuis aſſus, ieiuni cibo ſumptus eo die, ex Plinio. Longe vinũ horrent pecora: pecudum aſſus pulmo ebrietatem arcet, præſumptus, ex Plinio. Paulus Venetus tradit menocerotem volutari cœno, vt ſus fera & ſolitaria eſt; Indorum Rex è poculo confacto ex monocerotis cornu bibens, interrogatus cur id faceret, reſpondit hoc potu ebrietatem tolli, ex Apollonio: Fera & ſolitaria belua leo eſt, cuius ſtercus in vino potum menſura dauic facit abhorrere vinum, ex Rhaſe. Anguillæ in aquis naſcuntur, & vino ſuffocatæ, ſi quis plus ſatis mero indulgens, ex eo biberit, eius odore offenditur, & fiet abſtemius. Inducit & vini faſtidium rana viridis, ex his, quæ aquis viuunt, ſi in vino ſuffocetur.

Clamoſa, & obſtrepera animalia ad vocis vitia valere;

CAP. VIII.

SIc obſtrepera & claræ vocis animalia loquacia, clamoſaque in cibo homini propinata poſſunt loquacitatem, & claram vocem conciliare, & imprimere, ſi qui taciti fuerint, & parci ſermonis Harpocrates. Canorum animal gallus gallinaceus, ex Cicerone. Lucretius de eo:

Quin etiam gallis nocte expandentibus alis,
Auroram clara consuetum voce vocare.

Gallum excitandis in opera mortalibus, rumpendoque somno Natura genuit, & interdiu canes: Auicenna gallinarum carnem vocis claritatem afferre dixit: Elluchasen sorbilia oua vocem clarificare dixit, Galenus ouum sorbile miscerí iis, quę contentos in thorace, & pulmone humores incidunt, & vsurpantur illis, quorum guttur exasperatum est clamore, vel acrimonia humoris. Grues clamosi sunt. Ducem eligunt, qui clamet, dum cæteræ dormiunt. Aristoteles; dum volant in extremo agmine dispositos vicissim habent, qui acclament, & gregem voce contineant; quum in terram descenderint, dux multum clamat, vt omnes conueniant & simul pascantur, quod si nimio clamore rauceſcet, alius substituitur. Lucretius ad id:

—gruum, quum
Clamor in æthereis dispersus nubibus Austri

Simeon Sethi ait, ius gruum vocem clarificat. Anates obstreperæ, & gregatim vociferant; etiam in cibo, ex anserum natura, caro anatis vocem clarificat, Serapio ex Aben Mensuai, idemque dixerat Auicenna. Cantu valet hirundo, Ælianus, sed in molestiis non canit, vt Plato ait: garrula est, vt diem præcinendo nunciet, quum primum redierint vere, cantu pristinis nidis inuentis applaudere, & sibi gratulari videntur, mirifico, vario, & quasi articulato: eius cinis cum melicrato potus raucedines sanat. Canis latrat, & maxime voce terret. Virgilius:

—sæuit canum latratus ad auras.

Lucretius *baubatus* vocat, Gannitus blanda immurmuratio, *vlulatus*, quum lugubrem, & querulam vocem edunt. Ouidius:

Inque foro, circumque domos, & templa Deorum
Nocturnos vlulasse canes.

Tandem canum plures voces. Aristoteles in Physiognomonicis canes plurimum clamosos, & loquaces esse dixit: inde Rhases, si quis biberit vinum, cui iniectus fuerit lapis à cane

morsus, exclamare cogetur. Vrsi rabiosi, & clamosi sunt, latitantes cum murmure quodam pedes fugunt. Alexander; vrsorum cerebrum veneficium esse Hiispaniæ creditur, occisorumque in spectaculis capita cremant, testato, quoniam potum in vrsinam rabiem agat, Plinius; Luscìniis diebus & noctibus continuis quindecim garrulus est sine intermissione cantus, dignum miratu, quod sit tanta vox in tam paruo corpusculo, & tam pertinax spiritus. Omnia tam paruis faucibus insunt, quæ tot exquisitis tibiarum organis ars hominum excogitauit. Certant inter se, palamque animosa est contentio; victa morte sæpe vitam finit, spiritu prius deficiente, quam cantu; tandem inter aues nulla suauissimo cantu dulcius aures demulcet, & exhilarescit, ex Plinio: cor luscinìæ, si quis ea adhuc palpitante cum melle transglutierit, & aliud cor eiusdem auis cum lingua portauerit, suauis ad loquendū erit, sonoræ vocis, & libenter audietur, ex Kirannide: Eriphiam prodidit Plinius, hæc in auena scarabeum habet, seorsum deorsum decurrentem cum sono hœdi, vnde & nomen accepit: hac ad vocem nihil præstantius tradit. Chalcophonos lapis niger est, sed illisus æris tinnitum reddit, tragœdis gestandus, ex Plinio, quia optimam vocem facit.

Animalia, quæ noctu loquuntur, homines in somnis loqui cogunt;

CAP. IX.

NOCTILOQVÆ aues, scilicet quæ noctu vigilacia & impense loquacia sunt, eorum linguis in pectore supra cordis palpitationem appositis, possunt homines ad loquelam noctu permoueri, sed valentius mulieres, quum impendio loquaciores sint, eis suam qualitatem communicando, & cogere, vt ea secreta manifestent, quæ in die patrarint. Exempla. Bubo de genere nocturnæ auis, noctu vlulat, & clamat, interdiu raro videtur: ob id eius cor impositum mammæ mulieris dormientis, sinistræ, tradunt efficere, vt omnia secreta pronunciet, ex Plinio. Noctua, vt bubo, nocte canit, & vigilat, Rhases. Si cor noctuæ magnum ponatur super sinistram mammam mulieris dormientis, bona vel mala quæ fecerit confitebitur. Ranæ noctu loquaces sunt æstate, vt diximus.

Democritus quidem tradit, si quis extrahat ranæ viuenti linguam, nulla alia corporis parte adhærente, ipsaque demissa in aqua, imponat supra cordis palpitationem mulieri dormienti, quæcunque interrogauerit, vera responsuram, èx Plinio. Anser, vt diximus, nocturnas excubias celebrat, & vigilias suas cantu assidue testatur. Anseri viuenti, si quis abscideriit linguam, posueritque super corpus viri, aut mulieris dormientis, confitebitur omnia quæcunque fecerit, ex Kirannide. Nulla auis, quum aut frigore, aut fame, aut alia molestia afficitur, canit, ne ipsa luscinia quidem, aut hirundo, sed vpupam præ dolore lugentem canere, Plato in Phædone dixit. Vpupa vna voce importuna est vere. Tradit Euax in nido vpupæ aliquando lapidem inueniri, quem aiunt secreta prodere, & phantasias promouere impositum pectori dormientis.

Tacita animalia taciturnitatem largiri;

CAP. X.

CONTRA vero quæ diximus tacita, & pauci cantus animalia, etiam homini taciturnitatem præstare possunt. Ad exempla hæc subnectere liceat. Lupus etsi siluestris canis, latratu caret: vlulare proprium luporum, ex Varrone, & præcipue in fame: homo quem prius viderit, conticescit, & anticipatus obtutu nocentis, licet clamandi votum habeat, non habet vocis ministerium, Solinus ex Plinio, & Platone. Est rana calamitis, quæ harundinetis & herbis viuit, muta & sine voce: Nicander in Theriacis hanc ranunculum viridem, surdum & mutum cognominat; hanc ferunt in canis os iectam, mutum reddere. Apuleius: Et de ore pastoritij canis virens exsiluit ranula. Rubeta tacitum animal, etiam interficiendo silentium seruat, multa de ea certatim auctores tractant: illata in populum silentium fieri. Chamæleo sine voce est, lingua eius gestata, obmutescere facit inimicos, ex Græcis. Testudo muta est, apud veteres secreti, & silentij symbolum fuit: hoc enim argumento Elienſibus Phidias Venerem fecit, quæ testudinem calcaret, opertius implicatiusq; commonstrans, esse mulieribus decens ædes custodire, ac silen-

tium. Memini me legisse clamoso accipitri datam testudinem mutum reddere: in homine adhuc inexpertum.

Fortissima animalia cor hominis roborare, & ferociam augere;

CAP. XI.

ROBVSTA animalia, ferociaque homini ferociam illam, & robustitatem conciliant, cor roborando, & spiritus augendo inuictum reddunt. Sed ea animalia ferocia, & robusta sunt, & calidissima, quæ paruum cor habent; ob id continuo febriunt, quorum partes spiritum, & ferociam inducunt. Leo ferarum fortissimus, & generosissimus est, calidus & siccus adeo maxime, vt continuo quartana febre affligatur, etsi sanitate frui videatur, & nisi vis morbi eum cohiberet, longe nobis pernicioſior foret, ex Phile: Æsculapius leonis carne phantasticos sanari tradit, si phantasmata tollendo & melancholiam, exhilarando corroboratur, Sextus. Leonis adipem ait Dioscorides amuletum esse aduersus insidiantes: Plinius; resistere insidiis videtur. Similia dentis maxime à dextra parte, villique è rostro inferiori promissa sunt. Cauda draconis & capite, pilis leonis è fronte, è medulla eiusdem, equi victoris spuma, canis vnguibus adalligatis ceruino corio, neruisque cerui alternatis, & dorcadis. Accipitri cor paruum, bellicosus maxime, febri laborat. Ægyptij Soli acceptum putant: cuius naturam aiunt ex sanguine, & spiritibus constare. Bellum gerit cum aquila fortissima auium, vt eo etiam quiescente fiat aucupium: carnes pullorum accipitris animum corroborant, melancholiæ, & perturbationi resistunt, ex R. Mose. Cor eius gestatum roborat cor, & conseruat gestantem. Canis venaticus robustus, cor paruum habet, ficciſſimum animal, vt rabie laboret. Robustissimi sunt præcipue Indici, vt etiam ex Aristotele habetur in Physiognomonicis. Plutarchus in Atheniensi insula, & Delo canes arceri dicebat, non quod coitum in propatulo haberent, sed quia animal robustum & pugnax. Compositio naturalium Magorum ad inuictos reddendos canis venatici vngues recipit. Sunt & dracones in Æthiopia longitudinis triginta passuum, quos elephantorum

interfectores vocant, graueſque cum elephanto inimicitias gerunt, ipſum facili circumflexu ambiunt, mira animalium pro ſe cuique ſolertia. Draco iter ad pabula ſpeculatus, ex celſa ſe arbore iniicit, ſcit ille imparem ſibi luctatum: contra nexus itaque arborum attritum quærit, cauet hoc draco, ol id greſſus obligat cauda, reſoluit ille nodos manu, at hic in ipſa nare caput condit, pariterque ſpiritum præcludit, & molliſſimas lancinat partes, iidem obuij deprehenſi mortui Recipit prædicta compoſitio draconis caudam. Et ſi hyæna cor maximum, vt tradit Ariſtoteles, ſua aſtutia, & ferocia maxima & fortiſſima animalia vincit: pardalim hoſtiliter odit, vnde ſi hyænæ & pardalis pelles admiſceantur, parda lina pilos amittit: quare Ægyptij ſuperiorem ab inferiore victum ſignificaturi, duas pelles pingunt, hyænæ vnam, alteram pardalis, ex Oro. Præcipue pantheris terrori ſunt, vt ne conentur quidem reſiſtere, & aliquid de corio earum habentem non appeti. Amplius ſcribit Orus, ſi quis hyænæ pellem ſibi circumponat, intrepide per medios hoſtes tranſiturum nocumento nullo, proinde Ægyptiis ratione hieroglyphica intrepiditatis, ac conſtantiæ in calamitatibus indicium haberi hyænæ pellem expictam. Equo cor paruum, in corde os, ex Ariſtotele, animal belligerum, & animoſum, ſæpe ſæpius corripitur febre: recipit etiam equi victoriis ſpumam eadem compoſitio. Ouidius in Halieuticis, equi ingenium deſcribens:

Hic generoſus honos, & gloria maior equorum;
Nam capiunt animis palmam, gaudentque triumpho.
Seu ſeptem ſpatiis circo meruere coronam,
Nonne vides victor quanto ſublimius altum
Attollat caput; & vulgi ſe venditet auræ?

Vulturi cor paruum, auis rapax & carniuora, pugnat cum accipitre, & cum omnium auium genere, eadem quæ aquila poteſt, & accipiter, ſed efficacius: vngues eius combuſti, cum vino vetere ſoluti, totique corpori inuncti & poti, ad victoriam de inimicis ſumme faciunt, ex Kirannide. Cor aquilæ paruum, violentum animal, cui maximus honos, & maxima vis

vis quoque, auium regina, animosa & superba, contra dracones homines, aliudue animal mira animositate pugnat vsque ad mortis periculum : omnia quæ vultur potest, sed efficacius. Gallis gallinaceis cor minimum ; pugnacissimi sunt, elati, & in certaminibus pertinaces, eis prærogatiuam quandam Natura largita est, quod solus inter aues tanquam galea cristam gerat, & in pedibus calcaria, pennas per colla, ceruicesque diffusas, quasi iubas pugnaturus explicat. Cum limen intrat, tametsi supremum altissimum existat, is tamen se inclinat, quod superbia efficit, ne crista vspiam offendatur. Quum in certamine victor, tum oculorum eminentia, tum ceruice elata simul & cantus contentione insolenter effertur, & triumphanti similis efficitur. Terror est leoni ferarum generosissimo, & basiliscus tum eius aspectum, tum vocem extimescit : nam conuulsus moritur, ex Aristotele, Athenæo, Eustathio & Æliano : eius cerebrum cerebri substantiam auget, & sensus acuit, ex Simeone Sethi. In eius ventriculo lapis inuenitur *alectorius* dictus, ore gestatus inuictos reddit, & constantes, eoque Milonem Crotoniatum vsum in certaminibus, inuictumque fuisse volunt. Contra aduersarios galli calcar de crure dextro ablatum valere monet Rhases : capitis crista cum grano thuris & cornu cerui gestata, malum oculum omnem & timorem aufert, & intrepidum reddit gestantem.

Fortissima animalia contra nocturnos pauores valere ;

CAP. XII.

SVNT & nocturni pauores, qui in dormientes, præcipue pueros, grassantur, circa quos non segnis, & indiligens cura Medicorum esse debet ; eademque animalia generosa, intrepidaque contra eos valere non vana coniectura comperimus. Gallus, vt diximus, pugnax & intrepidus : cristam sui capitis gestatam contra nocturnos pauores prædicant Medicorum scholæ. Aquila auium tyranna, bellipotens, potest ea quæ vultur, cuius rostrum cum lingua gestatum tuta reddit nocturna itinera, fugat dæmones & phantasmata, Sextus. Accipiter eadem potest, quæ vultur, & aquila, melancholiæ, & perturbationi resistit. Hyæna cum canibus & homi-

nibus pugnat, insidiosa, malefica, si fortitudine deficiatur, prævalet astu; contra nocturnos pauores, vmbrarumque terrorem vnus è magnis dentibus lino alligatus succurrere narratur, ex Rhase. Leo animosissimus, cuius canes, Sexti testimonio, à phantasmatibus hominem liberant. Vrsus suis viribus confidens non solum ceruos, sed sues, & tauros aperto Marte aggreditur; ex ore, cornibusque eorum pedibus omnibus suspensi pondere fatigant, nec alteri animalium in maleficio stultitia solertior, Plinius ex Aristotele: oculus vrsi dexter siccatus & appensus pueris, amolitur ab eis timores, quibus in somnis vexantur. Delphinus robur in cauda habet multum: fortissimus, cum amiis pugnat, & expugnat; idem in Nilo crocodilos necat, vt tradit Plinius In ventre mollis est tenuisque cutis crocodilo; ideo se vt territi immergunt delphini, subeunteſq; aluum illis secant spina. Delphini dens alligatus, pauores repentinos tollit. Lamia, anthropophagus piscis, vorax, acutis dentibus armatus, ac vasto, laxoque hiatu, vt loricatum virum deglutiat; eius dentes puerorum collo suspensi, pauores arcent. Rhases scincos pueris præstare ait, qui timent in somnis. Sed Arabes pro scinco sæpius crocodilum vsurpant, & terrestrem & aquaticum. Est enim crocodilus acerrimus, & promptissimus hostis, insidiosus, fallax, & validissimis dentibus armatus. Salamandra ignem tactu extinguit, non alio modo, quam glacies, tantum ei rigorem Plinius esse dixit, sic Theophrastus & Nicander. Salamandræ cor gestatum, securitatem ab igne præstat, & audacem contra incendium, & incremabilem reddit, ex Græcis.

Iracunda animalia, iracundos homines reddere, & mitia mites;

CAP. XIII.

SIc etiam iracunda animalia iracundos homines reddunt, & mitia mites. Iracunda ea vocamus animalia, quæ nimio plus ad omnem excandescentiam parata. Vrsus natura sæuus, ex Adamantio. Poetæ sæuos & truces vocant. Vrsi Persici vltra omnem rabiem sæuiunt, ex Ammiano Marcellino. Ouidius:

Quid nisi pondus iners, stolidæque ferocia mentis?

Vrſorum cerebrum maleficium eſſe credunt, vt diximus, vt in vrſinam rabiem agat, ex Plinio. Leo iracundus, calidus & ſiccus eſt; cuius cerebrum acceptum inducit mentis ſtuporem, ex Rhaſe. Ceruus contra, mite animal, & iracundiæ expers, placidumq;. Dentes cerui alligatos pellibus caprearum ceruinis neruis, mites præſtare dominos, poteſtateſque exorabiles, habetur ex Plinio.

Quomodo mutuas vxorias rixas maiores noſtri ſedârint;

CAP. XIV.

MAIORES noſtri ex animalibus, quæ conjugij amantiſſima eſſent, remedia ſibi præſtari putabant, vt coniuges inter ſe odioſi conciliarentur: nos aliqua exẽpla adducemus, non quod vera eſſe exiſtimemus, aut talia approbemus, ſed vt rationes aperiamus, quare hæc poſteritatis memoriæ mandarint, ne temere locutos putemus: vt ex his ad maiora, quæ intendimus, tranſcendat animus. Plotinus maximus Platonicus horum rationes aperit, inquiens: Ex eo quod pleraque animalia ſe mutuo naturaliter amare facile poſſunt, inferunt amorem rebus inter ſe reciprocum; nata eſt amatoriæ artis efficacia, philtris quibuſdam, faſcinationibus vtentes, dum tangendas adhibent, naturas aliis alias conciliantes, inſitumque habentes amorem, animamque alteri alteram ita copulant, quemadmodum qui diſtantes vnà palmas coniungunt. Sed ego puto ita hæc vera eſſe, vt mutuus palmarum amor, qui per funiculorum nexus conciliatur, Sed exempla adeamus. Columbæ adeo inter ſeſe amant, vt fœmina marem non admittat, niſi ante oſculatus fuerit, ex Ariſtotele, Æliano, & Plinio. Columbæ cum aliis vxores coire non patiuntur, neque coniugium iam inde à primo ortu initum deſerunt, niſi cælebs, aut vidua. In partu mas adeſt, & cultu, omnique officio fungitur; fœminam pigrius ad nidum euntem percutit mas, cogitque intrare, quum peperit oua, cogit vt incubet, incubantque ambo viciſſim, mas diu, noctu fœmina. Ab adulterio caſtiſſimæ ſunt, nunquam enim ex ſocietate inter ſe inſtituta neque mas, niſi morte ipſa deſtituitur, neque fœmina diſſociatur, niſi vidua fuerit. ex Ælia-

no. Sed si impudico amore capti, ad alienam Venerem libidinis oculos adiicient, eos reliqui circumsedentes, mares quidem mares, fœminas vero fœminæ discerpunt. Pleraque de mutuo amore, & coniugio columbarum Aristoteles, Eustathius, Ælianus, Athenæus, Oppianus, Plinius & alij certatim auctores tradunt: remedia apud auctores leges de amore inducendo. Alcyones adeo coniugij amantes sunt, vt non vno quopiam, sed quolibet anni tempore cohæreant, congressumque admittant; quippe quæ alteri nulli misceantur, sed beneuolentiæ coniugalis gratia, quæ nuptam decet, & amicitiæ studio, ex Plutarcho; qui sapientissimum diuinissimumque marinorum animalium vocat. Quas columbas circa mariti amorem conferemus? si maritus obierit, fœmina cibo, potuque omni abstinens, longo tempore luget, & se disperdit: multa ex vtraque reperies ad beneuolentiam & contra seditiones & inimicitias. Cornices societatem non temere instituunt; quam tamen vbi semel inierint, fidem inter se mutuam amanter conseruant. Ælianus ad amorem coniugalem docet, vt mutuo amore pariter per omnem vitam cõcordes degant. Hirundines se inuicem amant, & in educandis filiis tam mas, quam fœmina summa æquitate laborant. Ex hirundinum pullis in ollam clausis & assatis ponatur philtrum ad amorem: sed Nicolaus Mirepsus, vt mulier non decedat à viro, & mulier non amplius de alio viro cogitet. In hirundinum ventre pulli lapilli reperiuntur candidi, aut rubentis coloris, qui *chelidonij* vocantur, amatoriis artibus apti, ex Plinio. Equæ luxuriosissimæ, & marium amantes sunt: sola animalium (excepta fœmina) grauidæ coitum patiuntur, carent purgatione, quæ perinde est fœminis, vt coitus maribus; & si desiderantibus coitum fœminis prohibebis, libidinis exstimulantur furiis; vnde etiam veneno inditum nomen *hippomanes*, quod equinæ cupidini similem mortalibus amorem accendat. Columella: Tempore coitus humorem emittunt è suis genitalib. similem genituræ, quem hippomanes nonnulli appellant. Virgilius;

Hinc demum hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum distillat ab inguine virus.

Aristoteles hoc præcipue ad amoris veneficia peti dixit. Quum equa peperit, statim secundas deuorat, atque etiam quod pulli nascentis fronti adhæret, hippomanes dictum, magnitudine minus carica parua, specie latiusculum, orbiculatum, nigrum, (fuluum dicit Solinus) hoc, si quis prærepto odorem moueat, equa excitatur, furitque agnito eo odore, quapropter id à veneficis petitur. A quo Plinius: Proditur equis amoris innasci veneficium, hippomanes appellatum, in fronte caricæ magnitudine, colore nigro, quod statim edito partu deuorat fœta, aut partum ad vbera non admittit, olfactu in rabiem id genus agitur. Ælianus vim habere ait alliciendi ad libidinem, atque amatoriam flammam excitandi, eamque ob rem furens inuidia homini has præstigias non permittit habere. Idq; cognitum pastores habere, vt si quando ad moliendas alicui amatorias insidias egeant, vt ipsam ad cupidinis Venerem inflamment, diligenter obseruant, quando equa pariat, ac statim à partu à pullo adscindunt, & in equæ vngulam iniiciunt, sic quicunque per insidias carnem illam gustauerint, proiecta & præcipite amatoria libidine constrictius tenentur, furunt, perbacchantur. Hesychius eo ad philtra veneficas vti scripsit. Virgilius Æneidos quarto;

Quæritur & nascentis equi de fronte reuulsus.
Et matri præreptus amor.

Animalia, quæ hominum amantissima sunt, ad erotica medicamẽta quæruntur. Iynx auis collum agit in auersum, reliquo quiescente corpore: nam vt colla ante & retrorsum libere circumagit, & mirũ in modum quoquolibet cõtorquet, ita mortalium corda agere dicebatur, animos torquere, turbare, ac retro mouere. Accedente homine non refugit, immo eius visu oblectatur; ex tam igitur leui ratione veneficiis infamis est: immo quia tam antiquitus ad philtra, & amatorias illecebras in vsu erat, vt iyngos vocabulo desiderium, cupiditatem, lenocinium, illecebram, & quicquid animum ad amorem traheret, significarent, & Pindarus pro prouerbio, qui vehementi, & impotenti desiderio ad aliquid trahuntur, iynge trahi dicuntur. Ἴυγγι ἕλκομαι ἥπερ, idem & Theocritus habet. Iyn-

gem prima Venus fertur è monte Olympo ad homines detu-
liſſe, ac dediſſe Iaſoni, & docuiſſe eum incantandi artes, vt
Medeæ animum in ſui amorem cõpelleret, ex Pindari Scho-
liaſte: à veneficis enim hæc auis ad circulum, ſeu rotam alli-
gari ſolebat, alis binis ſuperne, & pedibus binis inferne, vt
ita quatuor radiorum rotæ ſpeciem præ ſe ferret, vel cum ce-
ra amburebatur tota ſuper ardentes prunas: alij tradunt eius
interanea explicari rotæ circumuoluta; alij pennis priuatim
vtebantur, quæ circa caudam ſunt, & oſſe circa pectus lab-
doyde figura, ſpecie ſimili equitum calcari; collum, quod re-
tro intorquetur, ad alia quoq; prodeſſe; ſed tota auis ad amo-
res, in aliqua rota extenſa, & circumuoluta ad nomen aman-
tis, ex Ioanne Tzetze. Pauo virginem amat. Clearchus au-
ctor eſt in Leucadia pauonem tantopere adamaſſe virginem,
vt ea defuncta, commoreretur. Pauonis cerebrum amato-
rium poculum eſſe, & cor eius geſtatum beneuolentiam præ-
ſtare ſcriptum eſt. Lacerta homini natura amica eſt, vbicun-
que eſt homo congregantur lacertæ, obliquato capite faciem
contemplantur; ſi expuas elambunt ſaliuam, immo & admo-
tæ ori ſaliuam lambunt; ambulando obuiæ ſiſtunt, ſi pergas,
ſequantur. Si agricolæ feſſi obdormiant in agro, & ſerpens
clanculum in os patens dormientis coniiciatur, lacerta etſi
puſilla, ſeruat hominem, vbi ſentit ſerpentem inſidiari, cir-
cumcurſitat per faciem & collum, nec finem facit, donec ex-
pergiſcatur: ob id lacertam inter amatoria eſſe ſcribit Pli-
nius, in vrina virili necatam. Remora, quia naues remis, ve-
liſque concitatas, ac velut volantes remoratur, ob id ad iudi-
ciorũ cauſas remorandas, & ad amatoria veneficia valere cre-
diderũt. Sed quis hominis amantior, quã ipſe homo? Vnde ſa-
gittas è corpore ductas, ſi terram non attigerint, ſubiectas
cubantibus amatoriũ eſſe, Orpheus, & Archelaus ſcribunt, ex
Plinio.

Animalia, aliaq; terræ naſcentia magneticam vim habentia, ad eadem præſtare; CAP. XV.

NEc minus friuola, quam inani ratione, vbi animalia vi-
debant, ſtirpes lapideſue, aliaue quæ quandam vim ha-

berent attrahendi magneticam, vt ita dicam, ad amatoria valere, opinati sunt Maiores nostri, ac methodum sanxerunt. Plotinus magicos attractus fieri (siue amatorios) ex consensione quadam rerum in patiendo, ac lege quadam Naturæ agentc, vt inter similia quidem concordia sit, inter dissimilia vero discordia. Vera vis magicæ est amicitia in vniuerso; rursusque discordia. Hactenus Plotinus. Nos hanc vim exemplis quibusdam comprobabimus. Est quædam vis ceruo indita extrahendi spiritu à cauernis serpentes, etiam renitentes, munifico Naturæ beneficio; etenim naribus suis in serpentis cauernam incumbens, vehementissime respirando, quasi amatorio quodam alliciens, extrahit, inuitumque profert, ex Æliano. Hac mirifica vi inspecta Orpheus libello De lapidibus scribit; Cornu ceruinum sponsam gestare debere, sic enim perpetuam ei cum sponso futuram concordiam.

Primo nuptam vero iuuenis ducens in cubilia puellam,
Delectationis amabilis testem illum ferat
Lapidem: ille vero infractis concordiis simul ambos
Vltimam ad senectutem & in dies omnes continebit.

Quasi dicat, aliquid de ceruino cornu habentem secum, continuo à mulieribus amatum iri. Suspicor in elephanto maximum esse amatorium, etsi ab aliquo non traditum: extrahit enim è cauernis serpentes, vt ceruus, & vim magneticam habet. Inquit Plinius: Elephantorum anima extrahit serpentes. Capitur & mulieris forma, atque hebescens ad eius pulchritudinem, remittit animi sui furorem, ex Æliano. Traditur vnus amasse quandam in Ægypto corollas vendentem; ac ne quis vulgariter electam putet, miretur gratam Aristophani, celeberrimo in arte Grammatica, Plinius ex Plutarcho; postea autem quam mulier excessit è vita, elephantus nec pristinæ consuetudinis compos, tanquam homines mœstitia laborantes, sic is furens ferebatur, ex Æliano. Sic & alij alias adamarunt. Hanc fortasse vim innuunt Poetæ, quum Pygmalionem fabulantur ex ebore virginis simulachrum fecisse, eiusque amore captum à Venere impetrasse, vt in veram, viuamque virginem verteretur. Spathalia ex

ebore collo ferentes, amoris illicia habere dicebant. Rubeta mustelam trahit, mirum spectaculũ, vt à multis & fide dignis accepimus, etsi ab aliquibus adhuc veterum nondum literis proditum. Mustela ex arboribus, statim rubeta inspecta, vociterat, & auxiliũ implorat, descendit, & in os rubetæ illabitur illa aperto, & patulo ore inhians, expectat, & vorat: osficuculum est in latere rubetæ, quo admoto aqua feruere videtur, canum impetus eo cohibetur, & amor conciliatur. Mustelæ etiam mures attrahunt, tum intrando, tum è foramine extrahendo, etsi à rubetis extrahantur. Ælianus tradit Magos affirmare mustelam ab Hecate nutritam esse, quod hæc Dea amatoriis adhibeatur: nam eius viscera his sunt apta, ex Volaterrano. Est & hyænæ venefica vis hominem sistendi, vt de remora diximus. Quodcunque animal ter lustrauerit, hyæna è vestigio hæret, vt mouere se non posse videatur; quapropter magicam inesse scientiam ei pronunciant, ex Plinio & Solino. Eius vmbra canes obmutescere facit, ex Æliano. Homini, caniue dormienti suum corpus admouet & si se ipsam maiorem dormiente sentit, sensibus eum priuat, ac ipsius manus non resistentis priuat. Si declinabit hominem ad dextram vt prægressi vestigia occupet, alienari mente, ac vel ex æquo, hominem decidere aiunt. Hyænam vulgo ex omnibus animalibus in maxima admiratione posuerunt, vtpote cui & ipsi magicas artes dederint, vimque qua alliciat ad se homines mente alienatos, ex Plinio. Ob id pilos rostri admotos mulieri labris, amatorium esse, & totius domus concordiam hyænæ genitali, & articulo spinæ cum adhærente corio adseruatis, constare: eiusdem cauerna sinistro lateri religata, si quis mulierem respiciat, amatorium esse tam præsens, vt illico sequatur, & alia quæ libenter omittimus, quia vana. Hyæna quasi silvestris lupus est, multaque simul communia habent, formam, insidias, & alia ex Oppiano: coeunt simul, vt thoes nascatur, & ei quidem vis magica inest; nam vocem homini, quem priores contemplentur, adimere ad præsens, referunt Plato, Plinius, & Solinus. Veneficiis rostrum lupi resistere aiunt inueteratum; ob idq; villa-

rum portis præfigunt: hoc idem præstare & pellis è ceruice solida existimatur; quippe tanta vis est animalis, præter ea, quæ retulimus, vt vestigia eius calcata, equis afferant torporem. Horatius de veneficiis muliebribus libro Sermonum ait:

Vtque lupi barbam, variæ cum dente colubræ,
Abdiderint furtim terris.

Quin & caudæ huius animalis videtur vulgo inesse amatorium virus exiguo in villo, eumque cum capitur, abijcere, nec idem pollere, nisi viuenti demptum, ex Plinio & Solino. Satis apud omes vulgata magnetis & ferri attractio, ob id Maiores nostri de eis dixerunt, quod de eis refert Marbodeus Gallus;

Conciliare potest vxoribus ipsa maritos,
Et vice conuersa, nuptas reuocare viris.
Sic qui scire cupit sua num sit adultera coniux,
Suppositum capiti lapidem stertentis adaptet:
Mox quæ casta manet, petit amplexura maritum,
Non tamen euigilans, cadit omnis adultera lecto,
Tanquam pulsa manu.

Idem enim lapis ex vna parte attrahit, & alia respuit ferrum, ob id allicere vxorem, & à viro reiicere potest, vt diximus. Est & magnes carnea, quæ carnem attrahat, vt ex Aristotele Albertus refert. Succino tanta vis attrahendi, vt digitorum attritu accepta vi caloris attrahere possit paleas, & folia arida, vt magnes ferrum. Plinius. Syri vocant *harpaga*, quod folia & paleas, & vestium fibras rapiat. Etiam ab antiquis memoratum ad amatoria valere. Nos probabimus Plinij *charitoblepharon* succinum esse. Inquit enim Troglodytarum insulas fruticem habere, qui vocetur caritoblepharon, efficacem in amatoriis: spathalia eo facere, & monilia fœminas, sentire eum se capi, durarique cornu modo, & hebetare aciem ferri. Quod si fefellerint insidiæ, in lapidem transfigurari. Ipse idem inter alias opiniones eorum, qui de loco, vbi nascatur, loquuntur inquit: Viuit adhuc Asazubas, qui trasiit iuxta Atlanticum mare esse locum Cephisida, quem Mau-

ri vocant electrum: hunc Sole excalefactum è limo dare electrum fluitans. Theomenes dicit, iuxta Syrtim magnam hortum Hesperidum esse, ex quo in stagnum cadat, colligi vero à virginibus Hesperidum. Pfellus in Arabia gigni dixit. Serapio autem de succino loquens, ait sub mare inferi nascitur, vt fungi in terra, eminens super mare, æstu maris frangi, & inde capi. Dicitur *charitoblepharon*, quasi *gratiosa cilia*; ex combusto enim succino fit nigerrimus fumus, quo antiquitus ad perornanda cilia tingebantur; & si cædatur succinum, hebetat ferri aciem. Infantibus succina alligari amuleti ratione prodest, & cuicunque ætati contra lymphationes. Illud subuenit naturalia recondita scrutanti, quod si quem succineave este indueris, alterum vero paleari, illico mutuis copulantur nexibus. Gagates eiusdem speciei, attrahit etiam paleas, & ad eadem valere suspicamur.

Plantas ad philtra valere, quibus argumentis excogitauerint;

CAP. XVI.

SED longe futilibus argumentis plantas ad mutua odia & amores valere ex forma, & actionibus imaginati sunt. Palmas se mutuo amore prosequi dixerunt Græci, nec sine maribus gignere fœminas, sponte edito nemore confirmant, circaque singulas plures nutare in eum pronas blandioribus comis; illum erectis hispidum afflatu, visuque ipso & puluere etiam reliquas maritare. Huius arbore excisa post sterilescere fœminas, adeoque est Veneris intellectus, vt coitus etiam excogitatus sit ab homine, & maribus flore, ac lanugine, interim vero tantum puluere insperso fœminis. Esse in fructibus quibusdam osseum, lunatumque dente contra fascinantes religione politum. Huic simile, quod in Parthis nasci tradit Apollodorus, Philadelphum appellatum ex argumento, quod rami eius ex interuallo sponte coeant, ceu amantes, post digrediantur, concipiant, & pariant. Occurrunt etiam plantæ, quas à similitudine aliqua primorum viscerum nostrorum, vel amantium animalium, vel insignis alicuius actionis amatorias plantas nominarunt. Quemadmodum mandragora, quod bifida radice esset, ac veluti duobus cruribus diua-

icata, Pythagoræ ἀνθρωπόμορφος dicta, id est quod humanum runcum, & artus adumbret; duûm generum est, homigera, œminigera, quod vtriusque sexus clunes, qnas disparatas ostentet, minor fœmina, ob imbecillitatem sexus. Ad Pythagoræ nomenclationem alluſit Columella:

Quamuis semihominis vesano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores.

Ad amorem valere fuit olim maxime credita, & vocitata Circea, à Circe Magica inuentrice, Solis filia. Theophrastus id amores ex vino, & aceto subactam dari scripsit, eademque ab eo protulit Dioscorides. Ad hippomanis iam dicti similitudinem: hippomanes herba est à Theocrito in amatoriis decantata, his verbis:

Ἱππομανὶς, φυτὸν ὅτι παρ' Ἀρκάσι, τῶδ' ὅτι πᾶσαι
Καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν' ὥρια, καὶ θοαὶ ἵπποι.

Hæc Theocritus ex Hesiodo accepit. Sunt qui Theocrito diuersentur, neque talem plantam in Arcadia, neque vspiam reperiri, sed carunculam in equi fronte nascentem esse, vt diximus. Sed Crateuas plantam agnoscit, quæ fructum instar pici siluestris habet, folium vero fuscum, vt papauer, quin & spinosum esse, idque amatoriis veneficiis immixtum mirifice pollere. Asphodelus centum capita dicta, quod similitudinem humanorum testium quadamtenus æmuletur. Plinius portentum esse, quod de ea traditur, radicem eius alterutrius sexus similitudinem referre, raram inuentu, sed si viris contigerit mas, amabiles fieri, ob hoc & Phaonem Lesbium dilectum à Sappho; multum à Magicis, & Pythagoreis decantari. Putant eam ante portas satam, amuletum esse. Dionysius discreuit etiam sexu, marem, & fœminam in ea competiens. Crateuas Veneris auiditates, desideriaque finire tradidit, & cum vino concitare. Cyclaminus suo circinato radicis bulbo muliebriem vt erum affabre demonstrat effigiatum. Theophrastus eius bulbum ad amatoria valere dixit, è terra suffossum, ac dulci vino subactum, & in pastillos digestum, sicut vini fæces, quæ maculas abstergunt; & eadem ab eo recenset Dioscorides: vino etiã addita, Venereas alacritates

adauget, & ad abortus valet. Cotyledon, siue Veneris vmbilicus, concauum affert folium, rotundum, læue, acetabulum, aut fœmineum vmbilicum imitatum, crassum, carnosum & succulentum. Medici vmbilicum, luxuriæ sedem dicunt. Dioscorides ad amatoria valere dixit. Aizoum maius folia fert cacumine humanæ linguæ similia carnosa, pinguia, in ambitu effigiem imitata oculi. Plin. σπόγγῳον dici scripsit, quod amatoriis conueniat. Leontopetalon folia affert, quæ iuxta radicem lanosiore flocco canescunt. Tradit Dioscor. appensam ad amatoria valere. Radicem hanc contemplati sumus, ita fœminæ pubem lanuginoso mollique flocco pubescentem, demonstrantem, vt tali intuitu lætaremur, & similitudine. Phyteuma ad amatoria tantum valere tradidit Dioscorides: fortasse quia copiosum semen in singulo pericarpio ferat, & pertusum, ad amorem, & ad serendum prolem aptum. Catanances vtrasque ad amatoria expetere ait Dioscorides; Thessalicas tribades, his fortasse, quia arescens folium in terram flectatur, & se contrahat in speciem vnguium milui exanimati. Plinius hanc deridens coniecturam, lectam ad hunc vsum dicit, quoniam arescens contraheret se ad speciem vnguium milui exanimati. Eadem ex causa lemos siletur ab eo. Nomen *catanances* inditum, quasi fatali necessitate impelleret ad amorem, vel necessarium amoris illicium, quasi fascinatricibus, & præstigiosis viribus donata. Staphilinus, siue pastinaca, humanum crus, siue membrum æmulatur. Orpheus amatorium inesse staphilino dixit; fortassis quoniam Venerem stimulari hoc cibo certum est, & ideo conceptus adiuuare aliqui prodidere, ex Plinio. Contra autem animalia sibi, & omnibus inuisa & sine prole, contrarium prædicto effectum præbere dixerunt veteres: nam sicut horret visus ea videndo; ita hominem odisse, & ab omnibus abhorrere faciunt. Chamæleon venenatum, & inuisum, deformeque animal, quum nullo cibo viuat; iocinore suo amatoria dissolui, intestina & fimum cum simiarum vrina illita inimicorum ianuæ, odium omnium his conciliare aiunt, ex Plinio. Rubeta fœdum aspectu animal, & horribile, è putre-

ine naſcens; amorem finire Plinius dixit, in pecoris recen- corio alligatam. Mulæ gignendi facultate orbatæ, etiam morum illecebris; ob id ad deſtruendum conceptus, vt di- imus, & ad odium, & ad labefactandum amorem vtuntur. linius puluerem, in quo ſe mula volutauerit corpori inſper- m, mitigare amoris ardorem ſcripſit. Si in amantis calceum ereus amaſiæ ponatur, vbi odorem ſenſerit, amor diſſolui- r, cum odioſa hæc res ſit, & ab Ouidio recitatum libro 1. e remedio amoris:

Illa tuas redolent Phineu medicamina menſas;
Non ſemel eſt ſtomacho, nauſea facta meo.

præproperi coitus animalia ad eos valere, qui ex tardi coitus animali ligatos ſe putant; CAP. XVII.

VANA perſuaſio apud homines eſt fatuos & plebeios, ſe facile à mulierculis poſſe ligari, vt impotentes ad coi- s fiant, atque ſuperſtitionibus, & inanib. verbis obmur- uratis prouenire putant, quod non niſi ex naturalibus re- us, & ſuperſtitione alienis prouenire ſcripſerunt antiqui: les ſit penes eos. Nos aliqua adducemus exempla, quibus itionibus inducti ſint, vt hæc crederent: vtebantur enim hæc conficienda animalibus tardi & ligati coitus, membra ex iis eligendo, quibus hæc actio perficeretur. Animalia go, quæ alligati & remorantis coitus ſunt, ex Ariſtotele, nis, lupus, & phoca; ſed Oppianus teſtudines & phocas xit. Cuius rei Aphrodiſienſis cauſam inquirens dixit, quod ia colis venereo vſu intumeſcit, & vuluæ oſtrictum, & que dum glutinoſum, & lentum ſemen inſtillet in matri- m, colligentur. Lupi eodem modo coeunt; canes in medio itu auertuntur, inuitique etiam cohærent, ex Ariſtotele: id lupi virga ligari dixerunt, & hac ligatione nullam eſſe hementiorem, ex Rhaſe. Videte quam leui perſuaſione ac ad id ſcribendum impulſi. Canis eodem modo coit, & in itu ligatur; & ex eo pigrior in Venerem fit, ex Plinio. De oca nihil adhuc exploratum, vel à quopiam traditũ. Eadem oque coniectura animalia, quæ ægrius vrinam reddere vi- mus, ad vrinæ retentionem valere, vt ne veſicam exone-

rent, donec exſoluantur, vt etiam quotidie videmus. Canes vrinam ægrius reddunt, nec poſſunt niſi ſublato crure mingere : quare canis vrina ad id vtitur Plinius; corio virgæ Rhaſes. Eiuſdem proprietatis, & virium lupus, vnde ſi quod animal minxerit ſuper vrinam lupi calidam, non concipiet vnquam, ex Pythagora, ſed Rhaſes de muliere dixit. Facillimi coitus animalia aues diximus iam ſupra; ſcilicet picus Martius, non ſolum facilitate coitus, ſed & clauſuras ſoluit, ita ligatos; pica uulgaris, & eiuſmodi ſimiles: aſſati enim, vel elixi comeſti, illico ligatos ſoluunt, vt ſæpius experti ſumus.

Animalia, quæ probroſæ veneris ſpeciem quandam præſeferunt contra eam valere; CAP. XVIII.

SVNT & quædam præter naturam vitia, quibus aliqua animalia obnoxia credimus; ſunt & quædam, quæ etſi à vulgo ita credita ſint, re vera non ſunt, nam contra eos qui id crediderint, inuehitur Ariſtoteles. Sed id ſpecimen nobis dedit Natura, ad demonſtrandum nobis, eiuſmodi animalia contra hanc probroſam, & infamem Venerem valere. Leporum Archelaus ſcripſit, vtrumque ſexum ſingulis ineſſe, ac ſine mare egregie gignere, Plinius ſcribit, quod aliquando mas, aliquando ſit fœmina; quandoque velut maſculus generet, quandoque vt fœmina patiatur. Apud veteres recepta eſt opinio, eos formoſos aliquibus diebus videri, qui lepore veſcantur. Sed hyæna credita per annorum vices nunc mas eſſe, nunc fœmina : reuera tamen falſum eſt, nec genitale ſimul maris & fœminæ habet; quod vero ſub cauda poſitum eſt, ſimile genitali fœminæ, ſine vllo meatu intus eſt. Id oſtendit nobis Natura, quòd pili cauernæ cinerem hyænæ ex oleo illitum eis, qui ſint probroſæ molliciei, non modo pudicos, ſed & ſeueros mores induere, ſcripſit Plinius; à quo Rhaſes & Albertus: ſi pili de ano maſculi hyænæ combuſti, tritique cum pice inungantur ano cynædi, liberabitur illo vitio.*

Hilares plantæ, & animalia ad hilaritatem; triſtia ad mœrorem valere; CAP. XIX.

ERANT triſtes plantæ nigrorum fructuum, florum, & foliorum, quæ, vt vidimus, melancholiam inducebant; erant & hilarium, quæ ebrietatem, lætitiam & ludum inducebant animis noſtris. Sunt & hilaria animalia, ſcilicet, quæ facile ludunt, & ſcurrili geſticulatione valent: hæc ad melancholiam expellendam, & hilaritatem inducendam valent; contra ſiquidem animalia triſtia, mœrorem, & triſtitiam inducunt. Natura ſimiæ ridiculo animali, ridiculam animam, & corporis conſtitutionem dedit ridiculam, ex Galeno; quemuis ludum diſcit, delectaturque ludendo, natum ad ludendum, & imitandum animal. Adamantius ſimiæ ingenium ſcurrile, & ſimulatio inſignis: cor ſimiæ aſſum, & aridum potum drachmæ pondere cum melicrato vetere, roborat cor, puſillanimitatem & cordis pulſum depellit, ex Rhaſe; melancholiam expellendo, hilaritatem inducit. Voratur à leone, ad expellendam melancholiam. Pica in vocis imitatione ſingularem naturam ſortita, aliquando hœdi vocem, & ouis, & vituli, quibus inſidet, & paſtoris ſibilum imitatur, ex Oppiano. Sed auctor Philomelæ.

Pica loquax varias modulatur gutture voces.
Scurrili ſtrepitu quicquid & audit, ait.

Conſtat emori victas difficultate verbi, quærentes mirum in modum exhilarari, ſi interim audiuerint id verbum, ex Plinio. Combuſta in olla ſigillata, quocunque modo data, contra melancholiam valet, ex Arnaldo. Contra boues melancholici ſunt, nulloque exhilarantur ioco; ob id eorum caro melancholiam generat, & melancholicos morbos, ex Simeone Sethi, & aliis. Corui mos, & caro melancholica; & eiuſmodi hominem reddit; ſic & de reliquis, ne longiores in rebus claris ſimus.

De antipathia, & ſympathia plantarum, & animalium; & de ſingulari plantarum antipathia; CAP. XX.

INTER plantarum & animalium mores, nil occurrit vtilius, & ex quo ingentes & mirificę rerũ proprietates venari

possunt, qui ex latenti rerū consensu, dissensuque, quem Græci *antipathiam* & *sympathiam* vocant, nihilque admirabilius in tota Natura spectari potest, vt vna planta, vel animal alterum perhorrescat, vel quasi ictis inter se fœderibus deuinciantur; res amphitreatrali spectaculo digna, quum contingit. Quis enim tantæ discordiæ, & dissensus causam attulerit, nisi Naturam hoc spectaculo mortales ad eius secreta contemplanda, & eruenda promouere? vt si alter alterum perhorreat, inuisum inuidentis defectus resarcire, vel mederi posse; sic mutuum amorem & odium ex mutuis, & aduersis viribus, commodis, vel incommodis euenire: ex similitudine enim amor, & attractia; dissimilitudine vero incommodum, & fuga. Plinius ad id: Pax simul in his, aut bellum naturæ dicetur, odia, amicitiæque rerum surdarum, ac sensu carentium; ex quo magis miremur omnia ea hominum causa. Aliam nos reddimus rationem de hac amicitia, & inimicitia plantarum, animaliumque, quam hactenus tradita sit frigidi, calidi, & sicci: ad altiora enim contemplanda, & vtilia inuestiganda natura hoc spectaculum proposuit. Quædam succi, odorisue viribus reddunt deteriora, vt brassica & laurus vitem offendunt; olfacere quippe eam, & attrahere dicunt; quamobrem germen, quum illis propinquum fuerit, retrocedere atque auerti, inimicum fugiens odorem. Androcides hoc exemplo vsus est, medela contra vinum confecta, ex brassica videlicet, posse temulentiam propulsari, quippe cam vites etiam odorem brassicæ fugiunt, ex Theophrasto. Nestor in eo libro, qui *Alexicepos* inscribitur, brassicam Lycurgi lacrymam esse scribit, quam quum à Libero patre viti alligatus esset, effudit; is Lycurgi seueritate deterritus, in mare se demerserat, ex quo nascitur hoc olus; ideo vitis & brassica tanta laborant discordia, vt si in agris hoc olus assitum viti prosiliat, vel ipsa confestim emarcescat, vel certe sarmenta eius elangueſcentia contabescant. Vineas, quibus etiam brassicæ nascuntur, languidius quidem vinum creare tradit Athenæus. Brassica corrumpitur in dolio vini sapor & odor. Ægyptiis, qui magnopere vini sunt amatores,

moris

moris est omnibus esculetis brassicam coctam in cibatu præmittere, quia vini noxam inhiberet: vuam in faucibus tumentem succus brassicæ diu contentus, reprimit; tam pertinax inter has plantas inimicitia, vt si defluxionis impetu vua procidat, aut laxior in fauces decumbat, iniecto capiti brassicæ crudæ succo, in excelsum oris protinus resiliat, vt sæpius ego hoc vitio laborantes homines hac medela à mortuis reuocaui. Si quis feruescenti in olla brassicæ vini paululum guttatim instillauerit, ne amplius quidem excoquetur, sed suis viribus defuncta, ad perniciem trahetur. Qui multum vini hauriunt, aut potandi certamine se prouocant, ne temulentia tententur, brassicam crudam cibis anteponunt. Laurus etiam vitem offendit, vt diximus ex Theophrasto: quamobrem quum germen vitis proprius accesserit, auersa retrograditur, inimicum fugiens odorem. Medetur etiam vuæ, vt diximus: nam folia ad ternas aquæ partes decocta, vuam gargarizatu cohibent. Vitis odit & corylum; nisi procul absit, tristis, & ægra. Nuces auellanæ tostæ destillationibus etiam medentur, alopecias pilo restituunt; nam qui vinum plus æquo hauriunt caluitium & præmaturam canitiem experiuntur. Auellanæ pinguedini conferunt plus quam sit verisimile, & præter fidem corpulentiam augent: acetum ingestum emacrat homines. Occurrit aliud ingens discordiæ miraculum: hoc olus, quo vitem fugari diximus, aduersum cyclamino, & origano perarescit; cyclaminus immistus vino inebriat, ex Dioscoride; & brassica, vt diximus, contra ebrietatem valet: brassica atrum & melancholicum succum generat, ex Simeone Sethi; origanum aridum acetabuli mensura potum in aqua mulsa, atros humores per aluum extrahit. Quercus consita iuxta iuglandem nucem perarescit, glandes comestæ flatus pariunt, ex Dioscoride; iuglandes cum putamine suo datæ, & vmbilico admotæ, tormina sedant, ex eodem. Etsi hedera suo complexu strangulet omnes arbores, totumque humorem exsugendo necet, succi crassioris haustu; vitem tamen maxime offendit, inimica maxime est ei, vino aduersatur, & temulentiam propulsat; imuio mira he-

deræ natura ad experiendas vini fraudes: nam si fiat ex hederæ ligno vas, imittaturque in eo vinum aqua mistum; vinum transfluit, aqua remanet; nam non continet vinum vas hederaceum, ex Catone. Baccho sacram faciunt, & præcipue quæ *Dionysia* dicitur, ob eam causam, immo fabulantur Poetæ Citton iuuenem, dum coram Libero patre saltibus & choreis indulgeret, in terram fuisse deturbatum, terra Bacchum magnis honoribus extollens, viticulam edidit, iuuenili pullulatu, frondentiq; virore perpetim enutritam, neque, vt multi credunt, ebrietatem inducentem; nam noxam potius bibentibus, quam temulantiam inducit, vt ex Typhone apud Plutarchum habetur. Orobanche inter legumina nascitur, eaque strangulat, vnde & nomen illi: addita eadem leguminibus, dum coquuntur, facit ea facilius percoqui. Mirabilis est cicutæ, & rutæ antipathia, probabili hoc argumento, quod rutam colligentes cicutæ succo manus armant, ne pernicioſis vlceribus ab ea infestentur, & ruta eius venenum hebetat; nam ruta contra venenum est. Mustela cum serpente dimicatura, rutam, ceu alexipharmacon quodpiam edit, ac rutam ad extinguendas cicutæ noxas iniicit Dioscorides: rutæ succus copioſior datus, veneni noxam obtinet, quod cicutæ succo extinguitur, adeo vt venenorum venena sint. Limodorus, quem alibi *cuscutam* diximus, complicando eruum strangulat, vnde orobanches nomen: eruum grassante famis iniuria, capiti, & stomacho oneroſum, genua degrauat, boues cerebroſos reddit, & aluum turbat. Abstergit cassuta venas pituitoſas, & bilioſis exonerat humoribus. Cucumis oleum ita refugit, vt si quid obest, vel si pendeat, reflexus in se plicetur, vt hamus; idque vna vel altera nocte deprehenditur: cucumis horrores concitat, oleum contra horrores valet.

De particulari animalium antipathia;

CAP. XXI.

EADEM exempla ex animalibus afferemus, iisdemq; remediis pollere videbimus. Alces continuo comitiali morbo laborat, exhorretq; lupum, quo statim viso irruit in eum: lupi

cor crematum, tritum & potum mire prodest epilepsiæ; & hominem, qui Lunam senserit, canini dentes lupi liberant, ex Pythagora. Exhorret elephas arietem, vt si efferatur, viso statim ariete, mansuescat, & conflacceſcat impetus, vt ex Æliano habetur, Plutarcho, & Zoroastre in Geoponicis: vnde Romani Pyrrho Epyrotarum regi elephantos in fugam vertisse, victoriamque ex bello retulisse scribitur; & regem insipientiam fugientem significaturi Ægyptij, elephantem & arietem pingunt; fugit enim ille, quum arietem videt, Orus: ob id si fiat emplastrum ex arietis lingua ad elephantiasim, eius prohibet augmentum, & ipsam decrescere facit, ex Auicenna; & hircinus sanguis carcinomata sanat, ex Plinio; est enim elephas morbus lepræ genus, ad elephantis cutis similitudinem dictus, crebris per summa corporis maculis, & humoribus, iisque pedes & suræ inflantur, vt elephantorum pedes habere videantur: & vt cancer vnius partis, sic elephas totum corpus, quasi cancer extimatur. Elephas ceraſtem etiam abhorret (nisi Volaterranus perperam pro cornuto hircum ceraſtem reddiderit) ex Æliano, & draconem maxime perhorrescit, vt vsque ad internecionem certent. Medentur serpentes, & viperæ elephantiasi, ex Dioscoride, Galeno, & cæteris. Soliuagi canes lupos abhorrent, qui si deprehendantur à lupis, vorantur: ob id si lupina pellis gestetur ab eo, quem canis rabidus momorderit, non incidet in hydrophobiam, qui morbus cani peculiaris. Canis hyænam timet, nam hyæna multas ei molitur insidias; quem si ter lustrauerit, è vestigio hæret, nec mouere se potest, Plinius & Solinus. Lunæ autem orbe pleno retropositò Lunæ fulgore, super canibus vmbram iniicit, quos mutos reddit, & tanquam veneficio quodam eorum sensus præstringit, Ælianus & Philes: hyænæ cinis contra rabidi canis morsum efficax est, & iecur efficacius, & substratum corium; auxiliaris adeps etiam aquam expauescentibus. Exhorret vrsus canem, vt vrsina perfidia in eum excandescat, & post dilanietur: vrsi fel à cane rabido morsis cum magna admiratione datur apud Galenum. Pellis vrsi vulneratis à canibus substituitur,

ex Aetio. Lupi odio habent equos, & si luporum vestigia sub equite sequantur, comprehenduntur, & rumpi dicuntur: & si equa lupum presserit, vel ipsius vestigia attigerit, infatigabilem cursum præstare dicit Plinius: Lupi anhelosis medentur, qui morbus equos molestissime affligit. Murem animalium maxime odit elephas, & si pabulum in præsepe positum tangit, ab eo fastiditur, ex Plinio, & Solino; quod valeat ad elephantiasim, adhuc inexpertum; sed mustela eius generis suspensa, vel eius cinis, valet elephantiasi, ex Plinio, Sexto, & Æsculapio. Elephas suis grunnitu peraudito, fugit, ex Oro Ægyptiaco, siue secundum naturam à suillo pecore abhorret, siue quod absonum vocis acumen perhorrescit: vnde quum Megarenses ab Antipatro obsiderentur, in sues pice oblitos incendium excitarunt, vt Macedonum elephantos perturbarent, & ordinem non seruarent: elephantes omnibus morbis immunes, solum inflammatione alui acrius infestari ex Aristotele habetur: Præterea humorum dolore torquentur ob oneris attritionem, quibus suillis carnibus appositis foueri dixit idem Aristoteles: & suis vetustissimus adeps, calce exceptus, inflammationibus succurrit; & talus combustus tritus, & potus, coli inflammationibus, & torminibus medetur, ex Dioscoride; & histrix è suillo genere elephantiasi medetur. Equi ab elephantis prælio terrentur, ex Heliodoro, & Marcellino: valet ebur ex lacte equo rabido, ex Nemesiano. Rabiunt enim equi variis de causis, vt apud Hippiatricos: nam elephanti sanguis ad reumatismos valet, ex Plinio, quo morbo equus maxime laborat. Equino generi suilla omnia inimica & inuisa, grunnitus, fœtor, & halitus: ad equos pneumaticos porcellum lactantem iuxta equum affectum, vel sanguinem feruentem, statim in fauces eius infundas, Pelagonius; hinc ad hominum pulmones valere compertum est. Equis naturali odio camelus aduersatur, testibus Æliano, & Plinio. Cyrus in prælio aduersus Crœsum camelos contra equitatum instituit, hac ratione, quod camelus equum reformidat adeo quidem, vt ne speciem eius intueri, nec odorem sentire sustineat, idcirco commentus est, vt equi-

tatum Crœsi, quo ille se prævaliturum considerabat, inutilem redderet: simulatque in pugnam itum est, equi olfactis protinus conspectisque camelis, retro se auertunt, vnde spes Crœsi interiit, ex Herodoto. Equis morbus immedicabilis est asthma, cui lac cameli auxiliatur, & anhelosis, ex Auicenna. Lupus, multis terrorem infert, erinaceum perhorret: si erinacei sanguine molli, & aqua calida gargarismus fiat, vocem raucam, & obtusam emendat, quem adimit lupus anticipato obtutu, ex Æsculapio. Leo fortitudine sua animalia omnia exterret, & quæ nunquam eum viderint, vel experta sunt, audito rugitu, attonita manent: ob id leonis adipe si quis suum corpus liniuerit, ab omnibus bestiis tutus erit; & leonis coriam si lupi corium contigerit, depilat illud, & similiter alia coria. Sed gallus leoni ferarum generosissimo terrori est, tale & tam ferum animal crista, & cantu fugat: nam magno terrore conficitur, immo tradit Proclus; dæmones leonum forma apparentes, etiam gallus exterret, ex Æliano & Zoroastre: ob id gallinaceo iure perunctos, pantheræ & leones non attingunt, ex Plinio; ad tertianam gallinacei testes propinantur, ex Alberto; & ad atram bilem, & ad longas febres gallinaceum ius præbent, ex Dioscoride, cui morbo leo maxime obnoxius. Accipitrem chamelæonti maxime inimicum, extrahere enim supra ad se volantem tradunt, & voluntario præbere se lacerandum cæteris animalibus, ex Plinio; felle glaucomata & suffusiones corrigi proprie creditur, tridui inunctione: chamelæontis fel tantam vim habere creditur, vt hypochyses intra triduum inunctionibus sanet, ex Marcello: accipitres hebetudini oculorum præ cæteris auibus obnoxij sunt, vt etiam curationem huius ægritudinis in promptu habeant, lactucam scilicet, quam medicinæ gratia requirunt. Lacertæ cochleis inimicissimæ sunt, ex Plinio; si lacertum per medium ferias, & discindas, tacita consensione ex se solidescit, ex Solino & Phile: cochleæ tum vulnera alia, tum maxime quæ nerui acceperint, conglutinant, Dioscorides. Simius supra modum horret testudinem, eaque visa mirum est spectaculum, quanto cum horrore re-

liat bestia; vnde qui alligant testudinem catenæ, à qua reuinctus sit simius, vt effugere non possit, incredibile est dictu, quam discrucietur, vt metu fere exanimetur. Simiæ vinum bibunt, & ebriæ capiuntur, vt Athenæus refert: si quis testudinem abluerit vino bono aliquandiu, & acceperit de sanguine, illumque tum vino miscuerit, & dederit clam bibendum mensura dimidij calicis mane ieiuno tribus diebus, videbit diuinam vim, ex Myrepso. Perpetuæ sunt rixæ testudinis & perdicis, quarum altera luxuriosa, altera casta.

Animalia, quæ cum venenatis animalibus præliantur, contra eorum venenum valent; CAP. XXII.

SVNT & animalia, quæ antipathia quadam cum animalibus venenosis præliantur, & eorum carnibus vescuntur; à Natura edocti sumus contra eorum venenum valere. Exempla. Ceruorum est cum serpente pugna, neque hostem ipsum serpens in latebras se condens, aufugere potest: etenim munifico quodam Naturæ munere, cerui narium spiritu foras serpentes extrahunt, extractumq; mandunt, ex Æliano: ob id cerui adipe perunctos serpentes omnes fugiunt, & lapis *bezahar*, qui ex lachrymis cerui fit, contra venena efficacissimum antidotum, eius coagulum contra serpentum ictus, & pellis 29.
substrata à serpentibus tutos reddit, abigunturque omnes adusto ceruino cornu. Elephantorum quoque anima serpentes è cauernis extrahit, & cum draçone inimicitias gerit; eius adeps ad venena valet: nam eo perunctо, aut suffito, oportet serpentes velocissime aufugiant, ex Æliano; cibo quoque efficacissimum medicamen contra serpentum venena. Circa Thessaliam tanta serpentum copia est, vt nisi à ciconiis deuorarentur, incolæ pellerentur, ex Aristotele in Mirabilibus; lacerto, chersydros, aliasve pratorum pestes, & maxime cenchrum sectatur: earum membra contra omnia venenata valent, ex Æliano; sic aqua contra pestem è ventriculo earum, ex Quintiliis. Scorpionibus maxime contrarius stellio traditur, vt visus quoque pauorem iis inferat, & torporem frigidi sudoris: itaque in oleo putrefaciunt eum, & ea, quæ scorpius pupugerit, loca inungunt; Ælianus,

Philes, Plinius, & Galenus. Mullus piſcis leporem marinum capit, & eum comedit : valet contra eius morſum. In luto Nili volutus ichneumon, apricat ſe, donec tergum ſiccetur, & dureſcat, ſic irruens in aſpidem, vel caput eius morſu amputat, vel mordicus apprehenſam cauda in fluuium trahit, ex Nicandro in Theriacis, & Æliano : draconum adipem venenata fugiunt, item virus ichneumonum, & cutis cinere in aceto peruncto, ex Plinio. Muſtela ſerpentem impugnat, & baſiliſco ſerpentum venenoſiſſimo muſtelarum cinis exitio eſt; adeo Naturæ nil placuit eſſe ſine pari, ex Plinio & Solino; caro eius veneno aduerſatur, ex Auicenna, & aduerſus ſerpentum venena valet. Sui ſerpens aduerſatur, quum deuoratur ab ea; imo talis & tanta vis, ſalamandra à ſuibus innocue etiam manditur, ex Plinio. Apros in Pamphylia, & Ciliciæ montuoſis, ſalamandra ab his deuorata, qui edêre moriuntur, ex Æliano; ſuis iecur cum vino ſumptum, venenatorum morſibus medetur, ex Simeone Sethi : contra ſerpentes auxiliatur verrinum iecur. Magna eſt aquilæ pugna cum draconibus, & anceps valde, eos rapit vnguibus, & roſtro in aera; illam vero angues multiplici lapſu inuoluunt, vt colligati ſimul cadant : Florentinus in Geoponicis ait ſerpentem non accedere vbi iacet aquilæ, aut milui ſtercus, aut ex combuſtis pannis ſuffitus fiat. Ibis à Græcis ὀφιόφαγος dicitur ab eſu ſerpentum, & pugna : colitur ab Ægyptiis, quia non ſolum ſerpentes necat, ſed eorum oua frangit, & ſuis pullis in eſcam affert : aſſa ſerpentes depellit, eorumque morſus ſanat. Gallinacei aſpectum, & cantum baſiliſcus timet, contra ſerpentes pro gallinis pugnat : cuius ius potum contra ſerpentum morſus valet, ex Plinio; & gallinæ diſſectæ, & adhuc calentes appoſitæ ſerpentum morſibus auxiliantur, eorumque cerebellum etiam in vino bibendum datur, ex Dioſcoride. Teſtudo cum ſerpente pugnat, contra ſalamandræ venenum valet, ex Nicandro. Chamelæon volantem ſupra ſe accipitrem ad ſe trahit : ad hauſta chamelæontis oua datur in potu ſtercus accipitris è vino, ex Bellunenſi. Non omittemus & hoc mirum. Mures aranei, ſi orbitam

(id est, vestigium rotarum currus volutatione impressum) transiere, moriuntur; quare & terra morsui, quem inflexerint, insperſa remedio est, ex Æliano.

De mutua plantarum antipathia;

CAP. XXIII.

SEQVVNTVR quæ non altera alteri, sed mutuo sibi ad inuicem aduersantur. Quercus & olea tam pertinaci odio dissident, vt altera in alterius scrobe depacta, moriatur; esitatæ glandes capitis dolorem faciunt; oleum ex oliuis capitis doloribus præstat; quercus restringit, oleum relaxat. Peribit filix, quam per ambitum copiosior arundo coronet, & contra euanescens abibit arundo, quam obsepiens multa filix in orbem cinxerit: arundo contrita & imposita, corpore filicis stirpem extrahit, item arundinem filicis radix: harundo recens trita & in vino pota Venerem concitat, ex Plinio; filix inimica fœminis, quoniam grauidis abortum infert, cæteris sterilitatem.

Animalia sibi mutuo aduersantia, mutuas & aduersantes virtutes retinere; 29

CAP. XXIV.

EADEM ratione animalia, quæ mutuo inimica sunt, mutuas & aduersas virtutes habent, vt altera alterius vitiis medeatur. Draconem elephantus perhorrescit, & mutuo inimici sunt; Æthiopia dracones ipsos generat, quos elephantorum interfectores vocat, graueſque inter se gerunt inimicitias: moritur in dimicatione elephas, morienſque complexum elidit pondere; draco ipsius fauces circumflexe ambit, flexuque nodi perstringit, ille arborum, aut rupium attritu necat; in aduersos erigunt se, oculosque maxime petunt, ita vt cæci fame, & mœroris tabe confecti reperiantur: draco elephantiasi medetur, ex Galeno de vipera loquente; & elephanti adeps serpentes fugat, ex Dioscoride. Domesticæ omnes feræ lupum timent, & odio habent; ob id ex lupina pelle confectum tympanum & pulsatum, solum resonabit, silentibus omnibus, vtcunque sonoris, ex Oppiano; & habentes caudam lupi, omnes feræ fugiunt. Lupi, qui vniuersis odio sunt, adeo natura immanes sunt, vt se mutuo

vorent, & ſibi inuicem moliantur inſidias : nam in orbem circumagendo, & ex vertigine lapſos, facto impetu omnes dilaniant & vorant ; idque accidere dicit Ælianus, quum venatus facultate deficiuntur : morbi, quos patiuntur, ex Ariſtotele, ſunt rabies, ſynanche, & podagra, vt ſilueſtres canes; ob id ad podagram lupum viuum incoctum comedunt, ex Plinio ; & qui per lupiguttur biberit in ſynanche, certiſſima ſalte euadit, ex Agricola, & Hali ; & lupi pelles ad canis rabidi morſus laudant. Serpens & herinaceus mutuo inter ſe odio flagrant ; quamobrem in latibulo occurrunt, echinus in orbem ſe contrahit, vt præter ſpinas nil emineat, irruens in eum ſerpens, ſpiris implicatis fruſtra mordet, & quo arctius illum comprehendens premit, eo magis ipſe aculeos infigit, & vulnerat ; quibus vtcunque afflicta, non remittit tamen, donec emoriatur ; alias ſimul pari caſu intereunt, vel echinus euadens, ſerpentis mortui corpus adhuc aculeis infixum geſtat, ex Oppiano ; herinacei caro ſumpta morſis à ſerpentibus venenoſis occurrit, ex Auicenna ; & ſerpentum occurſus partum abortu vitiat, & illico parere cogit : echinus pariendo cunctatur ; nam aſperiore facto fœtu, mora temporis maiore cruciatu perit. Ciconia magno veſpertilionis odio tenetur, & hæc etiam illius, Ælianus : ciconiæ ouis perniciem molientes veſpertiliones ſæpiſſime vindicant ; cum hæ itaque ſolo ſuo contactu oua ipſa ſterilia efficiant, hoc remedio vtuntur ciconiæ ; platani folia in nidos ſuos inferunt (quod Zoroaſter in ſuis Geoponicis confirmat) ad quæ accedentes veſpertiliones, torpore comprehenſæ perniciem afferre non queunt : ciconiæ pullos qui ederit, negatur annis continuis lippiturus eſſe, ex Plinio, & Marcello; cum ſtercus veſpertilionis aliquando oculos excæcare dixerit Arnoldus : adduntque Magi veſpertilionis ſanguinem collectum ſuo flocco, ſuppoſitumque capiti, mulierum libidinem mouere ex Plinio ; quum ciconiæ caſtæ viuant, vt diximus, ſerpens & rubeta ſibi mutuo aduerſantur, & vorant; ob id ad occidendos buſones in ventre natos ſerpens comeſtus valet.

De particulari plantarum ſympathia;

CAP. XXV.

AD ſympathias plantarum, animaliumque accedamus. Dioſcorides rutam in cibis commendauit, quæ prope arborem fici naſcitur, reliquam ferculis abdicauit. Plutarchus; ruta quæ ſub ficu proſilit, aut adnaſcitur illi, & ſuauior, & ſapore mollior habetur; hydropicis cum ficu decocta ad dimidias partes bibitur, item ad pectoris, laterum, lumborumque dolores, quum & ſocias habet vires ad aliquod malum expellendum. Magna eſt nepetæ & pulegij ſocietas, decocta in aqua ad tertias, diſcutiunt frigora; mulierumque menſtruis proſunt, & æſtate ſedant calores; reliqua ex Plinio petes. Odoratiores fiunt roſæ, quibus allia fuerint prope conſita; ad dolores, oculorumque vitia valet roſa, eademque præſtat allium. Et inter roſas, lilia, & allium arcanum commercium: nam ſi propius ferantur, vt ſe contingant, omnes vegetiores fiunt: contra ſerpentum ictus omnes potæ valent. Optime corruda, vnde fiunt aſparagi, ſeritur, vbi adſint harundines, ex Catone; talem inter ſe ineunt amicitiam: ambo alacriores vires ad Venerem reddunt. Mira eſt amicitia inter vitem & vlmum, vt hæ inter ſe, velut maritatæ & felicius creſcant, & vites fructuum prouentus dent vberiores: vitium lachryma lepras, lichenes, & pſoras ſanat, cortex & folia vulnera conglutinant; ſic vlmi cortex & folia glutinant vulnera, & ex aceto trita, lepris efficaciter illinuntur, & ſimilia. Nec eſt ſilentio prætereundum quod de vitis, & oleæ naturali concordia Africanus Florentini teſtimonio fretus, poſteritatis memoriæ mandauit, ſi olea inſeratur viti, non vuas modo, ſed oliuas quoque parere: ſed quam multis vtraque polleat remediis, vel per ſe, vel ſimul miſta, neminem enumerare poſſe exiſtimo.

De particulari animalium ſympathia;

CAP. XXVI.

ANIMALIA quæ ſe inuicem amant, enumerabimus & quas poſſident ſymboleitates & virtutes. Attagenes

ceruos amant, & eorum dorso saliunt, ex Oppiano. Attagenis cerebrum libidinem promouet, ex Auicenna: cerui natura luxuriosa est, vt diximus, cuius genitale Venerem excitare diximus. Perdices ceruos amant; & quando eas capere volunt, auceps cerui pelle induitur, & cornua capiti imponit, & furtim accedit vbi sunt perdices; illæ ceruum ratæ, accedere gaudent, vt discedere nolint, ex Oppiano. Valent perdicum oua ad Venerem. Amant & perdices capram; diximus iam ad coitum feruentes. Præcipuus est amor columbæ & tinnunculi; vetusque est Democriti præceptum, ne columbæ suas sedes perosæ relinquant, tinnunculi pulli singulis fictilibus ollis conduntur, stipatisque opercula imponuntur, & in angulis columbarij suspenduntur; quæ res auibus amorem loci conciliat, ne vnquam deserant, ex Columella: eius fimus oculorum albugines extenuat, ex Plinio; & columbæ sanguis ad oculorum vitia, & equorum leucomata, ex Hippiatricis Græcis. Hirundines homines amant, & intra domos cum hominibus habitantes nidificant, & redire quotannis ad eosdem nidos solent: homines dociles reddunt, amoremque mutuum conciliant. Canis homini amicissimus inter omnia animalia, cuicunque corporis dolori si lactens catellus admoueatur, apponaturque, transire in eum morbus dicitur, idque ex exenterato, perfusoque vino deprehendi, vitiato viscere illo, quod homini doluerit, ex Plinio; sic in chiragra & podagra, & omni arthitide nil præsentius ad tollendos cruciatus, quamlibet efferatos, & præsertim quibus pilus concolor. Sargus piscis adeo mire fœdo caprarum amore tenetur, vt ab Oppiano describatur:

Inuadit sargos caprarum mira cupido,
Qui madidi simas cupiunt tractare capellas,
Montanis gregibus, quamuis tot agmina ponti, &c.

Ex Æliano, piscis mire salax est, & alienas vxores deperit; hirci luxuriosi sunt, vt diximus.

De mutua plantarum sympathia;

CAP. XXVII.

EX mutuis plantarum amicitiis symboleitas virtutum inotescit. Myrtus lætiore coma virebit, vberioremq; fructum pariet, si comes rosa iungatur; Item cum myrto consortium iniens rosa, fructuosior euadit: mutuas habent facultates, constringunt, & valent ad sanguinis excretiones, alui profluuia, lippitudines, & alia oculorum vitia, aurium, sedis, capitis dolores, ignem sacrum, & vrinam. Inter rosas & lilia arcanum est commercium; si propius consitæ sint, vt se tangant, vel saltim aspiciant, rosarum & liliorum flores odoratiores & lætiores nascuntur: igni sacro, & vulneribus valent. & ambustis lilij radix cum rosaceo, & compluribus medicamentis simul admista valent. Democritus testatur punicam, myrtumque mutua consuetudine mirum in modum oblectari; quod si inter se societate, & consortio fruantur, fertiliores reddi; radices quoque etsi aliquanto distent interuallo, mutuo complexu exhilarari: fere eædem facultates, constringunt, vrinam cient, ad sanguinis excrecionis, ad oris, sedis, aurium, & oculorum vitia, lippitudines, & alui profluuia, contra scorpiones, & alia venenosa animalia. Scilla omnibus amica, in summa quicquid scillæ fuerit consitum, facilius germinat, & celerius gliscit, ex Theophrasto; & scillæ flos virgata specie prosiliens, modo celeriter non emarcescat, fructuum prouentum, ac vberem annonam nobis promittit: nobilissima bulborum scilla, nota beneominata sua nomenclatura *pancratij*, ad cunctos morborum affectus profligandos promittens auxilium. Etiam in limine ianuæ suspensa, contra veneficiorum noxam amuletum esse tradit Pythagoras; semper viuax, terno foliorum prouentu in anno, etiam pensilis diu vitam prorogare potest.

De mutua animalium sympathia;

CAP. XXVIII.

MVTVVS animalium amor ostendit mutuas facultates. Vulpes cum serpente amice degit, ambęque in cauernis gaudent: vtræque ad elephantiasin valent, vulpis stercus

cum aceto ad lepram valet, ex Marcello; & ferpentis caro ad idem valet, ex Dioſcoride, Galeno, & aliis. Coruus vulpi amicus, ex Ariſtotele; corui cinis podagras ſanat, eiuſque pellis tuſſi medetur; vulpes decocta ad podagras valet, eiuſque pellis ad aſthma, ex Plinio. Refert Plutarchus Nigidij opinione, quod vbi picus, ibi etiam lupus viſitur. Diximus ad ſoluendum eos, qui ſe maleficiatos putant, vtrumque valere.

De plantarum, & animalium ſimul ſympathia, & antipathia;

CAP. XXIX.

DIXIMVS de plantis & animalibus, & de eorum ſimplici ſympathia, & antipathia: nunc quam habeant inter ſe plantæ animalia & lapides diſcordiam, & amicitiam. Caprificus tauros quamlibet feroces collo eorum circumdata, in tantum mirabili natura compeſcit, vt immobiles præſtet, ex Plinio. Sed Plutarchus ad ficum, non ad caprificum manſueſcere dicit; ego ad caprificum dicerem: nam & caules caprifici, ſi carni bubulæ inter elixandum addantur, vt Plinius alibi ſcribit, magno ligni compendio eam percoquunt. Hominem nouiſſima calamitate caſtigatum deſignaturi Ægyptij, taurum pingunt, caprifico alligatum; hic enim cum mugit, ſi de caprifico ligetur, redditur manſuetus. Horus Apollo: Taurorum ſanguis fibris refertus eſt, quare omnium celerrime coit, & dureſcit, ex Ariſtotele; ideo lethifer in potu, Plinius: excepta Ægyra, ibi enim ſacerdos Terræ vaticinatura, tauri ſanguinem bibit: tantum poteſt ſympathia illa, de qua loquimur, vt aliquando religione, vel loco fiat. Caprifici ſuccum lacteo ſucco turgentem ex poſca, Dioſcorides propinat ad hauſtum taurinum ſanguinem: ſic Nicander Galenus, Aetius, & Plinius. Galli, qui fico pependerint, celerrime tenereſcunt, ex Plutarcho in Sympoſiacis; quum inter obſonia Ariſtarchi coquus immolatum Herculi gallum gallinaceum appoſuiſſet tenerum, fico acceptum referebat Ariſtio, contendenſque iugulatas aues & præduras teneritatem contrahere, quæ penſiles adhæſere fico. Celius Aurelianus de morbis cutis, refert, quod quidam à gallo gallinaceo pugnatore leuiter læſus, in rabiem venerit: ficus rabioſorum

canum morsus, folio trito ex aceto, testinguit, ex Plinio. Lupus scillæ bulbos contingens, resolutus fatiscit, ex Phile; vnde vulpes propter lupos latebris suis scillas apponunt, ex Zoroastre in Geoponicis: squilla cum pice illita ad canis morsus, rabiemque, quæ eadem quærit, quæ lupi rabiosi morsus. Cancer obiecta polypodio herba callos pedum; & vngulas exsuens abijcit, quæ rimis pedum mirifice iuuant: ego quia atram bilem eijcit, ex Galeno, & Actuario: & cancri morbus ex atra bile gignitur, & tetra vlcera, vt alibi diximus. Hederæ suffitus perimit vespertiliones. Africanus, & Zoroastet in Geoponicis; & platani aduersantur vespertilionibus, ex Plinio: ne vespertiliones ingrediantur, ad ingressus omnes platani folia suspendit, Africanus. Vespertilionis venenatus est morsus, ex Arnaldo: concipit, & parit optime, quia ouipara, & viuipara est; hedera contra morsus venenatos, vt pote phalangiorum, & sterilitatem inducit, & fœtus extrahit vuluæ indita, ex Dioscoride: platanus etiam serpenti resistit. Ciconiæ platani folia in nidos afferunt, vt vespertiliones abigant. Harpæ hederam nidis imponunt ad custodiam pullorum, vel vt abigant blattas, Zoroaster & Ælianus. Hedera nigra morbos sanat, harpæ autem præueniunt; Oppianus primo de aucupio. Harpæ, siue ossifragæ insatiabilia sunt animalia, & nimio infarctu lienes obdurescunt, & coctionem impediunt, vtuntur hedera, quæ lienosis prodest, Galenus, & Plinius; necat enim pediculos, ex Dioscoride; & blattas etiam necare potest, ob id, vt eas abigant, imponunt. Zythum potus genus, quod ex hordeo fit, elephantiasin gignit: eo ebur perfusum, obsequiosum, & operi tractabile redditur, ex Dioscoride: ebur namque lepræ plurimum prodesse scribunt Rhases, & Albertus. Ebur radice mandragoræ senis horis decoctum remollescit, lentumque ad cuiuscunque imaginis obsequia redditur; cuius drachma in potu, aut cum polenta in panis offa, vel obsonia data, dormituros protinus homines illo habitu, quo hauserint, ereptis omnibus sensibus, in ternas, quaternasue, ex quo potionati sunt, horas adfirmant: vtuntur hoc Medici cum scio-

dendi, aut vrendi negotium vrget; qui in lethargum, aut peſtilentiam inciderint, dentis elephantis ſcobe vtuntur, ex Aetio. Varro oleam ſterileſcere ſcribit, quam capra primo germinatu depauerit, aut lingua perluſtrauerit; ex quo factum antiquitus, vt Mineruæ olearum antiſtiti, caprini generis nil immolarint priſci, licet aliter ſcribat Plinius. Capra luxurioſa eſt, & luxuriem inducere diximus; contra olea luxuriæ, & immunditiæ inimica: & diximus alibi oleæ collectores antiquitus virgines fuiſſe, oleumque venenum labefactat; capræ carnium eſus graueolentiam ſudoris inducit, vt obijciebatur Thebano athletæ, qui continuo hiſce carnibus, depaſcebatur: folia olearum, & omphacinum oleum abominabile virus abſumunt, & ſudores cohibent. Os tibiæ accipitrum, ſi ad aurum admoueatur, ſic ipſum illecebra quadam mirabili ad ſe allicit, quemadmodum heracleotem lapidem ſua vi prædicant, quaſi præſtigiis & captionibus ferrum ad ſe trahere, Ælianus: accipiter aſſus & in cibo ſumptus, animum corroborat, melancholiæ reſiſtit, ex R. Moſe in aphoriſmis: de auro idem ab omnibus prædicatur ad cor exhilarandum, & confirmandum. Vite nigra ſi quis villam cinxerit, fugere accipitres aiunt, tutaſque fieri villaticos alites, ex Plinio: laborat podagra frequenter accipiter, & fit, cum humor deſcenderit ad articulos pedum, & digitorum: pituitam, aut ſanguinem, qui ſe ad talos deiecerit, circumligata nigra vite; ſanat. Odit radicem ſilueſtris aſparagi accipiter; oculorum obſcuritate laborat, & huic morbo maxime obnoxius: aſparagus oculis claritatem affert, Mirum eſt murium cum radicibus maioranæ conſortium, ac ſi auxilium ab ipſa depoſcerent: valet ſampſuchus ad vteri effectus omnes, vtero præcipue valent mures, & fœcundiſſimi ſunt: nam prægnantes etiam alios mures in corpore prægnantes habent. Menander vnus è ſchola Græcorum tradit, radices betæ coctas tetrum allij odorem, ac virus extinguere, ſi ſuper manducetur: allium ex Dioſcoride ſæpius manducatum viſum hebetat, betæ vero vſus frequens nyctalopiæ eſt vtilis. Ricinus ſeritur in hortis, ad arcendam effodientiũ talparum iniuriam

folia eius oculorum epiphoras sedant; carent enim oculis. Natura ferularum murænis infestissima, moriuntur ea tactæ; contra viperas pota in vino pollet: venenatus est murænæ morsus, vt serpentis, atque cinere capitis eiusdem murænæ curatur, vt viperæ, etsi cum viperis coire putantur. Deleteriæ facultatis magnes est, vt qui hauserint, lunatici, & melancholici efficiantur: contra venenum est allium, & ad ictus viperarum, & rabiosorum canum, & contra aquarum mutationes, ex Dioscoride, vnde facile conjicere possumus contra magnetem valere. Hic non dissimulanda celebris illa magnetis & allij discordia, tantum inter eas odium esse, vt magnes ferrum negligat, ne dum alliciat, si allio confricetur, quemadmodum Plutarchus adnotauit, & post illũ C. Ptolemæus. Asinis placent cucumeres, summeque expetuntur, furiunt mirabili voluptate, allecti quoque odorẽ eminus sentiunt; quare munienda sunt cucumeraria, ne illi erumpentes ea depopulentur, conculcent, & proterant: cucumis obsitam pedore cutim illustrat, vitiaque faciei emaculat: asininum lac conferre aliquid candori cuti in mulierum cute existimatur. Poppæa Domitij Neronis conjux quingentas per omnia secum fœtas trahens balnearum etiam solio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutem credens, ex Plinio. Multæ sunt herbæ, quas serpentes horrent, non solum aspectu, vel sapore, sed etiam nidore, eorumque venenis medentur. Rutam horrent serpentes; mustela cum serpente dimicatura, ruta se munit, serpentes fugat nidore ruta, si vratur, & contra serpentes & lethalium medicamentorum antidotum est. Sic & scordium. Serpentibus adeo inimica est fraxinus, vt ne matutinas quidem, occidentalesue vmbras quamlibet spatiosas serpens arboris huius attingat, vnde si fronde ea gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potius, quam in fraxinum fugere serpentem: contra serpentes pollet: allium ad viperarum ictus valet, cum magnopere eius odorem fugiant; nec solum serpentes, sed alites à iactis seminibus, eius odore delibutis, fugiunt. Exhorrent feles rutam, vnde aiunt pullis gallinaceorum succo eo perfusis, arceri feles ex auia-

riis:

riis: feles nonnullos fixo oculorum obtutu lædunt, alios sola præsentia fascinant. superius diximus ex Aristotele rutam contra fascinationes valere: ad felis morsus valent, quæ ad canis, sed rabiosi; rutæ succus valet; potest etiam ad assumptum cerebrum cati venenosum. Serpens, iniectis frondibus quernis moritur; diximus ad dryini morsum valere. Tauri, illitis rosaceo naribus, oborta vertigine concidunt, ex Zoroastre. Rosæ citra expressionem contusæ contra humores, qui in stomacho coierunt, valent: coit sanguis in stomacho, vt diximus, & in pluribus symbolum habet. Moriuntur vulpes amygdalarum pastu, ex Plutarcho: tussi medentur, vt vulpes.

Herbæ, & animalia voracia, concoquendi facultatem hominibus præstant; CAP. XXX.

AD alias plantarum, animaliumque actiones transeundo, occurrũt voraces herbæ, & animalia; herbæ enim sunt, quæ alimentum adeo ingens è terra exhauriunt, vt in confinio reliquæ perarescant: ob id ad ventriculi confirmationem valere conjicio: vt animalia voracia, insatiabiliaque præstant nobis facultatem ventriculum roborandi, & vim concoquendi, ad quæ nata & creata sunt ab altissimo; eius carnes comedendo, vel pelles accipiendo, & ventriculo applicando. Nasturtium reliquis herbis iuxta satis succum adimit, quod Socrates apud Aristophanem conqueritur: & Persas legimus olim nasturtio victitasse, quo magis ab exscreatione sputi, & mucoso narium emunctu, & lotij profusione se vendicarent; dicit enim Hippocrates, absumit corpus. Natura ei erucæ & sinapi similis. Sinapi multam terram absumit, ob id stercoratam, & congestitiam quærit, puluereque fouetur, nec minus humore gaudet: fit ex eo sinapismus, quo languescens ventriculus ad cibi appetentiam excitatur. Atriplex in hortis nasci iuxta se non quicquam nisi languidum patitur. Pythagoras eam culpauit, quod difficillime coqueretur. Sed quæ difficillime coquuntur, concocta multum præstant alimentum. Capparis radix vltro citroque diuagatur, cogitq; solum sterilescere, nisi primum area in defossum cauata, ripis

vndique circumstructis lapide coerceatur: fastidia ciborum discutit, & elangueſcentem appetentiam inuitat; foris apposita ventriculum confirmat. Animalia voracia cognoſcemus & insatiabilia, quæ ingluuiem ante ventriculum habent, gulam amplam & latam, & laxum inteſtinũ, quo facile egerant. Struthiocameli mira natura concoquendi, quæ sine delectu deuorarit, Plinius; ferrum deuoratum concoquit; sunt qui dicant, quod non proprietate vlla, sed vi sui caloris; quod absurdum penitus retur Aphrodiseus; leo enim, qui longe quam struthiocamelus calidior est, ferrum concoquere non potest. Lapides quos deuorat, diu in ventriculo asseruatos concoquit, ex Æliano; ventriculus struthionis omnia concoquentis loco medicamenti habetur, quod homini concoctionem adiuuet, & confirmet: lapides in ventre inuentos, collo suspensos laudat Kirannides ad bonam concoctionem: pelles cum plumis mollioribus cõcinnatis stomachicis applicant. Aquila in assequendis ad viuendum necessariis rapinas facit, ad se explendam, lepores, hinnulos, anseres, & alia pleraque capit, vt non vere rex, sed tyrannus videatur; omnes vincit & vorat, & hostes omnes habet, vt non solum viuentem extimescant, sed pennæ eiusdem cum aliarum pennis commistæ putrefaciant omnes, ex Æliano: eius pellis curata cum plumis suis stomachicis fascia apposita, mire iuuat. Ossifraga aquilis cognatum genus, vtcunq; carniuorum; sic dicta, quod ossa ex alto dejiciat super saxa, vt eis confractis medullam edat: cuius venter arefactus, & potus iis, qui cibos non conficiunt, vtilissimus, vel si manu tantum teneatur: capientes cibum, quidam adalligant ex hac causa; sed continuare non debent, quia facit maciem, ex Plinio. Harpa ex eodem genere idem efficit. Vultur auis rapax, & carniuora, cadauera sectatur, & exercitus sequitur, futuram hominum stragem præsentiens, ex Æliano. Vmbritius aruspex ait triduo ante, aut biduo volare eos, vbi cadauera futura sunt; & multi exercitus sequentes repente apparent; hominem morti propinquum, quando supremum diem agit, diligenter obseruant, vt prouerbio circumferatur, *vulture edacior*; vulturum pelles pellificibus ven-

duntur, qui præparatas illas satis magno pretio vendunt, tanquam ventriculo salubres; nam impositæ concoctionem promouent, ex Bellonio, & Alexandro de Benedictis. Insatiabilia animalium, quibus à ventre protinus recto intestino transeunt cibi, vt lupis ceruariis, & inter aues mergis. Plinius ex Aristotele, mergi ventriculum, quod ea auis voracissima sit, & plurimum concoquat, nostram quoque concoctionem roborare posse ait; ob id eius pellem, cum plumis interioribus paratam à pellifice, & nostro vētriculo applicatam, vim, concoctionemque promouere non calore tantum suo, sed eius proprietate: & mergi ventriculus in cibo sumptus stomacho medetur, ex Sereno. Gallinæ calida natura præditæ sunt; nam & venena conficiunt, & aridissima quæque semina, vt nonnunquam arenas, lapillosque ingluuie sua deuoratos dissoluant, tanta vi percoquendi, vt lapillos consumāt; quæ interiore ventriculi galli sinu residet membrana, secta in laminas, cornu specie similis (ea vero inter coquendum abiici solet) siccatur, tritaque in vino conuenientissime stomachicis datur in potu, ex Dioscoride. Columba pulueratrix est, & calidissima, lapillos propter calidam stomachi temperiem deuorat: Archigenes apud Galenum, palumbum stomachicis in cibo conuenire dixit. Anser natura vorax, ventriculo calidissimo, improbum anserem apud Virgilium inuenimus, quasi insatiabilem: stomachus stomachicis prodest. Cignus cura parandi sibi cibi non segnis, in anserino genere forma & virtute consimilis. Anates voraces sunt, gula ampla & lata, ex Aristotele, ex natura anserum. Archigenes apud Galenum inter aues quæ stomachicis conueniunt, in cibis anates connumerat; & M. C. Censorinus (vt Plutarchus in eius vita scribit) ægrotos ieiunio maceratos prohibens inedia, ali iubet carne anatis, palumbi, aut leporis. Larus auis rapax, & vorax. Suidas & Varinus, cibum à mari petit, cum anate & harpa dissidet, chelas sublimes abripiunt, ex alto deiicientes, magna vi ad saxa allidunt, itaque esculenta, testis seiunctis, eligūt, Ælianus ex Eudemo, delphini ad littora eiecti, ab eis exeduntur: venter eius aridus potus

& gestatus concoctionem maxime confirmat. Lupi voraciſſimi, & propemodum inſatiabiles ſunt; pilos, & oſſa deuorant, & multa ſolida: frequenter ob hanc cauſam ægrotant; in fame ſæuiunt; dum edunt, neminem amant, quin etiam aſpici indignantur; etiam terram in fame edunt, ex Ariſtotele, Plinius, & Solinus: Auicenna laudat carnes luporum, tanquam vtiles ſtomacho frigido, humido & debili. Maxime omnium piſcium guloſus eſt ceſtrus, & inſatiabilis, quare venter diſtenditur, ex Ariſtotele: ventriculus mugilum in cinerem redactus & cibo ſumptus, ventriculi exoleti vires non minus reficit, quam ventriculi gallinarum pelles.

Animalia, quæ venenatis herbis veſcuntur, contra eorundem venenum præſtare; CAP. XXIV.

SVNT & animalia quæ venenatis herbis veſcuntur, & animalibus & quum nihil mali paſſa ſint, argumentum præbent, contra eorum venena valere, & Natura nos eiuſmodi ſpectaculo admonet, quomodo iis mederi poſſimus, qui ea ederint animalia caſu, vel ab eis vulnus acceperint. Aſinis ferulæ gratiſſimo ſunt pabulo, cæteris vero iumentis præſentaneo veneno; qua de cauſa id animal Libero patri ſacrificatur, cui & ferula: aſini lacte epoto venena extinguuntur; peculiariter ſi hyoſcyamum, ixiam, leporem marinum, cicutam, opocarpathum, aut pharicon, aut dorycniũ ederint. Suillum pecus cicuta ſaturatur. ex Æliano: ſi homo eam biberit, ſanguis congelaſcit, & eatenus concretione fit ſpiſſus, vt inde moriatur; hyoſcyamo deuorato non moritur; talis, & tanta vis veneniș ſalamandræ à ſuibus manditur, ex Plinio; immo quando ſalamandram comederit ſus, ipſe extra periculum eſt, eos autem, qui ſuis carnibus veſcantur, interimit, Ælianus. Suillarum carnium ius opitulatur contra bupreſtim, ex Galeno, axungia contra ſcorpionem & canum plagas, adeps cum vino ſalſo contra hyoſcyamum, ex Dioſcoride, & ſerpentes; iecur venenatorum morſibus, ex Simeone Sethi, & recrementum, ex Aetio. Sturno cicuta alimentum eſt, homini venenum; in cibo ſumptus, iuuat omnes qui mortiferum aliquid biberint, & ſi quid præguſtauerint, omnino non læ-

dentur. Sed ſturno allium venenum eſt, ex Æliano, & contra cicutam valet, vt etiam contra venena. Gallinæ taxi fructu veſcuntur, & nigræ fiunt, nec eo interficiuntur: ius earum contra toxica valet, ex Aetio, Plinio, & cæteris. Coturnicibus elleborus alimentum eſt, hominibus venenum. Lucretius:

Præterea nobis veratrum eſt acre venenum,
At capreis adipes, & coturnicibus auget.

Et coturnices aduerſus venenum plerunque dantur. Capræ veratro & ſcammonio depaſcuntur, ex Dioſcoride, & Plinio. Pingueſcunt capreæ, & coturnices veneno placidiſſima animalia: bibitur caprinus ſanguis contra venena. Napelli frondes à quouis animali illibatæ reſtant, præter quam à muſcis quibuſdam, quæ illi turmatim inſident, contra eius venenum ex eis paratur antipharmacum. In oleandri frondibus animalia quædam, vt cimices cubant, quæ contra eius venenum valere ſcimus.

Huius capitis locus erat in fine ſexti libri; ſed prætermiſſum, ne periret, huc acceſſit.

Numerum frondium, & caulium, plantarum q; partium ad febrium membrorumque numerum valere; CAP. XXV.

NE quid deſit ingenioſæ naturæ, quo plantarum partibus demonſtrare poſſit, tertianis, & quartanis mederi, caulium, angulorum numero, radicum, nodorum, foliorumue febrium circuitus oſtentat, vel quæ choleram, aut bilem deiiciant, ex quibus tertiana, vel quartana gigni ſolet. Nec ſilebimus aliud Naturæ monumentum; nam ſicut tertiana plerumque in quartanam degenerat, ſic & plantarum caules triangulares in quadrangulares abeunt, quod caſu fieri fortaſſe quiſpiam inſcius putaret, quum nil niſi rata lege, conſtituto ordine, à Natura ſancitum ſit. Obſeruatio numerorum vtiliſſima, & magni vtique facienda. In ſacra pagina legitur Deum omnia numero, pondere, & menſura cõſtituiſſe, idemque à Platone repetitum. Numeri à Pythagora non neglecti, Aglaophemo, & Platone, qui diuinam numerorum obſeruationem iudicauit. Nos hic pauca, alibi plura dicemus. Pytha-

goras imparem numerum perfectum & plenum dixit, parem contra indignum, deficientem & imperfectum. Impar se ipsum addendo, parit, additus pari, & conduplicatus parem gignit, vnde videtur habere vim principij, diuisionis nescius. Homerus quidem scientiarum fons vnitatis naturam in bonitate constituit, dualitatis in malo: nam bonum vnitatem dicit, afflictionem vero dualitatem. Superis imparia semper tribuit, inferis paria. Nestor Neptuno immolat nouem tauros; Achilles Patroclo omnia dat paria, equos quatuor, & cætera. Plinius' impares numeros ad omnia vehementiores credit. Centaurium minus caule anguloso bilem ex aluo exigit: datur eius decoctum tertianis, bilem per inferna deiiciens; quo factum est, vt *febrifuga* dicatur à multis. Asarum caule anguloso: ex Mesue bilem deiicit. Chamædrys species est quadrangulo caule, vocant *febrifugam*, quod eius decoctum tertianam fuget, & finiat, bilemque trahat. Melissophyllon caulem balloti similem (quod quadrungulum est) habet: Auicenna atrabilarios vapores à sanguine ortos deturbare dixit; Serapio sollicitas imaginationes tollere, ab eadem bile exortas. Ebulus, & picnocomon quadrato caule, bilem extrahit. Sacra herba caules angulosos habet, tertium à terra geniculum datum potandum in febribus cum foliis circundantibus. & quartanis quartum iuuat, ex Dioscoride, & Plinio. Buglosson quatuor thyrsos emittit: cum semine & radice tritum, potumque contra tertianos horrores prodest; quæ quatuor, ad quartanas. Plantago anguloso cauliculo, cuius tres radices cum tribus cyathis vini tertianis auxiliantur, & quartum quartanis. Graminis genicula nouem, vel minus, vel è duobus, tribusue herbis ad hunc articulorum numerum inuolutis lana succida nigra, iuuant ad remedia strumæ, panorumue. Quod è graminum genere septem internodia habet, efficacissime capiti contra dolores adalligatur, ex Plinio. Quinquefolium prodit Theophrastus, facta radice arida, quæ prius rotunda erat, sitque quadratum. Dioscorides bili cum vino ad febrium circuitus præbet: in quartana quidem quaternum ramulorum folia; in tertiana vero ternum, in

quotidiana vnius. Plinius quinquefolium pterygiis digitorum mederi ait. Plantago, aquatica quinqueneruia est, etiam digitis medetur. Trifolio asphaltiti terna folia, aut semina in tertianis cum vino potui dentur & in quartanis quaterna, vt quæ febrium circuitus discutiant. Poterium folium in tria diuisum habet, ad tertianas, ex Plinio valere scimus. Heliosc opium tricoccum : seminis tria grana tertianis, quatuor quartanis dantur, ex eodem. Cucurbitæ semina bina, mirum dictu, si fuerint pari numero adalligata, febres sanare dicuntur, quas Græci periodicas vocant. Demonstrant & suis partibus animalia eisdem circuitibus posse mederi. Aranei sunt, qui quatuor pedes habent, & pedum internodia tria, vel quatuor habent, Dioscorides : araneus subactus cum splenio, & linteo illitus, prolituſque vtrisque temporibus, aut fronti, tertianos circuitus persanat. Est & alterum genus, quod candidam, tenuem, densamque telam orditur, quod in aluta ligatum, & lacerto appensum quartanis circuitibus mederi narrant. Sunt & animalia, quæ cor angulatum habent. Coturnices cor tribolon habent, id est, triangulare. Coturnicis oculi suspensi tertianam curant. Piscibus fere omnibus triangulare, vel quadrangulare. Aurata quadrangulare habet, sparum triangulare. Ex Hippocratis sententia laudantur pisces febribus, quod humidi, & ob id molles, & facile à nostra natura immutantur, concoquunturque, Galeno id etiam assentiente. Melanurus angulare, melanderinus, pagrus angulatum, & à Plinio inter remedia ponitur; quæ febrium circuitus tollunt, hepatus, marmor, scarum, merula, quæ elixa febricitantibus saluberrima, ex Plinio, & cor eiusmodi habet. Lupus elixus ex aceto, & iure albo, febricitantibus conuenit. Delphini iecur gustatum ante accessiones febrium, circuitus tollit, ex Plinio.

IO. BAPTISTÆ PORTÆ NEAPOLITANI PHYTOGNOMONICORVM

LIBER VIII.

PROOEMIVM.

IAM similitudines illas (Marine carißime) plantarum absoluimus, quæ suis partibus hominum, animalium membra, & morbos demonstrabant; reliquum est, vt coronidem tandem libro imponamus, eas aggredi, quæ cœlestium siderum similitudinem & mutuum consensum indicant, vt siderum virtutum compotes se commonstrent: res prorsus effatu digna, admirabiliſque. Panduntur nobis mumificæ Phroneæ benignitate flores tam inenarrabili colorum varietate, mistura, numero, forma, & motu sidera imitati, vt ne scriptura quidem sufficiat imagini colorum reddendæ, & contemplanti potius in tam magno suæ fertilitatis gaudio Natura lasciuisse videatur, quam magna hominum admonitione, se cœlestes virtutes posßidere, indicare. Pythagoras, & eius sequaces terræ flores collucentes stellarum oculos vocabant, ac sidera cœli flores; & sicut in terra flores stellarum colores; ita sidera in cœlo terræ pratum ostendunt. Columella:

Pingunt & varios cœlestia sidera flores.

Immo quilibet sidus in cœlo cum suo flore in terris sympathiam posßidere, stellarumque influxus, veluti per Pyramidem suscipere dicunt, quæ in cœlo basim, in flore conum habeat, & hoc cum sideribus consensum demonstrare. Ad eius ortum florem patefacere, ad occasum comprimere, & abire in lacum, dein ad exortum emergere extra aquam,

totoque die circumagi cum sidere, in eius ortum mane spectare, & eius iter ad occasum vsque etiam nubilo die sequi, vel floris formam sideris formam imitari. Inquit Hermes, inferiora hæc omnia ex superioribus vires, & proprietates suscipere, & quanto puriora essent, puriores, & maiores stellarum effectus sortiri; & quum flores sint puriores plantarum partes, puriores illis virtutes impartiri: ob id phytopiam sideralis scientiæ non ignarum optarem, vt vires, quas in nostris humoribus & artubus possiderent stellæ, saltem non ignoraret; & eodem tempore, vt in reliquis libris fecimus de animalibus, & lapidibus loquemur; multa enim arcana retinent lapides, immo herbis multo plures, & admirabiliores, nam non tam facile siccescunt, aut putrescunt. Idem sensit Orpheus libro lapidum:

Ex terra vero lapidum omnium genus; inde ipsis
Robur immensum, & varium; quæ vnq; possunt
Radices, tanta lapides. Magnum enim robur est radicis;
Sed lapidis multo maius; quoniam robur incorruptum semper
Generanti mater, & sine senectute præbuit.
Illa vero moritur paulatim virescens,
Et tandem ipsius fructus, quantum spirans est,
In herbas quidem vere malorumque, & bonorum
Inuenis, in lapidibus vero damnum non facile inuenires.
Siquidem quot herbæ, tot lapides.

Auriflоras plantas Solares esse, & eiusdem virtutis compotes; sic etiam gemmas & metalla;

CAP. I.

ASTROLOGORVM, & medicorum calculis sancitum est, principibus duobus nostris corporis visceribus duo magna cœli sidera correspondere, cordi & cerebro, Solem, & Lunam. Dicemus primo de Sole. Sol in cœlo fons caloris; in corpore cor, vitæque principium. Sol aureo lucis radiatu mundum illustrat; flores aureo fulgore solis lucem æmulantur, eiusque virtutis compotes. Cordis tormenta sunt febres, spirituum defectus, venena, & eiusmodi similia; sic aurei flores solares his morbis subueniunt. Sed animaduersione dignum, non paruam differentiam esse in croceo colore, si vel splendidus rutilet, aut si hebes, obscurusve caliget: splendor nil aliud est, quam luminis continuata densitas;

contra quod rarum, caligine offenditur. Auri, vel Solis colorem tunc quidpiam æmulabitur, quum flauum nonnihil, & solare lumen in denſum coeuntia ſplenduerint, vel in eis Solis lumine regeſto, aureo colore refulgent. Aliqua lubet depromere exempla. Heliochryſo eximium aurei floris decus, ad radiorum Solis repercuſſum coruſcam lucem, & vegetam intuentibus iaculatur: cernuntur enim in eo corymbaceæ vmbellæ è multis extantibus bullis circinatæ, aureo aſpectu micantes, diuturnumque ſplendorem tutantes, vt ſolarem herbam pronunciare nil verearis: ob id Theophraſtus dixit, eos qui huius flore coronantur, vnguentoque ex auro ignis inexperto, gloriam & bonam exiſtimationem conſequi: eiuſque vſus ad ſerpentium morſus. Abrotonum floribus refertum, comantibus in ſummo auri fulgore corymbis: exitialium venenorum antidotum eſt: ſerpentes ſubſtratu, & nidore fugat, & horroribus illinitur. Atriplicem, cuius folia ex viridi in aureum luteum langueſcunt, vulgus *chryſolachanon* vocat, id eſt, *aureum olus*; valet ad ſcorpionum & aranei morſus. Chryſogonon aureo verbaſci flore, venenatorum morſibus ſubuenit. Hypericum, aſcyrumque aureo flore coruſcant; tertianas, & quartanas fugant, & venenoſis morſibus reſiſtunt. Ruta aureo micat floris colore: ad horrores febrium circuitu repentes pota valet, redditque ineffi-caces venenorum vires, & viſus aciem excitat. Quinquefolium florem ex candido palleſcentem, auri æmulum habet: bibitur contra febrium circuitus. Potentilla aureis floribus comatur; manuum & pedum volis admota, mirum dictu, quam cito febrium quarumcunque calores reſtinguat. Eupatorium Meſuei aureis floribus in vmbellam coeuntibus, heliochryſi modo, ſiue herba Iulia: eius decoctum diuturnis febribus & ſerpentum ictibus propinatur. Tormentillæ decoctum omnibus venenis remedio eſt, peſtilentiæ, peſtilentibus febribus. Tuſſilago, recentiorum experimento, contra peſtem & peſtilentes febres valet. Sonchus melinis aureis floribus; vſurpatur à neotericis contra febres & ſcorpionum ictus. Florentis verbaſci ſtillatitia aqua datur potanda in

animi deliquiis mirifice cor confortans, roboranſque, & ſcorpionum ictibus ſubuenit. Cucumeres ſatiui olfactu renocant eos, quos animus reliquerit. Melopeponum ſeminum cremor febribus propinatur. Hyoſcyami tertia, quaternave folia pota ſanant algidas febres, quas *epiolas* vocant. *Scorzonera* datur cardiacis, rapus, napus, & bunias venenorum vires hebetant: braſſica viperarum morſibus auxiliatur; ſinapi contra febrium ambitus aridum bibitur, & ad hebetudines oculorum, ad ſerpentum, & ſcorpionum ictus, iris contra venena datur. Hieracium utrunque ſcorpionibus aduerſatur. Lactuca ſilueſtris ſcorpionum, & phalangiorum morſus, chamæpityos contra venena, phalangiaque; Lyſimachia flore aureo, acerrimum nidorem ſuffita reddit, qua de cauſa ſerpentes fugat. Conyza maior, ſubſtratu, ſuffituque ſerpentes fugere cogit, earumque plagis ſubuenit. Cotonea mala coloris ſunt ad aurum inclinati, ob id Græcis *chryſomela*, & Maroni *aurea mala*; ſuo præſtanti odore, quem vibrat, ethalium venenorum vires obtundit, eorumque vehementiam hebetat. Addit Plutarchus, Pharicum præſens, alioqui venenum in patinam adhuc cydoniorum, vel eius ſalgamum olentem, ignauum fatiſcere, elanguidumque à peculiari natura viribus exhauſtis deſciſcere, illoſque incolumes, & illæſos commiſtum ſeruaſſe, quos inſidiantes venefici poſionarunt, compertumque hoc ex relatu, qui venenum venlentes, rem ita ſe habere deprehenderunt. Aureus eſt color mali medici, vel citrij: Iuba in Mauritaniæ commentariis ob id malum aureum dici ſcripſit: plures ſunt eorum ſpecies, quæ quia ex auro rufeſcunt, aurantia dicta ſunt, ſiue narantia; ubi aurum ex viridi langueſcit, limones ſunt; ſi ſaturate luteſcit, ponceria, ordine quo præcedunt, ita vegetius veneni nocuas tollunt. Virgilius in Georgicis:

——quo non præſentius vllum,
Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ,
Miſcuerunt que herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.

Ob eorum præſtantiam ſingunt Poetæ tellurem edidiſſe

nunciato Iouis, & Iunonis connubio. Contra venena nil copiosius describit Athenæus de maleficis, serpentum veneno multandis: quorum esu incolumes euaserunt: arcentque pestilentiæ contagia: roborant cor & eius vires recreant, ex Auicenna. Suut inter Persicorum genera, quæ aureo fulgore nitent, vbi maturuerint, chrysomela appellamus, eadem modo pyra, & mala Appia, quæ contra venena existimamus. Eodem argumento metalla, gemmæ, & lapides, quæ aureo fulgore micant, vel aureis guttis stellati sunt, ad eadem, quæ diximus valent. Aurum inter metalla maximo suo fulgore Solem repræsentat; maxima eius vis ad cor, venena, & febres, vt in opere huic dicato loquemur latius. Chrysoprasius porri succum refert, sed paululum declinat à topazio in aurum, visum fouet, cor lætificat, & eius passiones aufert. Solis candida gemma est, & ad speciem sideris fulgentes radios spargit. *Chrysolithus* ab aureo colore nomen habet, quasi aureum lapidem dicas: ad nocturnos timores, & dæmonas valet. Succinum splendenti, aureo, croceo est colore, vocat *electrum* Plinius: quoniam Sol vocitatus sit *Elector*, quod plurimi Poetæ dixere, primique vt arbitror Æschylus, Philoxenus, Nicander, Euripides, Satyrus. Hic & differentiam nouam attulit appellando *chrysolectrum*, quasi coloris aurei: hoc collo alligatum mederi febribus, & morbis; & si cum melle Attico conteratur, oculorum quoque obscuritatibus dicunt. Callistratus cuicunque ætati contra lymphationes prodesse tradit, infantibus adalligatum amuleti ratione prodest.

Croceas plantas, & gemmas iouiales esse;

CAP. II.

CROCEI coloris cognatione, post Solem de Ioue dicemus. Solares herbæ ex lucido in aurum abibant; Iouiales vero, quasi emaculato splendore proluuntur, quum fuluo hebescant, caligentque: nec virtus dispar, earundem fere virtutum compotes vtræque sunt animo, cordi, & venenis valent. Exempla afferemus. Crocum cor exhilarat in tantum, vt perpetuo risu hominem concutiat, auctores quoque habentur, immodico necari gaudio. Mentha Græca in croceis

corymbis, copioſos affert flores, odore & vi peramica cordi. Caryophyllata ſuo olfactu ſpiritus recreat: eruca venenatis morſibus opitulatur; anagyris ad phalangiorum morſus. Sena mundat cor, omnes corporis ſenſus, animi hilaritatem affert, corroborat, ſi medicamentis admiſceatur cor exhilarantibus. Aſphalatum, ſiue *ſantalum* croceo ligno eſt: Auicenna non modo cordi lætitiam efficaciſſime afferre dixit, ſed illud non parũ corroborare, & præcipue febribus aduerſari. Sic crocea folia, radices, & ſucci. Phyllitis, angelicæ radix, & ſericum medicinis illis admiſcent recentiores Medici, quæ cordi conueniunt: nam illud mirifice reficiunt. Fuluus baſſami ſuccus: abſtergit oculorum tenebras, contra venena, & ſerpentum ictus valet, & ad cordis recreationem. Eodem modo thus, myrrha, & ambra. Subnectemus crocei coloris gemmas Iouiales eſſe, quibus hebes croceus color in obſcurum caliget. Hyacinthos diximus veluti croceo refulgentes; triſtitiam fugant, & vanas ſuſpiciones, contra peſtiferæ regionis noxas valent. Auicenna libello De viribus cordis dicit; Hyacinthum cordis imbecillitatem pellere; Marbodeus reddere hominem dicit hoſpitibus honore dignum iuſtaque petenti nil negari, ingenium, gloriam, diuitias, & fulgorem augere, hoſtibus tutum reddere: quæ omnia à Ioue habet.

3 *Albifloras plantas, vel argenti coloris metalla & gemmas, Lunares eſſe;* CAP. III.

SPLENDET Lunæ ſidus albo, vel argenteo colore, & procidentes ab ea radij candeſcunt: argentea ergo, vel ſumme alba lunares influxus repræſentant. Sed quia Lunæ color non ſemper idem, ſed variatur ad ſuas ætates, & diuerſas poteſtates habet, ob id ſedulus Phytopta hæc maxime animaduertere debet. Primo quum Luna intermenſtrua eſt, id eſt æqua portione dimidiata, humida & aliquantiſper calida eſt: quum pleno orbe tumet, calida, & quodammodo ſicca eſt; tertio quum ſeneſcit, ſicca & frigida cenſetur. Quarto interlunio, quum omni lumine orbata frigida, humidaque euadit. Pleno orbe, alba crocea eſt; quum dimidiata eſt, alba flaueſcens; cuum ad coitum accedit, ſimpliciter alba. Dixi-

mus Lunam cerebro dominari, quum manifesto sciamus ad Lunæ vices cerebrum commoueri, augescente humectari, & minuente siccari, vt in epilepticis videre est. Sed ad exempla veniamus. Scilla flore fere candido est, ad comitiales valet; allium comitiali morbo opitulari, tradit Plinius, si quis eo cibo vtatur, & potione. Amaracus cerebrum roborat. Galanga, siue silueſtris ruta albescenti flore, comitialibus propinata prodest. Oenanthis insperso cibis puluere, salutaris. Vitis alba ad epilepticos; & apoplecticos. Altera bryonia eiusdem flore & dote. Idem de dictamno & aliis dicendum. Lapides etiam argenteo nidore fulgentes, vere Lunares virtutes retinent, & ad epilepsiam, & alias Lunares virtutes valent. Specularis lapis exaluminati coloris, vt argenteum Lunæ lumen imitari videatur; epilepsiam amouet, & gestantem castum reddit. Margaritæ vere argenteum lumen repræsentant, implentur roscido conceptu, & nitent pro qualitate susceptiroris; si purus effluxerit, candorem conspici; si turbidus, fœtidum sordescere; eundem pallere cœlo minante conceptum; ex eo quippe constare, cœlique eius maiorem societatem esse, quam maris, vnde turbidum trahi colorem; aut pro claritate matutina serenum; ipso tantum cœlo gaudent, sole rubescunt, candoremque perdere, vt corpus humanum: Auicenna, & Serapio ad cordis effectus præcipuam opem ferre, & ad nebuculas oculorum valere: contingit, vt cum Luna crescant, pariterque decrescant; amouent epilepsiam, vt multi scribunt, & gestantem castum reddunt. Sunt & aures marinæ, & conchæ margaritiferæ & aliæ quamplurimæ argenteo vnionum colore lunari, quæ eundem vsum, quem diximus submini strare ægrotis possunt. Aspilatem Democritus tradit in Leucopetra nasci, argento colore radiantem, contra lymphaticum habendum, est enim lymphatio cerebri furor.

Rubei coloris flores & gemmas, Martias esse, & Martis vires possidere;

CAP. IV.

RVBRO, vel fragranti carbonis colore rutilat Martium sidus; ob id sanguini, & eius officinæ iecori dominari iu-

dicat. Gramen Marti consecrauit antiquitas, quod ex humano sanguine procreatum crediderit. Eiusmodi flores sanguini compescendo, purgando, & clarificando præstare superiore tertio libro tradidimus. Quod iecori dominetur color sanguineus, aliqua ex Medicina afferamus exempla. Rosa sanguineo colore nitet; iecorum obstructioni mirificam præstat opem. Centaurium aureum florem habet, qui ex puniceo in purpuram vergit: expedit cunctas iecoris obstructiones. Anagallis iocinori mirifice prodest. Martiæ virtutis compotes sunt etiam rubicundæ gemmæ: vires omittemus, quæ sanguini valent; solum Martias recensebimus. Inter iaspidis species rufa est, vel sanguineis ligneis interlita: qui eam secum attulerit, securus incedit ab hostibus noxia phantasmata pellendo, & hominem potentem reddit, & fortem, animosum, victoriosumque: flammam sine igne accendere dixit Orpheus; & lebeti imposita, eum feruere cogit sine igne. Sardus rubri coloris est; non sinit videre timorosa in ædibus, sed animum auget, & victoriam præstat contra inimicos, audaces reddit ferentes, & à maleficiis tutos. Corallium probatissimum eximie rubet: haruspices, eorumque vates in primis validum gestamen amouendis periculis arbitrantur: furculi infantibus adalligati tutelam habere creduntur, ignibus diu repugnat, ex Plinio. Adeo sanguinem mentitur, vt scripserit Orpheus, quod ex Gorgonei capitis sanguine exortum sit, & filiæ Ponti in cruorem irruentes, in corallium concretæ sint, vt solidum marmor existimasses: incolumes reddit nautas è maris periculis, quum è mari nascatur: aduersus domesticas inimicitias valet, fulgura, & tempestates, à quocunque agro repellit, & resistit syphoni, & fulminibus vi Martia. Corneolus lapis Rufus est: iracundias sedat. Hæmatitis in Rheno flumine reperitur, coloris minij rubicundissimi: Plinius ad sanguinis vitia valere dixit. Sotacus hæmatitis speciem magnetem dicit, quia præcipue rubor est, & ferrum ad se trahit, quod Marti subest: valet contra venena, extrahit sagittas & gladios ex vulnere, ex Galeno; timores, & suspiciones aufert; tritus, & super ardentes

prunas iniectus, vt fumus ad cerebrum penetret, videbitur a phantasmatibus infestari. Orpheus Marte subesse dicit:

Magnetem vero valide amauit bellicosus Mars.

Rubricam synopicam laudauit Dioscorides, quæ iocinoris imaginem referret, eamque dari iubet iocinoris vitio laborantibus. Hephestites lapis rutilans, & rubicundus, accensas iras compescit, & tutum gerentem reddit.

Carnei coloris flores, & gemmas Veneri famulantur;

CAP. V.

DILVTIORIS ruboris, sed peramœni, & blandi venerem sidus est, veluti purpurei, obsoleti, clari. Vulgus, quia carnis colorem æmulatur, *incarnatum* vocat, omnium speciosissimum, optimum indicat temperamentum calidi, & humidi; generationi ob id aptum, & Veneri dicatum. Exempla erunt. Antirrhino sunt flores rosei albi, veluti purpurei, vel ex rubro violacei: quo perunctos venustiores fieri, nec vllo malo medicamento lædi posse, referunt Magi Pliniani. Malua suppurpuricante florum colore, velut ex purpureo albido. Veneri nascitur: semen vnicaulis aspersum genitalibus fœminarum augere auiditates in infinitum tradit Xenocrates, ex Plinio. Caryophyllorum flores dilutius purpurascunt ex candido, quasi purpurea aspergine ad venereos effectus, quasi commendatissima dote. Inter rosarum genera vnum est: minus rubens diluto roseo mire amœno, ac humanæ Naturæ iucundo: ad fœminarum vuluæ vitia, & conceptiones diuinis pollere viribus scribunt: vsus horum fœminis est, circumdato collo monilium vice, contra sudorum virus, & amorum illecebras; ob quas dotes Veneri illud nostri maiores sacrarunt. Amygdalarum flores subrussi; vtuntur eis, Galeni præcepto, ad roborandam Venerem, & ad vires reficiendas. Cyclamino flos colossinus, in rosæ modum purpura nitet: Theophrastus appensam hærentes partus accelerare, & ad amatoria valere dixit, & menses ciere appositu. Eadem dote commendantur gemmæ, lapidesue, qui carneo hoc, vel *incarnato* dicto insigniuntur. Corneolus lapis rosei, vel carnei coloris est, vnde nomen adeptum: ad fœminarum fluxum sistendum

Marbo-

Marbodeus valere dixit, ac digito, colloue adhærentem excandescentes iras reprimere: decet enim Venereos non iratos esse. Onyx eiusdem coloris, onychas Græci vngues vocant, onychinus vnguium est, admista rubori albedo, velut carnibus vngue interposito, & vtroque translucido: auget soliuam pueris, partumque accelerat. Sardius obtusius nitet. Sardonyx ex sardo, & onyche compositus lapis vtrasque vires retinens, cuius virtus est hominem hilarem ex atrabilari reddere.

Liuidi, virides, purpurei, cærulei, albicantes colores saturnini sunt, lienique medentur; CAP. VII.

LIVET atro pallore Saturninum sidus, viridi, purpureo, vel cœruleo, sed non exacto; at hi colores, vt ex albo pallentes videntur, hebescentes, & sine fulgore illo; eiusmodi colores in floribus lieni medentur, cui præest Saturnus. Myrica muscosum florem ex purpura albicantem profert: sues dum dulcedinem pabuli consectantur (est enim insatiabile pecus) supra modum æstate splenis incremento laborant, cui occurritur, si fabricentur canales, alueique è tamaricis trunco, repleanturque aqua, & deinde sitientibus admoueantur quippe ligni medicabilis succus epotus compescit tumorem, ex Columella: lienosis suibus mederi tradit Democritus Physicus, aquam, quæ potanda obijcietur, in qua candentes myricæ carbones fuerint restincti, consulitque hominibus, lienis vitio laborantibus vinum ebibere carbonibus myriceis igni flagrantibus exustum, ex Plinio, Chamædrys flore purpureo: lienem ex aceto pota consumit. Teucrij flos, chamædryos floribus similis, spleni optime fauere natus est: nam lienem potenter absumere tradit Dioscorides: sed Plinius à Teucro sic tradit inuentam, quum exta super eam proiecta essent, adhæsisse lieni, eumque exinanisse; ob id quibusdam *Splenium* vocatum. Narrant sues, qui eius radicem edant, sine splene inueniri. Amaracus flore pallidulo, hebeti, purpurei coloris; lienosos iuuat. Betonica flore purpureo obsoleto, datur lienosis molestiis, denariis singulis in aceto mulso. Hyssopus lieni cum fico, nitroue illinitur. Tragoriganum lienosis ex

aceto bibere prodeſt. Pulegium flore in purpuram languescente, lienoſis cum ſale vtiliter illinitur. Vrticæ genus vnum florem album mittit ſubpurpureum, ex Dioſcoride, qui lienoſis medetur. Italica nardus flores dilutiore purpura virentes affert, præſertim fœmina albidiores; obſtructos lienes iuuat. Aſarum purpuraſcente flore ad lienis infarctus, ſcirrhoſoſque tumores, ex Meſue. Lupinus purpureo flore lienoſis prodeſt. Ad lienis dolores efficax eſt dictamnus, qui ex Virgilio:

Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo.

Eiuſdem coloris lapides, eiuſdem Saturninæ virtutis participes ſunt: nos præter ea, quæ alibi diximus, alia adducemus. Chalcedonius lapis hebeti colore palleſcit; valet contra dæmonum illuſiones, & agitationes phantaſticas ex melancholia exortas pellit, ex Alberto: omnes eius ſpecies libidinem cohibent. Inter iaſpidis genera vnum eſt, quod ex viridi palleſcit; curat hæmorrhoidas & phantaſmata pellit, ex Marbodeo: inhibet Venerem, & conceptum denegat. Topazius ex viridi pallens; ad hæmorrhoiam valet ſuper bullientem aquam appoſitus ſua frigiditate feruorem ceſſare facit; ob id frenat iram, & laſciuos impetus: valet contra phreneſim, & triſtitiam. Smaragdus viridis, & lucidi coloris: Marbodeus idoneum prædicat ſcrutantibus abdita, & qui præſcire aliquid quæſierint; ſuſpenſus collo fugat hemitritæum, compeſcit Veneris incentiua, & moniacas illuſiones auertit. Praſius viridis, ceu ſmaragdus, Alberto teſte, quaſdam iaſpidis, & quaſdam ſmaragdi virtutes habet. Lapis cœruleus, quem *lazuli* vocant, cœli, & ſtellarum formam refert, nam aureis micat ſcintillis; Auicennæ, & Meſuei teſtimonio ad atrabilarios effectus valet. Armenium Alexander Trallianus albo veratro præfert, ad deijciendam melancholiam, cui ſubſcribit Aetius, & Actuarius. Sapphirus cærulea gemma, ſua frigiditate febriles ardores expellit, ſi circa pulſatiles cordis venas alligetur, libidinis ardores

refrigerat: castum & pudicum reddit, pacificum, amabilem, pium, deuotum gestantem reddit: melancholicos terrores expellit.

Variorum colorum flores, & lapides Mercurij sidus repræsentant;

CAP. VII.

PLANTARVM flores, qui variorum colorum mistura referunt, Mercurij te admonebunt; splendet enim in Mercurij stella amœna cunctorum colorum mistura, Saturni viride & pallidum; Veneris roseum; Iouis croceum; Solis aureum. Mercurius præest memoriæ, cerebro & eloquentiæ. Iris à cœlesti arcus similitudine nomen accepit, repræsentantur in eo multi colores: in vniuersum magnus iridis ad omnia vsus: cerebrum à crassa pituita succus expurgat. Sunt & bellides, quas vulgus *Margaritas* vocat: siquidem aliis in centro aureis foliolis, rubentibus stipatis, in aliis ex candido rubentibus, versicoloribus, & adeo folia inter se stipant, vt sericeos floccos mentiantur: expurgant cerebrum à pituita, & eiusmodi similia. Dicemus eadem in lapidibus, scilicet colorum misturam Mercurialem esse lapidem demonstrare, & Mercuriales vires largiri. Occurrit primo opalus, in eo carbunculi tenior ignis; est amethysti fulgens purpura, est smaragdi, virens mare, & cuncta pariter incredibili mistura lucentia, non est inconueniens tot virtutes habere, quot ei insunt colores, omnium philosophorum suffragiis confirmatum. Orpheus oculis mederi dixit, quia iris oculorum colorem refert. Nicolus, duplici colore ornatur flauo, & nigro, aliisque: cuius virtus est gratum populo facere. Iaspidum genus est vnum varie coloratum *polygrammos* vocant, ex variis colorum lituris: Magi hunc lapidem concionantibus valere prodiderunt, quibus præest Mercurius. Panthera lapis est habens varios colores, ad similitudinem animalis sui nominis, pallentes, nigros, rubeos, roseos, virides, & purpureos. Inspiciendi in eo colores sunt Sole oriente, quia in eo retinent omnes: in omnibus actibus illius diei, in quo eum fers, victor eris. Achati multi sunt colores, reperies in eo viridem iaspidem, sardium cruentum, splendentem

smaragdum, & minij colorem, præterea in ipso æreum, & verni pomi colorem; omnium optimus, qui fuluum leonis colorem habet, dictum *leontoseryn*, interstinctum maculis flauis, albis, nigris, viridibus: tradit Orpheus virum gratum facere mulieribus, & verbis homines demulcere, & quæcunque petieris, assequeris, vt hilaris domum redeas: contra scorpionis aculeos, contta febrile incendium, & quartanam, neque inter lapides vllum meliorem prædicat, optimas vires cœlestis influxus retinere; quem si Aiax secum habuisset, contra Vlyxem facundum victoria potitus esset; sed spreuit Deorum consilium. Amethysti gemma varia purpura pellucet, & variis coloribus interlitus, arcem cerebri defendit à temeti obsidione; & ob id Mercurio sacrauit antiquitas.

Heliotropiæ herbæ, & lapides solares sunt, eiusq; dotes participant;

CAP. VIII.

DIXIMVS ex coloribus florum, quibus planetis stirpes subderentur; nunc helitropias subnectemus, quæ quotidie cum Sole circumaguntur, horasque agricolis, etiam nubilo die, ostendunt. Theophrastus de his, quæ florent aliqua sequi videntur, veluti heliotropium herba vocata & carduus; nam is quoque (dum solstitium agitur) sequitur: & hæ partim naturalem habent causam, partim fortuitam. Multo magis mirum, loti Ægyptiæ calycem, & caulem, nedum papauera, Sole oriente, patefieri, ad occasum vero sideris comprimi; scapum enim floris in medias vsque noctes à vespera abire in lacum, vt ne demissa quidem manu comprehendi possit; vertitur deinde, paulatimque subrigitur, diluculo redit, dehiscente flore ad Solis ortum, vt plane à terra alte absit, & extra vndas emergat. Cuius rei causam calori, frigorive retulit. Comprimitur enim flos humore coacto, & quasi concreto, tum destituitur sui caloris facultate, sese vtique aperit, diffuso iam calore, relaxanteque, quod frigus coegerat: id ergo Soli feratur acceptum. Quæ descendunt altius, imbecillitate quadam prouenire, & quasi pessum ire constat Solis absentia, gliscente præsentis munere vegetiora reddi,

atque eo veluti adminiculo fulta emergere; sed quæ vndis conduntur feruentioribus, æstuosisque magis, has euntis & redeuntis norunt sideris vices. Nec minus mirandum in his herbis, quas vocant heliotropias, quæ cum Solis declinatione folia circumagunt, id ergo potius euenire iis consueuit, quæ permulto humore madent: ea namque dum vi caloris exhausta suguntur, eo ferri, pronaque inclinari par est, quo Sol humorem feruefaciens prouocarit. Igitur horum omnium Sol est auctor; qui alliciens ad se humentem succum, folia secum trahens, rapit sic, vt is creat; ista procliuia sequantur. Hæc Theophrastus. Serides omnes specie cichoriaciæ, nubilo etiam die, Solis exortu pandantur, & cum eo circumagantur in occasum, noctu semper compressæ, & interdiu dehiscentes. Inquit Plinius, succo totius cum oleo perunctos fauorabiles fieri, & quæ velint facilius impetrare, Dioscorides cardiacis per se, aut cum polenta vtiliter illini dixit, & contra venena esse. Maluæ flores, quando Sol meridianus cœli nostrum verticem scandit, tunc quasi sideris iubari inhiantes, se pandunt, post vna, atque altera hora, illius veluti digressu, & desiderio mœsti marcescunt, & occluduntur; ob id Theophrastus *horariam* vocat. Columella de moloche illo versu:

Et moloche, prono sequitur quæ vertice Solem,

Prodigiosum Naturæ miraculum, vt herbæ, nubilo die, delitescentem Solem prodant, & obiecta nube, velut indices curriculi, veram celati sideris sedem foliorum stratu, conuersioneque demonstrent: immo verius solarij vicem exhibeant, ita etiam, vt non aperto Sole, horas colligere possimus. In magnis est laudibus & de ea mire traduntur; sed magis si quotidie quis succi ex quolibet sorbeat cyathum dimidium, omnibus morbis cariturum. Heliotropij flos ortu Solis aperitur, & occasu clauditur; ideoque *solsequia*, vel *Solis sponsa*, quod expergiscatur, & occubet crepusculis sopita, desiderio quodam redeuntis sideris, ex ortu, item perdius, atque fœdere quodam amantis intueatur Solem, & ob id amica solis aliquib. dicatur. Multa de hac Magi pollicentur: quartanis qua-

ter, tertianis ter alligari iubent ab ipso ægro, precarique eum, soluturúm se nodos liberatum, & ita facere non exempta herba. Tithymali genus vnum, quod vocant *helioscopon*, Solis iter sequitur, & prono semper vertice cum eo pergit ad occasum, perdiusque semper ad eum spectat, ita vt nonnunquam videatur eius intorsisse coliculum, tanta est auiditas sectandi sideris. Assumptum cor inuadit; vnde cum sumitur, medicamentis illis admiscetur, quæ cor roborant, ex Mesue. Hemerocallis flores Athenæi conuiuæ tabescere, Sole cadente & rursus oriente pullulare dixerunt, non quidem prorsus marcescere, aut defluere, sed occursu humentis noctis frigidiusculos contrahi, collabique in sese flores, qui proxima luce, radiisque Solis colluſtrati explicantur, & quasi reuiuiscunt: vtuntur eo, neotericorum experimento, ad cor roborandum, & omnes principes facultates, & ad animi deliquio correptos, & cordis pulsatione concussos. Lupinus etiam cum Sole circumagitur, horasque agricolis etiam nubilo die demonstrat: discolorem hominem frequens in cibo exhilarat, & pulchriorem reddit. Tragopogon suo flore Solem sequitur, ac sereno cœlo fatiscit, nubilo vero contrahitur, occluditurque calyce, congener est *scorzoneræ* vocatæ, cuius succus cardiacis datur, animi deliquiis, & cordis pulsu, tremoribus obnoxiis, & commanducata tristitiam discutit, & hilaritatem conciliat. Ricinus quum ad Solem vertatur, *heliotropij* nomen meruit: bilem extrahit, ex qua tertiana febris gignitur, vt cæteræ solares herbæ. Idem in lapidibus considerandum. Heliotropius lapis dictus, & vulgo *heliotropia*, qui batillo aquæ pleno, ac Solis radiis percussus Solem sanguinolentum reddit, ac eclipsim ostendere videtur: ob hanc, quam cum Sole sympathiam habet, solaris virtutis est compos: præstat vaticiniis, ornat homines laudibus, bonam tribuit famam, atque omni vitæ tempore incolumes seruat, pellit venena, & contra ea valet. Orpheus duos lapides Solis dicit, & ambos prope diuinos, in quibus veri Solis radij insiti sunt, recti, splendentes, in quibus veluti comæ apparent, & forma inuicem differentes; hunc quidem crystallo similem,

illum vero chrysolitho, nisi radios haberent: & eis multum prodesse, quibus Sol spiritum impressit, candidæ lucis, ad solares influxus præstantissimos.

Herbæ, lapidesque, qui ad Lunæ vices mouentur, Lunares esse;

CAP. IX.

SVNT & stirpes, lapidesve, qui ad Lunæ motum crescunt, decrescuntque. Obseruatum est ab antiquis omnia terra, marique nascentia, crescente Luna, glisscere, & senescente, rabescere; cepa sola omnium olerum sideris contraria damna sentire dicitur, viceſque augendi, minuendique contrarias habere; reuiuiscit enim, ac regerminat, decedente Luna, contra autem inarescit, adolescente: quare Pelusiotæ Ægyptij sacerdotes cibis cepas abdicarunt: ex his nos iudicamus aduersus Lunæ vices medicamenta præbere. Qui enim epilepsiæ morbo obnoxij sunt, crescentis Lunæ damna sentiunt, & cepas edendo huic morbo occurrunt, innumerisque periculis factis, ita demum esse compertum est. Scilla è cepaceo genere vertiginosis, & comitialibus propinatur, si ex ea acetum conficitur, quod *scillinum* vocant; alliumque comitialibus datur, vt superius diximus, eius speciei. Præterea fabæ solæ frugum exesæ replentur crescente Luna, sed inexpertæ adhuc facultatis ad lunares morbos. Senecio qualibet forma Lunæ luteos nouos flores instaurat, qui breui in pappos abeunt; datur contra comitiales. Est & *selenites* lapis, quem aliqui *aphroselinum* vocant, quoniam noctu inuenitur Lunæ imaginem reddere, quæ cum ea quidem augetur, & decrescit, cuius ramenta comitialibus in potu dari iubet Dioscorides. Sunt qui tradant in armo pantheræ similem Lunæ inesse maculam, crescentem in orbes, & cauantem pari modo cornua, ex Plinio, cuius pinguedo vtilis est iis, qui vertiginem patiuntur, si eius odor inter assandum recipiatur, ex Plinio.

De lunaribus herbis, noctu ad Lunæ lucem splendentibus;

CAP. X.

LVNARES herbas subnectemus, quæ cum noctu luceant, vel ad Lunæ motum moueantur, quandam cũ Luna sympathiã habere dicũtur, & lunares vocãtur. Has ad comitiales

morbos, & ad fœcunditatem facere credunt, quod Luna fœcunditati, & generationi patrocinetur. Herba est *cynospastos*, alio nomine *aglaophotis* (est enim hoc nomen Græcum à lucis splendore inditum) inter cæteras herbas deliteſcit, nec vllo modo agnoſcitur; noctu vero ſtellæ inſtar lucens, & igneo ſplendore coruſcans, facile in conſpectum venit; itaque ſigno ad eius radices defixo, diſcedunt ab eo, neque colorem eius interdiu, neque ſpeciem cognituri; noctu iam exacta, aduentant, & herbam ex ſigno agnoſcunt, ſed euellere cauent primum, quum eius naturæ imperitum periiſſe ferant; canem adducunt nitentem, & famelicum, & funiculum ad inferiorem herbæ ſtipitem vinctum, cani alligant, & carnes ei obiiciunt longiſſime recedentes; canis ad carnes properans, herbam radicitus eruit, & canis exſpirat. Vſus herbæ inter cætera ad comitialem morbum; remedium ex ea homini commendant, & ad oculorum vitium, quum ei videndi facultas adimitur, ex Æliano. Alia eſt Democriti aglaophotis à Plinio deſcripta, quæ admirationem hominum propter eximium colorem acceperit: hanc enim Ioſephus in belli Iudaici commemorat hiſtoriis. Vocant recentiores *lunariam Græcam* herbam quandam, quæ ſemina affert longiuſcula inter latas & planas ſiliquas, quæ veluti tenuiſſimæ laminæ ſunt; hæ maturæ noctu ad Lunæ lucentis imaginem in ſuperficie ſua læui, ſplendidaque, vt ſpeculum reddunt, vt inde *Lunariæ* nomen ſit impoſitum; alij quod folium, quia vtrinque folliculum in medio facit, & intra ſemen continet, argenteo nitore ſplendet, & ſplendor ille ad Lunam nitet, vt ſpecularis lapis; flores cæruleos habet; remedium ex ea aduerſus comitialem morbum probatum audio. Pæoniam, Apuleius dicit noctu lucere, tanquam lucernam; ob id noctu à paſtoribus inueniri, & alio modo *aglaophodita* dicit. Si lunatico iacenti impoſita fuerit, ſtatim ſe leuat, vt ſanus; & ſi eam ſecum habuerit, nunquam ei accidit. *Nyctegreton* inter pauca miratus eſt Democritus, colore igneo, foliis ſpinæ à terra ſe attollentem, præcipuamque in Gedroſia narrat, eruitur poſt æquinoctium vernum radicibus, ſiccatuſque ad

Lunam triginta diebus, ita lucens noctibus, Magos, Parthorumque reges, vti hac herba ad suscipienda vota, eandemque vocari *chenumychon* : quoniam anseres à primo conspectu eius expauescant; ab aliis *nyctilopa*, quoniam è longinquo noctibus fulgeat.

Animalia, quæ cum Luna quendam consensum habent;

CAP. XI.

SVNT & animalia quamplurima, quæ cum Luna consensum quendam habere videntur; hæc omnia ad comitialem morbum, & ad cerebri vitia valere proferre ausim. Ælurorum oculi ad Lunæ vices ampliores fiunt, & minores. Id multo magis mirandum ælurum marem, vt Horo Apollini placet, Solis vices sentire, mutareque pupillas oculorum sideris cursu; siquidem diluculo exortu, protenduntur, & eædem meridie contrahuntur in orbem, occasu Solis obscuriores hebescunt. Isidis numen totum complecti in se naturam Ægyptij credentes, ideo illi hoc animal coniunxerunt, quod Lunæ, cuius sideris beneficio Naturæ pars multa stat, notas & imagines quasdam, præsertimque in oculis referret, in quibus ad quotidiana luminum in eo decrementa, incrementaque augeri pupillas in æluris, & minui plerique testati sunt; nec id tantum, sed noctu, & in tenebris sideris illius modo fulgere; & quod maximum est, fertilem & vegetabilem Lunæ naturam fœcunditate sua exæquare. Mustela eius species est, cuius caro ad comitiales valet, ex Auicenna; ventriculus ex Dioscoride; sanguis ex Galeno, cinis cerebri, testiculorum & vuluæ, ex Plinio. Simias Luna caua tristes esse, nouam exsultatione adorare, Solinus dixit: quibus in simiarum genere cauda sit, Luna caua tristes esse, nouam exsultatione adorare, ait Plinius. Ægyptij pro Luna cynocephalum pingunt, propterea quod animal hoc consensum quendam, quo ad Lunæ cum Sole coitum afficitur, habet: vbi enim aliquanto tempore Luna cum Sole congrediens expers luminis permanet, tum mas quidem cynocephalus nec quoquam intuetur, nec vescitur quicquam, sed demisso in terram vultu, Lunæ tanquam raptæ vicem dolore, & indigne ferre videtur; fœ-

mina vero, præterquam quod nusquam oculos contorquet, eademque cum mare patitur, insuper è genitali vase sanguinem mittit; ideoque ad hæc vsque tempora in sacris ipsis cynocephali nutriuntur, vt ex ipsis coniunctionis Solis & Lunæ tempus cognosci possit. Lunam orientem indicare volentes, cynocephalum pingunt stantem, manusque in cœlum attollentem, ac regium insigne capite gestantem, quod hoc habitu videatur cynocephalus Lunæ congratulari, ex Horo: cor simiæ assum, & aridum potum drachmæ pondere cum melicrato vetere, contra comitialem morbum valet, ex Rhase. Elephantis religio & veneratio siderum, & Solis quoque & Lunæ; ab interlunio crescente Luna, elephantos intelligo quadam Naturæ recondita ratione, ex silua primum, vbi nascuntur, ramos decerpere, eosque deinde sublimes ferre; tum vero illos ad Lunam suspicere, ac leniter ramos mouere, tamquam supplicationem quandam Lunę prætendentes, ex Æliano: Ebur exhibetur cum mulsa, valde insigni facultate in comitialibus, & iecur comitialibus morbis præstat, ex Plinio. A coitu crescente Luna muris iesculum mirum in modum sibi fibram quotidie quandam progignit vsque ad Lunam plenam, deinde Luna decrescente fibræ pariter decrescunt, ac in vnum corpus extenuatæ paulatim euanescunt, ex Æliano, & Cicerone, Lucilio, Gellio, & Plinio. Murem araneum Ægyptij sacrum habent, quia eius iecur minuitur, quum Luna obscuratur. Murem dissecans per Lunæ silentium iecur ipsius extrahito; & assum epileptico, vt comedat exhibeto, ex libro Parabilium, Galenus. Gallinaceum, exoriente Luna, quasi diuino quodam spiritu afflatum bacchari, atque exsultare ferunt, ex Æliano: gallinacei testes ex aqua cœlesti bibendos dant, antecedente quinque dierum abstinentia ad comitiales, ex Plinio, & Sexto. Lunari potestate ostrearum, conchyliorum, concharumque omnium corpora augeri, & rursus minui referunt. Horatius; 31

Lubrica nascentes implent conchylia Lunæ.

In causa sunt propriæ Lunæ affectiones, quæ sunt, rigore & modico calore humectare corpora. Luna igitur humores alit,

& regit, quemadmodum Sol suo calore fœcundat omnia, quia omnium vita oritura calidi & humidi commistione, & fouetur vtriusque temperamento. Sol masculum sidus, marisque vicem gerit, Luna fœminæ: fœmineum sidus est, molle & nocturnum, soluit humorem, & trahit, non aufert, vt ait Plinius. Diximus conchylia & vniones ad comitiales valere. Porro mirum, formicam sentire vices sideris, interlunio tempore cessantem, & plenilunio noctibus operantem. Quin & scarabeus totidem digitis, vel pedibus nititur, quot mensis diebus constat, in quibus Sol exoriens suos persequitur cursus; is Solis, & Lunæ coitum aperte demonstrat, quando quidem ex bubulo stercore pilulam ab ortu ad occasum rotando versans, in orbis imaginem effingit, quam viginti octo diebus, facto humi scrobiculo, adobruens tantisper celat, dum signiferum ambiens Luna ad intermenstruum reuertens, sileat, apertoque tum orbiculo, coitus siderum denuncians, nouam prolem edit, nec aliam nascendi nouit originem; quorum viridium natura contuentium visum exacuit, ex Plinio.

Animalium cerebrum, quod ad Lunæ vices crescit, senescit q; lunare esse; CAP. XII.

Est & cerebrum quarundam animalium, quod cum Luna crescit, decrescitque valde sensibiliter, quum & hominum, omniumque animalium etiam ad Lunæ vices augeatur, minuaturque. Prudentes chirurgi plena Luna caput non aperiunt, quia tunc cerebrum magis diffundi, & totum cranium impleri vidimus. Hippocrates libro de morbo comitiali: In morbo sacro cerebrum nimis humidum est: cognouerit hoc autem ipsum quis maxime ex ouibus, & præsertim capris. Hæc enim frequentissime eiusmodi morbo corripiuntur: quod si caput ipsarum dissecueris, reperies cerebrum humidum: sudore refertum, & male olens. Plutarchus in quæstionibus rerum Romanarum, capram præter cætera animalia comitiali morbo tentari refert; propterea que veteres sacerdotes ea vehementer, vt morbida abstinuisse: carnes capræ in rogo hominis tostæ comitialibus valent, vt diximus,

Cerebrum capræ traiectum, priusquam lac detur infantibus, distillatur contra comitiales morbos, ex Plinio. Galenus iecur propinat, Dioscorides lac. Quibus semper humidum cerebrum, & comitiali morbo corripiuntur: ad comitiales morbos mirifice laudatur sanguis pecudum. Plinius fel allibi laudat, sudores Serapio, & œsypum cum myrrhæ momento. Cerebrum suis pinguiusculum, ex Aristotele, decrescente Luna magis minuitur, quam vlli animalium. Ægyptij suem profanum existimant, videtur enim præcipue iniri decrescente Luna, ex Plutarcho libro de Iside, contra comitialem morbum dantur suum testiculi inueterati, tritique in lacte suis, præcedente vini abstinentia, & sequente continuis diebus; lotium apri bibat cum oxymelle & remedium capiet, ex Plinio. Dissectis, Luna crescente, hirundinum pullis, qui primo partu excluſi sunt, in vtero eorum lapillos duos offendes, ex quibus vnum colore varium, alterum paruum eximes; ij priusquam terram attingant, in iuuencæ corio, aut cerulna pelle brachio, aut collo alligati, comitialibus proderunt, & sæpe prorsus eos recreabunt, ex Dioscoride. Caput coturnicis apertum humidum est, & fœtidum, ob id epilepsiæ obnoxium, Plinius. Coturnices propter comitialem morbum damnauere mensæ, & respuere consueuere, quem solæ animalium sentiunt, præter hominem: ad morbum comitialem remedium valenter efficax: coturnicum cerebrum ex vnguento myrteo tritum, stanneo vase repositum, & quum quempiam morbo comitiali prolapsum videris, eo faciem oblinito, & admiraberis eiusmodi auxilij efficaciam: nam statim æger resurget, ex Galeno. Gallinis cerebrum humidum est, & comitiali morbo corripiuntur: diximus supra gallinaceos testes ad caducum morbum valere. Ælianus Demonstrati opinione piscem *Lunam* appellari dicit, lata figura, exiguum, pulchrum, cyanei coloris, in formam semicirculi Lunæ, & eum ipsum quum est Luna plena, impleri, & implere; nempe si decrescente Luna arboribus appenderis, exsiccari, atque interire; si plantis, marcescere; si plena Luna in id aquæ iecceris, quod in puteis reperitur,

aquam iugem & perennem fore; sin extrema Luna, aquam exarescere.

Flores solis formam effigiantes, & animalia Solis vires retinere;

CAP. XIII.

